

M





R. P. JACOBI PLATELIJ

è SOCIETATE JESU

SS. Theolog. in Universitate Duacena Professoris

SYNOPSIS

UNIVERSI CURSUS THEOLOGICI accuratissima,

Omnem Theologiæ Speculativæ, & Practicæ, Moralis & Polemicæ, nova convincendi arte ac methodo, miraq; addiscendi & retinendi facilitate Nucleum subministrans:


AC PRÆTER TRACTATUS

De Beatitudine, Actibus humanis, Legibus, Gratia, Merito, Fide, Spe, Charitate, & Justitia.

Theologis ac Jurisperitis æquè necessarios ac perutiles.

Alia ejusdem Synopsios ad expeditiorem utentium commoditatem breviori Synopsi vel compendio locupletata, & plurimorum desiderio expetita.

PARS SECUNDA.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud SEBASTIANUM KETTELER 1694
Sumptibus Andreæ Poleti.
CUM PRIVILEGIO.





THEOLOGIÆ

PARS SECUNDA.

DE BEATITUDINE,

ACTIBUS HUMANIS, LEGIBUS, GRATIA, MERITO, FIDE, SPE, CHARITATE, ET IUSTITIA.

CAPUT I.

Beatitudo, Voluntarium, Liberum, Intentio, Electio, Imperium.

§. I.

Beatitudinis essentia in Visione.

1 Hominis finis ultimus generalis, seu formalis, est bonum perfectè satiativum appetitus, sumptum in genere & abstractè, particularis sive materialis, est res, in qua reperitur bonitas perfectè satiativa, nempe Deus ter Optimus, cujus solius infinita bonitate planè satiari potest humana mens: unde est ejus beatitudo objectiva. Finis ultimus est bonum plenè satiativum.

2 Licet homo in omnibus, quæ vult & operatur, non intendat formaliter, seu actu formali finem ultimum, generalem aut particularem; cùm sæpè de eo nihil cogitet, adeoque nec illum formaliter Hunc finem homo in omnibus intendit interpre.

tative, non formaliter.

appetat, cùm non possit appeti nisi cognitum, nec virtualiter propriè, id est, per intentionem formalem præteritam, in aliquo effectu suo, puta in tenui aliquo & imperceptibili actu potentiæ cognitivæ & appetitivæ, rationalis, aut sensitivæ, virtute remanentem, cum sæpe talis intentio non præcesserit: rectè tamen dicitur omnia velle propter ultimum finem generalem interpretative, & virtualiter impropriè; quia cùm in omnibus quæ vult aut operatur, semper intendat aliquod bonum particulare, censetur ita affectus, ut bonum totale, ad quod partiale ordinatur, esset voliturus si ei offerretur.

Cum sæpe de eo non cogitet.

Hoc ferè sensu peccans mortaliter constituit finem ultimum in creatura, quatenus erga illam ita afficitur, ut illius fruitionem hic & nunc præferat Dei amicitiæ ac beneplacito; ac proinde moraliter censeatur illam præferre ipsi Deo, quatenus amore creaturæ se constituit in eo statu, in quo, si moriatur, scit se æternum Deo ejusque bonis cariturum.

Peccare mortaliter interpretative statuit ultim. finem in creatura.

Peccans venialiter bonum creatum, cujus inordinato affectu peccat, non constituit finem ultimum simpliciter, seu operantis quod esset mortiferum; sed solùm secundùm quid seu operis, quod cùm sit defectuosum, non est referribile ad Deum tanquam medium ad obtinendam ejus possessionem.

Non peccans venialiter.

3. Hominis Beatitudo formalis supernaturalis non consistit in illapsu Dei in essentiam animæ, per specialem & immediatam unionem substantiæ divinæ cum substantia animæ, ut voluit Henr. Gandens. quodl. 6. q. 6. & quodl. 13. q. 12. neque in vera ac reali transformatione animæ in Deum ut suum principium, ut erronee senserunt quidam contemplativi apud Les. l. 2. de sum. Bono c. 2. istius enim unionis, & hujus transformationis hominem beatificantis, nullum est fundamentum, nec apparens possibilitas. Locutiones PP. & DD. præsertim mysticorum pro ista transformatione in Deum, seu resolutione in ejus ideas, intelligendæ sunt in sensu morali, quo Beati dicuntur absorberi in Deo per summum ejus amorem & perfectam conformitatem cum ejus voluntate.

Supernaturalis Beatitudo formalis non est unio physica Dei cum anima.

Neque transformatio animæ in Deum, quæ est impossibilis.

Non

Non potest etiam consistere in aliquo dono habituali: cùm Beatitudo ex PP. & CC infra citandis debeat esse actualis, & vitalis possessio summi boni. Vnde dicenda est consistere in operatione procedente ab ipso beato movente se ab intrinseco: hoc enim requiritur ad vitalitatem: non potest tamen per eam homo simpliciter dici beare se ipsum, cùm non sit illius causa principalis nec libera. Potest tamen dici beare se, sicut dicitur sanctificare se 1. Ioan. 3. 2. Tim. 2. cum hoc discrimine quòd actus justificativos producat liberè, beatificativos necessariò.

Non est habitus, sed vitali operatio Beati.

Qua se beat, sicut se justificat, scil. minùs principaliter.

Beatitudo formalis immediate perficit potentiam ut quo, animam ut quod, quæ sola beatur propriè & ut quod.

Consistit in optimo & perfectissimo in genere entis supernaturalis, non spectato entitative: alioqui unio hypostatica bearet formaliter; sed spectato in ratione possessionis satiativæ appetitus, quæ ratio convenit operationi non habitui, per illam enim res possidetur in actu secundo, per hunc solùm in actu primo. Actus beatifici iidem numero permanent in æternum, adeoque beatitudo in illis consistens est stabilis & permanens.

Est optima in ratione possessionis satiativæ.

4 Videtur nobis probabilius cum Bonav. Richar. & aliis, essentiam beatitudinis formalis, non consistere in solo actu intellectus ut vult S. Th. nec in solo actu voluntatis, ut Scot. sed in utroque; in clara scilicet Dei visione, ejusque fruitione, seu perfecto amore amicitiæ, quem Aug. l. 3 de Doctr. Christia. c. 10. vocat, *motum animi ad fruendum Deo*.

Consistit in visione & fruitione Dei

Prob. quia Scripturæ & PP. modò visioni, modò fruitioni, modò utrique rationem beatitudinis tribuunt: visioni quidam Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt*. In quæ verba Aug. l. 1. de Trin. c. 13. *Et ipsa visio est facie ad faciem, quæ summum præmium promittitur justis*. Fruitioni autem Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui*. Cui consonat illud Aug. l. 10. Confess. c. 22. *Ipsa est beata vita gaudere ad te, de te, propter te*: utrique verò Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*.

Script. enim & PP. utrique actui tribuunt rationem Beatitudinis.

Aug. l. 1. de moribus Eccl. c. 3. *Beatus quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat: nec qui non amat quod habet.* Iren. l. 4. c. 37. *Participatio Dei est videre Deum, & frui benignitate ejus.*

Idem docet Bened. XII.

His addit magnum pondus Bened. XII. Extrav. *Benedictus Deus*, ubi definit, *quòd animæ justorum hinc decedentes, si non egent purgatione, vident divinam essentiam immediate, eademque perfruuntur: nec non quòd tali visione, & fruitione sunt verè beatæ.* Quibus postremis verbis Veg. & Cordub. censent, nostram conclusionem esse definitam, quod tamen veriùs negant Suar. & alii. Etiam nobis manifeste & valdè favet decretum C. Vien. *in Clementina Dudum*, ubi dicitur, *Beatitudo consistere in visione & fruitione Dei:*

Non tamen definit.

Hi duo actus requiruntur ad possessionem Dei, perfecte satiativum, in qua sita est Beatitudo formalis.

Ratio autem est, quod perfecta & complete satiativa Beatitudo formalis sit perfecta possessio Dei ut finis ultimi, ad quam requiritur. 1. Clara divinæ essentiæ visio quæ Deum summe bonum ita Beato vitaliter sistat, eique non per speciem, sed ut in se est, objectivè præsentem teneat: ut possit eo frui, & percipere omne commodum ab eo, ut obtento, & præsenti præceptibile. 2. Actus amoris fruitivi, quo Beatus se ipsum & omnia sua ad Deum referat, ut ad suum finem ultimum propter se summe amabilem: cùm enim Beatus per actum visionis se ad Deum non referat, sed eum potius ad se attrahat, per solam visionem illum non possidet exercite ut finem ultimum saltem complete; unde ad hoc opus est amore fruitivo, id est, amore præsertim amicitiæ: Deum clara visione comprehensum supponente, ac sibi identificante, aut per necessariam resultantiam, annexum habente gaudium amicitiæ de bonis, Dei qua Dei.

Per visionem Deus sistitur ita præsens ut ex eo percipi possit omne commodum perceptibile.

Confir. quia per solam visionem, aut solam fruitionem, Beatitudo objectiva non possidetur perfecte & complete, sub omni ratione, sub qua attingi potest à natura intellectuali, eamque satiare: cùm ergo Beatitudo sit perfecta & completa possessio objectiva, dicenda est in utroque actu consistere.

5. Di-

5. Dices 1. visio non est possessio objecti creati : ;o nec Dei. R. disparitas est, quod visio objecti ati non det videnti potestatem percipiendi omne nmodum ex illo perceptibile, secus visio Dei, æ ipsum Beato ita sistit, ut ex illo percipiat om- :commodum ab eo perceptibile, bonum scilicet idii & amoris.

Quod non præstat visio boni creati, & ideo non est ejus possessio.

Dices 2. visio est prior amore fruitivo : atqui ni- potest esse priùs essentia. R. sumpta complete C. npta incomplete N. cùm nihil vetet unam par- 1 essentiæ alteri secundùm rationem, imò & se idùm rem præsupponi, siquidem in composito rsico materia præsupponitur formæ materiali quam ejus causa, & tamen utraque est de ejus ntia, & in composito metaphysico, intellectivum ratione priùs volitivo, sensitivum rationali, & ilominus utrumque est essentiale.

Vna pars essentiæ est subinde prior altera, ut hic visio fruitione.

Dices 3. August. in Psal. 90. dicit : *Nescio quid mnum est, quod ? isuri sumus quandoque tota mer nostra visio est*. R. solùm vult totam Beatitudi- n formalem consistere in visione partim forma- r, quatenus est pars essentiæ Beatitudinis forma- ; partim radicaliter, quatenus amor fruitivus ab a, ut ei suum objectum proponente, oritur, & dem necessariò.

Visio est tota Beatitudo partim formaliter partim radicaliter.

1

iodem sensu explicari possunt alia Script. & PP. imonia, imò juxta Suar & alios etiam D. Th. q. 3. a. 4. O. quem saltem a nostra doctrina non se alienum, satis constat ex q. 4 hic a. 8. ad 3. ubi : *dicendum quod perfectio charitatis est Beatitudi- sentialis quantum est ad dilectionem Dei, non quan- est ad dilectionem proximi*.

Hoc sensu explicari possunt Script. Aug. aliique PP. imò & S. Th.

Licet Beatitudo formalis spectata in genere ris principalius consistat in amore fruitivo; cùm n hic actus per se eliciatur in Dei obsequium pter se, magis redundat in bonum Dei extrinse. 1, quam visio per se & immediate elicita in bo n creaturæ; simpliciter tamen, & in genere na- e principaliùs consistit in visione; quia vi o fectior est in ratione assecutionis objecti beatifi- quandoquidem, independenter ab omni alio, il

Si Beatitudo spectetur in genere moris consistit principaliter in amore; secus si in genere naturæ seu assecutionis.

lud, ut in se est, naturæ intellectuali præsens sistat; amor verò, supposita ejus præsentia, illud, solùm affective uniat videnti, atque ita ejus possessionem compleat.

Visio essentiæ sine personis bearet simpliciter non complete.

Visio divinæ Essentiæ sine Personis, si daretur, simpliciter bearet; quia esset possessio summi boni simpliciter infiniti, omne aliud bonum, adeoque etiam ipsas Personas ita eminenter continentis ut in eo perfecte penetrato etiam hæ necessariò cognoscantur abstractive: non tamen bearet omninò complete, quia non esset possessio Personarum, quæ sunt complementum intrinsecum objecti beatifici.

Visio Dei etiam intensive, & extensive satiat inadæquate.

Omnes Beati satiantur, licet Deum non comprehendant, nec omnes æqualiter penetrent divinam Essentiam; quia possessio summi boni, in quocumque gradu, sufficit ad satiandum.

Modò per seipsam certificet de existentia.

Vt visio formaliter beatificet, debet esse vitalis, & certa experientia Dei ut re ipsa existentis, sic ut essentialiter dependeat ab existentia ejus ut exercita; alioqui enim videntem non certificaret per se ipsam de existentia objecti beatifici, & consequenter nec illud possideret possessione perfecta, & de se nata appetitum satiare.

Quod non faceret si esset similis nostræ visioni corporeæ.

Hinc si daretur aliqua Dei visio (qualis ex probabili multorum sententia, est nostra visio corporea objecti colorati (ab exercita Dei existentia ita independens ut quantum est ex parte sui modi tendendi, posset eadem permanere, quamvis per impossibile Deus non existeret, non bearet formaliter.

Visio beatifica est necessaria & perpetua, & quidem connaturaliter, si spectetur in esse naturæ, essentialiter, si in esse Beatitudinis formalis.

7 Visio beatifica, supposito lumine gloriæ cum concursu proportionato est æquè necessaria ac visio corporea apertis oculis. Prout de facto datur, est perpetua & inamissibilis. Est de fide ex Matth. 25. *Iusti autem in vitam æternam.*

Visioni spectatæ in esse naturæ perpetuitas est connaturalis; quia lumini (à quo ex rei natura necessariò procedit visio,) posita ejus prima productione connaturaliter debetur perpetua conservatio; cũ sicut quodvis aliud, saltem natura sua non fluxum, de se naturaliter petat perpetuò conservari, & nihil sit in rerum natura, quod ejus destructionem exigat;

gat: at verò spectatæ in esse beatitudinis formalis perfectæ est essentialis, cùm non possit esse consecutio summi boni de se plenè satiativa & exclusiva omnis anxietatis, nisi ex modo, quo datur, sit perpetua & inamissibilis. *Nullo igitur modo* (inquit Aug.l.13.de Trin.c.8.) *esse poterit vita veraciter beata nisi fuerit sempiterna.* Quia sine perpetuitate & quidem cognita non esset perfectè satiativa.

Cognitio tamen perpetuitatis non est ei essentialis, sed solùm connaturaliter debita per modum proprietatis requisitæ ad hoc ut in actu secundo plenè satiet: cùm non terminetur immediate ad beatitudinem objectivam, sed ad ejus possessionem; nullus autem actus ad Beatitudinis formalis essentiam pertineat, qui pro objecto immediato non habeat ipsam Beatitudinem objectivam. Ejus tamen cognitio non est essentialis.

Non repugnat visio reflexe cognoscens se perpetuò duraturam, quæ proinde, cum sit essentialiter vera, necessariò sit indestruibilis, posito quod Deus pro sua libertate eam semel produxerit. Visio reflexæ suæ perpetuitatis est essentialiter indefectibilis.

§. II.

Visio Dei necessitat ad Dei amorem, & causat impeccabilitatem.

8 VIsio beatifica necessitat ad Dei amorem quo ad specificationem, ad S. Tho. Scot. Suar. prob. quia cùm repræsentet Deum ut in se est, facit ut Beatus illum non possit apprehendere sub ulla ratione mali odibilis, sed solùm sub ratione boni infinite amabilis, sub qua odio haberi non potest, sicut nec malum qua malum amari: imò etiam quoad exercitium, saltem quantùm est ex natura rei, & seclusis suppositionibus extraordinariis qualis esset diuina prohibitio amoris Dei, negatio concursus ad illum &c. ita S. Th. Suar. contr. Scot. Visio Dei necessitat ad ejus amorem quo ad specificationem, & quo ad exercitium, quia illum repræsentat sub ratione boni puri.

Prob. quia infinita Dei bonitas, ut in se est, per visionem clare proposita, habet majorem vim movendi, & ad sui amorem alliciendi, quàm habeat quodlibet bonum creatum possibile perfectiùs ac perfectiùs infinitum perfectiori semper ac perfectiori cognitione propositum, adeoque infinitam ac superantem omnem vim resistendi voluntatis creatæ, & Ad sui amorem infinite moventis, & hac virtute motiua omnem possibilem creaturæ.

tæ, & consequenter eam ad sui amorem non minus necessitantem, quam in motibus primò primis necessitet bonum delectabile, aut tentatio gravissima, cui nulla voluntas creata sibi relicta, possit resistere moraliter, imò nec physice.

resistentiam infinite superantis.

Videns Deum non potest apprehendere ullam rationem boni in cessatione ab eius amore: ergo nec eam velle, etiam interpretative.

Confir. Videns Deum non potest non apprehendere rationem boni simpliciter, ex suo genere summi, in fruitivo Dei amore, sua fœlicitate formali saltem partiali; & contra nullam potest apprehendere rationem boni in cessatione à tali amore, ac proinde hanc non potest velle formaliter adeoque nec interpretative, libere cessando.

Confir. 2. ex Aug. Ps. 85 *Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui nullo te offendat fastidio.*

Beati sunt impeccabiles, est de fide.

9 Beati sunt impeccabiles. Est de fide contra Orig. ex C. Firmiter *de S. Trin.* Et ex Script. Matth. 25. sup. n. 7. asserente Beatitudinem fore perpetuam; & alibi sæpius docente eandem non posse cum ullo peccato consistere: Apoc. 81 *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.* Ad Heb. 12. *Sequimini sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* 1. Pet. 1. ubi Beatitudo dicitur: *Hæreditas incorruptibilis, incontaminata, immarcessibilis.*

Impeccabilitas eis inest: tum ratione amoris beatifici.

Impeccabilitas Beatis convenit ab intrinseco, tum ratione amoris beatifici ex suo genere perfectissimi, ac proinde omnem affectum pravum, etiam leuissimè peccaminosum excludentis, ad quem clara summi boni visione necessitatur, de quo amore Aug. l. 14. de Civ. c. 9. in rem nostram ait: *Vbi boni adepti amor immutabilis est, profectò, si dici potest, mali cavendi timor securus est*; tum etiam immediatè ratio ipsius visionis, quæ eadem vi, qua Beatos determinat ad Deum necessariò perfectissime diligendum, etiam eos determinat ad necessariò fugiendum omne malum ejus bonitati, ac perfectissimo amori repugnans; cùm hæc sint per se connexa, & hoc posteriùs sit in priori inclusum.

Tum ratione visionis eos ad perfectissimum Dei amorem necessitantis.

Potentia peccati in

10 Visio prout de facto datur, Beatos reddit impeccabiles, etiam in sensu diviso, hoc est, sic ut ne-

qui-

quidem peccare poſſint eo ipſo viſionem amittendo.

Prob. quia cùm ex dictis ſup. num. 7. de facto detur (qualiter de lege ordinaria dari debet, cùm ſit terminus in quo quieſcendum eſt) ut perpetua & inamiſſibilis in ſui conſervatione non dependet, ſicut gratia habitualis in via, ab ullo actu libero voluntatis creatæ, quam in omnibus dirigit, ne à recto deviet, ut præclare Aug 12. de Gen. ad lit. c. 36. ubi ait: *Sancti Angeli illam incommutabilem ſubſtantiam Creatoris ita conſpiciunt ut viſione atque amore, & eam præponant omnibus, & ſecundùm eam judicent de omnibus, & ex ea dirigant quidquid agunt.*

ſenſu diviſo non ſtat cum viſione prout de facto datur.

11 De Potentia abſoluta viſio beatifica ita conferri poteſt, ut cum illa ſtet potentia proxima peccandi in ſenſu diviſo: quia nempe poteſt ita conferri, ut in ſui conſervatione dependeat a continua productione aut omiſſione certi actus, Beato libera & ſub peccato præcepta; cùm in hoc nulla appareat repugnantia. Eo autem caſu viſio pro quo visinſtanti ſuæ conſervationis ſupponeret exercitium potentiæ à peccato libero abſtinendi, per ſe involventis potentiam proximam peccandi, quæ proinde in ea hypotheſi ſtaret cum viſione, ſicut de facto ſtetit in Angelis bonis ſi (quod fieri potuit & factum varii probabiliter tenent) viſionem beatificam acceperint ut præmium eo ipſo inſtanti, quo libere elicuerunt actum meritorium, cùm pro ſuo arbitrio poſſent, ut fecerunt mali elicere demeritorium.

Staret, ſi data fuiſſet ut in ſui conſervatione dependens ab aliquo actu libero beatis imperato ſub peccato.

Quod verò non poſſet viſio ſic conceſſa, per vim ſibi intrinſecam neceſſitandi ad bonum, ulla ratione impedimento eſſe potentiæ proximæ ad libere peccandum, vel non peccandum aut libertati exercitii ejus officere, manifeſtum eſt: quia, ut ſupponitur, is eſſet poſterior natura. Aperte autem repugnat poſterius habere aliquam efficaciam in aliquid ſe priùs.

Tunc enim viſio ſemper eſſet poſterior iſto actu, adeoque nihil officeret ejus libertati.

Induceret tamen impotentiam peccandi conſequentem, quæ non magis repugnat cum potentia proxima amandi neceſſariò antecedente, omiſſionem

Vnde eſſet in Beatis potentia peccandi ante-

cedens cum impotentia consequente. nem amoris liberam in eodem instanti.

Visio stare nequit cum ullo mortali etiam habituali, imò nec cum ullo veniali.

12 Nulla potentia stare potest visio cum ullo peccato mortali sive actuali, sive habituali: quia cum sit gratia consummata, finis omnium donorum supernaturalium, & (excepta unione hypostatica) participatio divini esse ex suo genere perfectissima per, quam *similes ei erimus*. 1 Ioan. 3. non minus est terminus divinæ dilectionis elevantis ad Dei amicitiam, cui repugnat quodvis mortale, quàm gratia sanctificans, quam infra ostendemus cum quovis mortali esse absolute incompossibilem.

Quia est terminus divinæ dilectionis ad perfectissimam Dei amicitiam elevantis.

Probabilius est, nequidem cum ullo veniali etiam habituali posse consistere; quia cùm sit terminus divini amoris consummati ex suo genere perfectissimus, dicenda est perfectissime sanctificare, ac proinde ab omni omninò peccati labe purgare.

Amor non est terminis talis dilectionis.

Ideò autem visio potiùs quàm amor beatificus absolute repugnat omni peccato, etiam habituali; quia illa est terminus amoris Dei admittentis ad suam amicitiam, hic verò conversio creaturæ ad Deum, quæ de se est dispositio ad condonationem injuriæ impetrandam, non ipsa condonatio.

Vnica est forma justificans de lege ordinaria.

Trid. sess. c. 7. loquitur de forma secundùm legem ordinariam justificante viatores, dum ait: *Demum unica formalis causa* (nempe justificationis) *est justitia Dei, non qua ipse justus est; sed qua nos justos facit.*

§. III.

Voluntarium positivum & negativum.

Voluntarium latè est ab appetitu, cognitione; strictè ab appetitu rationali.

13 VOluntarium latè, seu spontaneum est quod procedit ab appetitu cum cognitione; strictè verò & magis proprie quod ab appetitu rationali seu voluntate; in prima acceptione convenit etiam Brutis; in secunda soli naturæ intellectuali; etiam sumptum strictè latiùs patet quàm liberum: cùm omne liberum sit voluntarium, sed non contra, ut patet in motibus primò primis, amore beatifico &c.

Sub.

Subinde tamen voluntarium in acceptione strictiori & minus usitata confunditur cum libera etiam a Script. & PP. ut Psal. 53. *Voluntarie sacrificabo tibi:* quo sensu Aug. de vera Relig. c. 14. dicit: *Nunc verò usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Eodem sensu voluutarium usurpat S. Tho. 1. 2. q. 74. a. 3. O, ubi habet: *In actu voluntario & inordinato consistit ratio peccati.*

Subinde confunditur cum libero à feri. pt. & PP.

Voluntarium aliud directum, quod est à voluntate ut agente, seu per influxum positivum, ut actus à voluntate eliciti aut imperati; aliud indirectum, quòd est à voluntate ut non agente cùm agere possit, aut cùm possit & debeat, ut omissio actus liberi, & effectus ex ea secutus.

Indirectum est à voluntate ut non agente.

Voluntarium indirectum subinde etiam accipitur pro interpretative volito, & pro voluntario seu volito in causa etiam positiva.

Vel volitum in causa &c.

14. Ad voluntarium indirectum & negativum necessarius non est ullus actus voluntatis, etiam qui solùm indirectè terminetur ad omissionem, quatenus intendit aliquid incompossibile cum actu opposito, ex qua intentione sequatur omissio; quæ proinde in isto incompossibili, ut in causa, censeatur indirectè volita ac voluntaria.

Ad voluntar. negativum non requiritur actus voluntatis.

Vnde non repugnat dari puram omissionem liberam & consequenter voluntariam absque omni actu voluntatis, à quo ullo modo causetur: cùm ad hoc, ut omissio sit libera, solùm requiratur, ut sit suo modo a voluntate, ut proxime potente actum ei oppositum, quod sufficienter habetur per hoc præcise, quod voluntas proxime possit hic & nunc actum ponere, & tamen illum non ponat: eo ipso enim à sola voluntatis libertate oritur; quod actus non existat; ac proinde, morali judicio, ejus omissio æque tribui debet voluntati, ac si formaliter haberet nolitionem positivam actum ponendi, quam is circumstantiis habet moraliter, & interpretative, quia nempe eam habet æquivalenter in ordine ad hunc effectum, qui est omissionem esse, & ei ut causæ tribui.

Vnde physice dari potest pura omissio libera.

Ad quam sufficit actum non poni à voluntate porente illum ponere.

15. Po-

Nec plus requiritur, supposita obligatione actus omissio peccaminosa.

15. Potest physice voluntas nostra, absquè omni actu etiam indirecte ad omissionem terminato, mere negative se habendo circa aliquod objectum, suam libertatem exercere, & supposita actus oppositi obligatione, per puram omissionem peccare; patet tum ex eo quod sit libera libertate contradictionis; tum ex eo quod Deus possit voluntati negari suum concursum ad omnis actus, præterquam ad actum amoris præceptum, quo casu pura omissio amoris orietur a voluntate, antecedenter complexa per concursum indifferentem ad exercitium, vel non exercitium, & consequenter indifferente ad amandum, & non amandum, ac proinde erit libera, & peccaminosa.

Moraliter tamen non potest esse talis sine actu eam causante vel occasionante.

De facto tamen non datur, nec moraliter dari potest pura omissio libera, ac peccaminosa absque omni actu, illi causam, aut occasionem præbente; quia tanta est promptitudo, & activitas voluntatis, tantaque ejus naturalis inclinatio, ad boni prosecutionem, & mali fugam, ut moraliter non possit non sinere se moveri ab aliquo, ex bonis, aut malis sibi propositis, quod juxta Valen. Præpos. & alios, solùm vult S. Tho. hic q. 71. a. 5. O. Vbi valde favet oppositæ sententiæ, his verbis; *Si verò in peccato omissionis intelligantur etiam causa, vel occasiones omittendi; sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse*. Quæ explicatio confirmatur ex eo, quod hic q. 6. a. 3. expresse doceat voluntarium posse esse absque omni actu: & q. 2. de malo a. 1. ad 2. habeat. *Aliquid dicitur esse voluntarium non solùm quia cadit sub voluntatis actu, sed quia cadit sub potestate voluntatis*.

Voluntas pure omittens habet negationem actus a qua præscindit in statu indifferentiæ.

16. Voluntas hoc modo pure omittens, plus habet in statu determinationis ad omissionem, quàm in statu indifferentiæ natura priori; cùm in illo habeat negationem actus, à qua in hoc ita præscindit, ut neque intelligatur habere actum, neque non actum, sed solùm prærequisita ad utrumlibet indifferentia, sic ut pro illo priori verum sit dicere: *Non vult*, si ly, *Non vult*, sumatur præcisive, non verò si negative. Vnde in illo priori abstrahit à determinatione

& in-

& indeterminatione, seu non determinatione sumpta pro negatione determinationis, & solùm præcisive habet indeterminationem.

Ex his sequitur posse omissionem ex non libera fieri liberam, & consequenter ex non peccaminosa, peccaminosam; & contra, absque ulla mutatione voluntatis, per solam variationem in prerequisitis, puta in exhibitione concursus, modo ad unum restricti, modo ad utrumlibet indifferens, aut in advertentia rationis, modo proponentis, modo non proponentis motiva indifferentiam, aut malitiam inducentia.

Potest omissio ex non libera fieri libera per mutationem in solis prærequisitis non in voluntate.

17. Ad hujusmodi exercitium libertatis negativum non requiritur motivum proprie, & positive movens in actu secundo; cùm non possit sic movere, nisi terminando tendentiam voluntatis positivam, ab ipso motive causatam; sed solùm improprie, & negative, quatenus ab intellectu propositum æquiponderat motivis in contrarium, adeoque constituit indifferentiam in judicio, & æquilibrium libertatis in voluntate atque ita impedit, ne hæc sinat se rapi ab iis, quæ invitant ad actum, uti necessariò raperetur, si nulla ratione mali in actu apparente, nec ulla ratione boni in ejus omissione, actus proponeretur sub ratione boni puri & necessarii; sic enim tolleretur indifferentia judicii ad liberam voluntatis determinationem, sive positivam, sive negativam, necessariò prærequisita.

Voluntas ad puram omissionem non movetur ab ullo motivo proprie, sed solùm improprie & negative.

Prærequiritur tamen cognitio motivi avocantis ab actu ad indifferentiam judicii & æquilibrium voluntatis.

Vnde omissio libera essentialiter dependet à cognitione motivi avocantis ab actu, hoc sensu, quod formaliter, ut libera, eam essentialiter præsupponat, imo etiam intrinsece includat; non verò quòd ista cognitio, aut motivum per eam propositum, proprie exerceat ullam causalitatem.

18. Hinc cùm plura motiva omissionem suadentia simul proponuntur, ad eam omnia æqualiter oncurrunt, cùm omnia æque conferant, ad æquionderandam rationibus ad actum trahentibus, & d habendam judicii, & voluntatis indifferentiam 1 actu primo, quod etiam verum est; quamvis ex s aliqua sint ita opposita, ut non possint simul ama-

Plura motiva ad omissionem simul proposita æqualiter ad ea concurrũt.

mari; hoc enim non obstante, possunt negative (modo explicato) simul movere.

Quamvis aliqua inter se pugnent, & videat Deus voluntatem non omissuram, si hoc vel illud solùm proponeretur.

Nec refert; quod fortè Deus cognoscat voluntatem hic & nunc actum non omissuram, si è duobus motivis ab actu avocantibus solùm proponeretur motivum A. omissuram verò quamvis solùm offerretur motivum B. Inde enim non habetur, quod omissio hic & nunc suo modo pendeat à solo motivo B. sed solùm quid, supposita alia objecti propositione, pro sua libertate factura esset voluntas, quæ in hoc casu ideò omittit, quia libera est; ideò autem libera est; quia objectum ei proponitur sub ratione boni & mali, quod æque habetur ab omnibus motivis in utramque partem hic & nunc propositis.

Ad omissionem liberam requiritur potestas ad actum.

19 Ad hoc ut omissio sit voluntaria requiritur potestas ponendi actum oppositum, quia omissio non est a voluntate, ut à causa Physica positive influente; sed solum ut à causa morali per influxum privativum, situm in eo quod actum nòn ponat cùm possit; ut patet cum ex dictis sup. n. 14. tum ex eo quod alioqui omissio actuum impossibilium esset voluntaria.

Omnis omissio voluntaria est libera.

Hinc licet voluntarium in genere latius pateat quàm liberum, in omissione tamen convertuntur.

Ad eam requiritur aliquis actus intellectus licet non voluntatis.

Quamvis ad omissionem voluntariam nullus requiratur actus voluntatis; necessariò tamen requiritur aliquis actus intellectus; nec solùm ex ratione generali voluntarii, sed ex speciali ratione voluntarii indirecte; quod, cùm non sit à voluntate nisi ut potente oppositum, necessariò præsupponit cognitionem motivorum, propter quæ elici potest actus oppositus, sine qua voluntas non esset proxime expedita ad illum.

Omissio peccaminosa ex ignorantia vincibili supponit cognitionem confusam obligationis agendi.

Dices possibile est peccatum omissionis ex ignorantia vincibili: R. ignorantiam vincibilem involvere aliquam, saltem confusam cognitionem obligationis inquirendi de obligatione actum ponendi aut non ponendi, ac proinde istam omissionem peccaminosam, non esse sine omni actu intellectus.

20. Obligatio ponendi actum oppositum non est necessaria ad omissionem voluntariam: cùm, se-



clusa obligatione, omissio actus, quem possum ponere, oriatur à mea voluntate ut determinante, ac proinde sit mihi libera & voluntaria : uti & Deo permissio peccati, quamvis non teneatur illud impedire.

Quæ obligatio non est necessaria ad omissionem voluntariam sed solum ad peccaminosam, de qua S. Thom.

Dices S. Thom. hic q. 6. a. 3. O. dicit, *Quia voluntas volendo & agendo potest impedire hoc quod est non velle & non agere, & aliquando debet, hoc quod est non velle & non agere, imputatur ei quasi ab ipsa existens*. R. loquitur de omissione ad culpam imputabili, ad quam haud dubiè requiritur obligatio ad actum oppositum.

Vnde seclusa obligatione actus oppositi est indifferens ad bonitatem & malitiam.

Hinc pura omissio, seclusa obligatione actus oppositi, neque est bona, neque mala: quia, cùm nihil sit, propriè non habet motivum, nec regulam, cui per se & secundùm se possit aut debeat conformari; sed solùm potest regulari per accidens regula præcipiente actum, cujus est omissio: adeoque non est à quo accipiat bonitatem, neque in illa hypothesi, à quo accipiat malitiam.

Vt effectus ex omissione sequens sit voluntarius, requiritur aliqua ejus cognitio.

21. Vt effectus ex omissione consequens sit voluntarius, requiritur aliqua ejus, ut certò vel probabiliter secuturi cognitio, saltem imperfecta: voluntarium enim est essentialiter ab intrinseco cum cognitione.

Non requiritur obligatio eum impediendi, si sequatur per se.

Quando effectus ex omissione sequitur per se, ut ex omissione sumptionis cibi fames, & debilitas, non requiritur obligatio illum impediendi ut sit voluntarius: qui enim vult causam sive positivam, sive privativam, eo ipso vult, saltem interpretativè, omnem effectum cum ea per se connexum.

Quando effectus ex omissione solum sequitur per accidens, ut submersio navis ex eo, quod Angelus ei non succurrat sicut potest, requiritur obligatio illum impediendi, ut sit propriè & simpliciter voluntarius, ita Suar. Vasq. cont. Amic. Ariag.

Secus si per accidens, ut rectè S.Th.

22. Prob. 1. ex S. Thom. hic q. 6. a. 3. O. *Sciendum quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit: sed solùm tunc cùm potest, & debet agere.*

2. Ratione à priori, quia hac obligatione seclusa,

nulla est connexio talis effectus cum omissione, ratione cujus morali æstimatione tribui possit omittenti, ut causæ ei suum esse determinanti; non enim physica, cum, ut supponimus, non sequatur per se & physicè ex omissione, sed ex suis causis independenter ab eo, quòd aliquis illum possit impedire, nec impediat: non eram moralis, cum seposita obligatione non sit, in quo fundetur.

Alioqui talis effectus non esset moraliter connexus cum omissione & omittente.

Alia est ratio de omissione, quia, cùm eo modo quo est, si à sola voluntate tanquam principio, vel immediato privativo, vel mediato aliqualiter positivo ratione connexionis cum actu voluntatis, ex quo sequitur, etiam obligatione non interveniente meritò tribuitur voluntati à qua sola suo modo oritur.

3. Et efficacius à posteriori, quia sequeretur omnia peccata esse Deo, illa non impedienti, voluntaria, cùm possit non solùm physicè seu physolophicè, ut volunt adversarii; sed etiam moraliter & theologicè seu imputabiliter; Deo enim essent libera, imo & volita, 1. quia ratio voluntarii iis inesset ab omissione illa impediendi Deo libera & volita, 2. quia voluntaria principio extrinseca eatenus sunt voluntaria, quatenùs efficaciter volita; atqui omne malum est imputabile ei; cui est liberum & volitum, cùm fundamentum imputabilitatis adæquatum sit ratio liberi & voliti.

Hinc peccata non sunt voluntaria Deo omittenti illa impedire.

Hinc rejicies, quod quidam admittunt, nempè peccata esse Deo voluntaria indirectè & permissivè: alioqui enim dici posset Deus illa velle indirectè permissivè & interpretativè, quod malè sonat.

Nè quidem indirectè & permissivè.

23. Dices præceptum impediendi effectum non movet voluntatem ad illum causandum, sed potiùs contra: ergò in eo non causat rationem voluntarii, R. dist. Conf. directè C. indirectè, quatenus facit ut habeat moralem connexionem cum voluntate liberè omittentis illum impedire, N. similiter cognitio effectus ex omissione secuturi, licet sæpè ad eam non moveat, est tamen conditio sine qua effectus non haberet rationem voluntarii, seu ita producti ut moraliter tribui possit voluntati omitentis: facit ita-

Obligatio impediendi effectum in eo causat rationem voluntarii indirectè, faciendo ut habeat connexionem moralem nō impediente,

itaque obligatio in nostro casu; ut negatio effectus v. g. non submersio navis, habeat moralem exigentiam, ut causetur ab omittente per actionem omissioni oppositam hic & nunc moraliter debitam: adeoque facit ut submersio habeat moralem habitudinem ad voluntatem omittenti, succurrere, tanquam effectus moralis per se pendens ab omissione actionis per quam debebat impediri; sicut non audire sacrum die festo per se pendet ab omissione volitionis audiendi sacrum, per quam debebat causari sacri auditio.

à quo debebat & velut exigebat impediri.

Dices 2. seclusa obligatione est connexio effectus cum omissione, ut natura priori, sivè ut cum aliquo, sine quo non esset: ergò est connexio dependentiæ tanquam à causa influente indirectè & negativè, quod sufficit ad rationem voluntarii, R. tantùm haberi connexionem per accidens in genere non impedientis; non verò in genere ullo modo causantis, ut ad voluntarium requiritur, connexio causalitatis negativæ seu subventionis ab Angelo non præstitæ, qua navis fuisset servata, non est connexio causalitatis veræ in submersionem, adeoque nec sufficientis ad rationem voluntarii propriè dicti illi tribuendam.

Ea seclusa habetur connexio in genere non impedientis, nó vero aliquo modo causantis, ut ad voluntarium requiritur.

Dices 3. effectus eo casu sequitur ex omissione per accidens, ergò omissio est illius causa per accidens. R. causam per accidens non habere veram rationem causæ, quando quidem causa essentialiter per se influat esse in effectum: unde quod per accidens ex alio sequitur, non est illius effectus: hinc omissio non potest derivare suam libertatem & rationem voluntarii in effectum solùm per accidens ex illa secutum.

Id ex quo aliud sequitur per accidens non est ejus causa, quippe, cui essentiale est per se influere.

Dices 4. quidquid non esset, nisi voluntas omitteret, habet dependentiam à voluntate seu indigentiam certi exercitii ejus libertatis ut sit: atqui effectus per accidens cum omissione connexus non habetur esse nisi voluntas liberè omitteret. Ergò pendet à voluntate & consequenter habet rationem voluntarii, consistentis in dependentia à voluntate in suo esse. R. N. mi. licet enim Angelus non esset

Effectus ex omissione libera per accidens secutus adhuc esset vi sua causa, quamvis non esset omissio libera, nec pote-

stas illum impediendi, imò nec ipse omittens, ut par. exemplo Angeli n. 21.

aut non haberet potestatem impediendi submersionem navis, & consequenter omissio eam impediendi non esset illa libera, adhuc sequeretur submersio nauis, vi tempestatis: ergò non magis dependet ab omissione Angeli quàm ab omissione chymeræ. Vndè Angelus non impediendo submersionem, non ponit conditionem sine qua non esset submersio; quia Angelo non existente, & consequenter non ponente istam conditionem negatiuam adhuc esset submersio.

Omittens cũ prævisione effectus secuturi, illum permittit; non vult.

Dices 5. qui omittit aduertens ex omissione secuturum aliquem effectum, eo ipso præcisè vult illum interpretatiuè & æquiualenter. R. N. as. solùm eo ipso vult permissionem: ut patet in Deo omittente peccata impedire. Ex his.

Vnde non est ipsi liber, cum non sit ab ejus volũtate.

24. 1. Effectus qui per accidens sequitur ex libera omissione, seclusa obligatione illum impediendi, non est liber omittenti; quia nullo modo pendet ab ejus voluntate ut à causa sive mediata sive immediata.

Est tamen in ejus potestate, ut non sit, non propriè ut sit.

2. Licet sit in potestate omittentis, ut iste effectus non existat, cum sua actione possit illum impedire: non est tamen propriè in ejus potestate facere ut existat, cùm existentia talis effectus, nullo modo ab ejus voluntate ut à causa dependeat, sed ab agentibus, ad quorum activitatem, omittens habet se merè permissivè, ut patet in Deo respectu peccatorum.

Adeoque est in actu 1. liber ad effectus permissionem & impeditionem, non ad ejus positionem &c.

3. Qui absque ulla obligatione monet nauclerum ut vitet scopulos, quibus alioqui nauis allisa certò mergeretur, est causa libera non submersionis, non est tamen in actu primo liber ad non submersionem, & mersionem navis, cùm hanc sæpe non possit ulla vi aut industria causare ponendo aut omittendo actionem; ex qua per se sequatur submersio. Solùm igitur est in actu primo liber ad non submersionem, & ad ejus permissionem, siue ad submersionem impediendam, & non impediendam, non verò ad eam causandam.

Libertas immediata est ad actionem

4. Quamuis libertas immediata quæ habetur respectu propriæ actionis sit per se loquendo ad extre-

trema opposita, nempè ad actionem ponendam & non ponendam; non sic tamen mediata, quæ habetur respectu effectus ab alio immediatè dependentis; hæc enim sæpè solum est ad opposita, hoc sensu, nempè ad unum præstandum, vel non impediendum seu permittendum, non verò ad utrumque pro libitu præstandum: quia fieri potest, & sæpè fit, ut unum contradictoriorum sit mediatè in potestate operantis & alterum non: ut patet in Deo, qui potest positivè velle & facere, ut homo non peccet; non verò ut peccet. Item in lege, quando ejus valor pendet ab acceptatione populi; tunc enim potest populus independenter à Legislatore facere ut lex non sit, seu ut non obliget; non verò ut sit.

& non actionem, me diata subinde solùm ad nō actionem & ejus permissionem.

Dixi, *per se loquendo*: quia, si Deus decrevisset mihi negare concursum ad ambulationem, casu quo ad eam me determinarem, & non negare casu quo me determinarem ad non ambulandum, haberem libertatem, ad non ambulationem, non tamen ad ambulationem; quia respectu non ambulationis haberem potentiam ad utrumque indifferentem & completam: secus respectu ambulationis.

Dari potest libertas ad non actionē sine libertate ad actionem.

5. Submersio nauis est volita ei, qui omittit illi succurrere, ex desiderio ejus submersionis; non tamen voluntaria, quia eam nec physicè, nec moraliter causat.

Effectus cum non impedienti subindè est volitus, non voluntarius.

25. Dixi sup. n. 21. *propriè & simpliciter*, quia, seclusa obligatione, hujusmodi effectus dici potest omittenti voluntarius, in sensu minùs proprio, non planè inusitato, scil. in sensu merè permissiuo, quo solùm significetur voluntariè permissus: seu non impeditus, quo sensu dicitur voluntariè ægrotare & mori, qui negligit adhibere remedia, quamuis ad ea non obligetur: hoc sensu dicit S. Tho. 3. p. q. 48. a. 1. *Christum fuisse causam suæ passionis.*

Nisi impropriè & permissivè.

Vnde patet hanc quæstionem habere multum de nomine: cùm aduersarii per voluntarium hic videantur solùm intelligere voluntariè permissum, quod est sufficiens fundamentum imputabilitatis ad culpam, supposita obligatione, quam requirunt ad imputabilitatem, non ad rationem voluntarii.

Qualiter mors fuit voluntaria Christo, & Martyribus qui non fugerunt, cùm possent.

26. Notanda pro dicendis nn. seqq. de concupiscentia & ignorantia.

Violentum est ab extrinseco resistēte passo.

1. Violentum ex Arist. 3. Ethic. c. 1. *est cujus principium est extra nihil conferente passo*. Id est per contrariam inclinationem, sivè activam, sivè passivam resistente passo, ut interpretantur S. Th. & alii sumentes contrariè ly *nihil conferente*.

Dicitur etiā respectu appetitus innati.

2. Hi termini violentum, coactum, involuntarium, necessarium subindè à PP. & antiquis confunduntur, propriè tamen loquendo inter se multùm differunt. 1. enim Violentum dicitur per respectum ad quemcumque appetitum etiam innatum; unde etiam inanimatis convenit. 2. Coactum solùm dicitur respectu appetitus eliciti, ac proindè solis cognitivis convenit: unde omne coactum est violentum, non contra. 3. Necessarium dicitur respectu principii carentis indifferentia activa, ac proinde communius est violento; omne enim violentum est necessarium, non contra, ut patet in amore beatifico, summè necessario, non tamen violento, cùm sit maximè secundùm inclinationem appetitus. 4. Involuntarium dicitur per respectum ad appetitum elicitum; sumitur dupliciter positivè, scil seu contrariè pro eo quod est contra actum efficacem appetitus, & privativè pro eo quod non est juxta actum appetitus.

Coactum respectu principii carentis indifferentiam.

Involuntarium respectu appetitus eliciti.

Voluntas nō potest propriè pati violentiam quo ad actus à se elicitos.

27. Voluntas non potest propriè & simpliciter pati violentiam quoad actus à se elicitos, quibus constituitur violens: quia eo ipso quo à voluntate eliciuntur, sunt à principio intrinseco cum cognitione, adeoque voluntarii non violenti.

Potest impropriè.

Dixi *propriè & simpliciter*: quia voluntas potest à Deo determinari ad amandum aliquod objectum contra expressam nolitionem illud amandi, quo casu iste amor erit violentus & involuntarius secundùm quid. Similiter volitio qua quis quidpiam facit invitus est involuntaria secundùm quid.

Imò & propriè quo ad cessationem ab actu.

Potest voluntas simpliciter pati violentiam, sed à solo Deo, quo ad cessationem à suis actibus, ut si negetur illi concursus ad amandum, cùm hic naturaliter debetur, aut expressè vult amare.

Po-

Potest pati violentiam quo ad actus imperatos materialiter, id est quoad actus potentiarum, quibus potest & solet imperare: patet in motu, quo movetur ab extrinseco manus hominis contra ipsius voluntatem, 2. in sensibus externis, ut cùm quis cogitur videre & audire quæ non vult. 3. In sensibus internis, appetitu sensitivo, & intellectu, in quibus frequenter homo habet actus imaginationum, appetitionum, & apprehensionum contra suam voluntatem, qui actus sunt simpliciter homini violenti & involuntarii; quia, licet sint juxta inclinationem appetitus sensitivi, sunt tamen contra appetitum rationalem, à quo, utpote principaliori, sumitur denominatio violenti, & involuntarii.

Item quo ad actus imperatos materialiter, id est, potentiarum quibus solet imperare.

Potentia motiva non potest a causa creata cogi ad motum vitalem producendum contrà, aut citra inclinationem appetitus rationalis, aut sensitivi; quia illi ita subest, ut non possit (saltem naturaliter) exire in actum nisi illo impellente aut applicante: unde quo ad actus hujus potentiæ non potest homo propriè pati violentiam nisi à Deo, qui solus potest immediatè etiam contra voluntatis imperium, nostram potentiam motivam ad actum determinare.

Non tamen quo ad motũ vitalem potentiæ motivæ, nisi à Deo.

28. Quæ metus causa fiunt sunt mixta ex voluntario & involuntario; plus tamen habent de voluntario: cùm enim procedant à voluntate, spectatis omnibus, absoluta & efficaci, sunt simpliciter voluntaria, & involuntaria secundùm quid, quatenus ordinariè connotant in voluntate affectum inefficacem illis repugnantem; quod patet in jactura mercium metu naufragii.

Quod fit ex metu est voluntariũ absolutè, & ordinariè involũtarium secundum quid.

Dixi *ordinariè*, quia fuga peccati ex metu gehennæ non connotat, nec patitur affectum contrarium etiam inefficacem; alioqui enim non esset honesta, sed peccaminosa ex metu servili à PP. damnato.

Non semper, ut patet in efficaci fuga peccati.

Hinc metus minuit peccatum, non tamen planè tollit, saltem in iis, quæ sunt contra legem naturalem & Divinam, quia semper relinquit rationem voluntarii simpliciter.

Metus minuit peccatũ non tollit.



Cõcupiſcentia per ſe loquendo cauſat voluntarium ſimpliciter.

29. Quod fit ex concupiſcentia per ſe loquendo eſt ſimpliciter voluntarium, nullo modo inuoluntarium, etiam ſecundùm quid, cùm concupiſcentia hic aliud non ſit quàm actus appetitus ſenſitivi antecedens actum voluntatis, eamque inclinans ad bonum delectabile, quæ ex illa fiunt, per ſe loquendo, non fiunt cum reſiſtentia affectus contrarii, ſed potiùs cum ſuavitate; & totali inclinatione voluntatis à bono delectabili ita illectæ, ut quod facit, faciat ſine repugnantia, cum gaudio & libentia: ergo non ſunt ullo modo inuoluntaria.

Non involuntariũ ſecundũ quid.

Dixi, *per ſe loquendo*, quia ſubinde concupiſcentia per accidens cauſat inuoluntarium ſecundùm quid; ut cùm quis ex concupiſcentia peccat contra remorſum conſcientiæ.

Quia non movet ad minus malũ ad vitandum majus, ut metus, ſed ad bonum delectabile, ad quod voluntas habet propenſionem.

30. Metus mouet ad electionem minoris mali ad vitandum majus, & ideò ordinariè cauſat inuoluntarium ſecundùm quid, nempe electionem mali, à quo (abſtrahendo ab eo quod hic & nunc ſit neceſſarium ad evaſionem majoris mali) voluntas habet averſionem: contra verò concupiſcentia mouet ad proſecutionem boni delectabilis qua talis, ad quod voluntas de ſe habet propenſionem & ideò per ſe loquendo non cauſat inuoluntarium ſecundùm quid, ſeu connotando affectum inefficacem contrarium actui, quem cauſat, ſicut facit metus.

Vnde auget voluntariũ, licet minuat liberũ quatenus augendo voluntatis inclinationem, minuit ejus indifferentiam, ut eſtè S.Th.

Concupiſcentia minuit liberum quatenus minuit indifferentiam voluntatis, illam rapiendo in unam partem, & faciendo ut intellectus minùs conſideret rationes in oppoſitum; non tamen minuit, ſed potiùs auget voluntarium ut ſic, quia auget inclinationem voluntatis in objectum, ad quod trahit, tum faciendo, ut ejus delectabilitas magis apprehendatur, & minùs attendantur rationes in oppoſitum; tum ratione ſympathiæ, quam inter ſe habent appetitus in eadem anima radicati, per ſe immediatè voluntatem inclinando in id, ad quod ipſa fertur.

Cùm S. Th. hic, q. 77. art. 6. & docet, *quod concupiſcentia, ſeu paſſio ſecundùm quod precedit actum peccati, minuit peccatum in quantum minuit volun-*

luntarium; sumit voluntarium pro libero, quod, licet sit quasi species voluntarii, potest minui ratio liberi, aucta ratione voluntarii, quia hæc petitur ex propensione voluntatis, illa, ex indifferentia ejus activa quæ potest minui, imò (ut patet in amore beatifico) totaliter tolli illa remanēte integra, imò & aucta.

31. Concupiscentia minuit esse ab intrinseco cum cognitione, in ordine ad liberum; non in ordine ad voluntarium, quia licet minuat considerationem rationem in oppositum, adeoque & indifferentiam judicii, & consequenter faciat ut operatio minùs procedat ab active indifferenti, se ipsum determinante, quod requiritur ad rationem liberi: non tamen minuit, sed auget cognitionem delectabilitatis objecti & inclinationem voluntatis in illud, ex quibus solis petitur ratio voluntarii, ut patet in voluntario necessario. Auget cognitionem motivi ad amorem boni delectabilis, minuit cognitionem motivi ab eo avertenti.

Quod fit ex concupiscentia, est ab extrinseco mediate, non immediatè, quandoquidem concupiscentia, quæ est extrinseca voluntati, eam non moveat se ipsa immediate in illa producendo actum aut aliquid ipsam determinans, sed tum per sympathiam, tum præcipuè mediante fortiori apprehensione objecti delectabilis, ex qua sequitur major inclinatio voluntatis, qui modus procedendi ab extrinseco non repugnat, sed maximè convenit rationi voluntarii; quod essentialiter est a voluntate cum cognitione objecti. Quod fit ex concupiscentia, quæ est voluntati extinseca fit ab extrrinseco mediate, non immediatè.

Concupiscentia minuit meritum & demeritum, cum minuat liberum; hoc Suar. extendit ad consuetudinem & habitum, imò & ad gratiam, subindè tanta suavitate & interna consolatione allicientem ad honesti amorem ut minùs advertantur rationes in oppositum.

32. Ignorantia pertinens ad voluntarium triplex est. Antecedens, quæ non sequitur voluntatem ut ejus effectus, adeoque nullo modo est voluntaria, & antecedit, opus ut aliquo modo ejus causa, tamquam removens prohibens; quia si adesset scientia ei opposita, opus non fieret, ut, cum quis explodens in naves adhibita sufficienti diligentia, ne quēquam lædat, Ignorantia antecedens non causatur à voluntate, & causat opus.

lædat, interficit amicum, quem non occidisset, si scivisset ipsum latere post sepem.

Concomitans nec causatur nec causat.

Concomitans, neque est voluntaria, adeoque non sequitur voluntatem ut ejus effectus, neque antecedit opus ut ejus causa; quia licet abesset æquè opus fieret, ut cum explodens, in hyppothesi casus præcedentis, interficit inimicum, quem si scivisset ibi latere, etiam interfecisset.

Consequens causatur à voluntate si causet opus est antecedens secundùm quid, si non, est concomitans secundùm quid.

Consequens aliquo modo sive directè & formaliter, sive indirectè & virtualiter est voluntaria, adeoque sequitur voluntatem ut ejus effectus; quod si præcedat opus ut ejus causa. dicitur antecedens secundùm quid, si autem non sit causa operis, vocari potest concomitans secundùm quid.

Ignorantia affectata est studiosè quæsita, crassa est orta ex gravi negligentia, non crassa ex levi.

Ignorantia consequens alia est directè voluntaria, & dici solet affectata, ut cùm quis expressè omittit inquirere de suis obligationibus, ut eas absque remorsu conscientiæ non servet. Alia indirectè voluntaria, ut cùm quis simpliciter omittit diligentiam, quam adhibere potest & debet. Hæc subdividitur in crassam, qualis est, cùm nulla aut pro rei gravitate valde exigua adhibetur diligentia, & in non crassam ad quam depellendam adhibita est quidem aliqua diligentia, sed insufficiens. Dicitur vincibilis; quia morali diligentia facile vinci seu pelli potest.

Invincibilis & justa est, quæ moraliter vitari nequit.

Ignorantia antecedens vocatur justa, probabilis, invincibilis, id est morali diligentia inevitabilis, vel quia nunquam venit in mentem dubitatio etiam confusa de opposito; vel si venerit, quia adhibita diligentia, pro rei qualitate, sufficienti depelli non potuit.

Absolutè antecedens causat involuntarium.

33. Ignorantia omninò antecedens juxta Damas. S. Th. & alios communissimè causat involuntarium simpliciter quoad circumstantias ignoratas: quia facit ut actio secundùm illas non procedat à voluntate cum cognitione; imò & repugnat efficaci affectui voluntatis, quo operans actu vel habitu sic est affectus, ut si sciret post sepem latere amicum, in eam non exploderet; unde explosionem facit involuntariè, non quo ad substantiam explosionis,

sionis, sed quoad circumstantiam explosionis in talem sepem, ex qua sequitur occasio amici. Hujusmodi ignorantia excusat a peccato & censuris actioni secundùm circunstantias ignoratas annexis.

Ignorantia concomitans non facit voluntarium nec involuntarium positive: quia actio quo ad circumstantias sic ignoratas non est expresse & formaliter voluntaria in se, cùm ut sic non sit cognita; neque etiam implicite aut virtualiter, in ipsa ignorantia, cùm hæc non sit voluntaria. Vnde hujusmodi ignorantia solùm causat involuntarium privative seu non voluntarium in subjecto capaci, cùm nullum connotet affectum in operante actioni contrarium. Hinc qui cum tali ignorantia occidit Clericum sibi inimicum, in cujus nece sibi complacet, non incurrit censuram, quia licet ista cædes sit ei volita non tamen est voluntaria.

Concomitans non causat voluntarium nec involuntarium positivè, sed involuntarium privativè.

34. Ignorantia consequens facit voluntarium simpliciter: cum enim sit simpliciter voluntaria, actio morali judicio æque imputatur voluntati operantis, ac si poneretur ex scientia. Si tamen sit antecedens secundùm quid seu causa actionis, facit involuntarium secundùm quid, quia eo casu operans est actu vel habitu sic affectus, ut si haberet scientiam circumstantiæ ignoratæ actionem non poneret; adeoque est aliquo modo contra inclinationem voluntatis, & consequenter involuntaria secundùm quid, ac proinde minùs peccaminosa.

Consequens causat voluntarium simpliciter & subinde involuntarium secundum quid cùm nempe est causa operis.

35. Voluntas extendit se ad finem & media, quæ, uno & eodem actu, potest attingere media propter finem, ut objectum formale.

Omnis volitio est finis aut medii, quando objectum ei proponitur distinctè secundùm suam propriam bonitatem, quæ necessariò est absoluta, aut respectiva. si verò proponatur ut bonum, abstrahendo à bonitate absoluta seu propter se & respectiva, seu propter aliud, poterit attingi actu, qui nec sit finis, nec medii determinate, sed utriusque indeterminate & sub disiunctione.

Omnis volitio est finis vel medii, nisi objectum proponatur abstrahendo à bonitate absoluta & respectiva.

36. Voluntas non potest, etiam de potentia absoluta vitaliter procedere aut continuare ullam voli-

tio-

Repugnat volitio objectissimæ prævia ejus cognitione, est Aug. Ber. contra Gers. Bonav.

tionem sive prævisa cognitione objecti, ita cum Arist. 3. de anima tex. 54. S. Th. & alii communissime cont. Gerson. Argent. Bonavent. & quosdam Contemplativos. Prob. ex PP. Aug. 10. de Trin. cap. 1. *firmissimè novimus amari, nisi nota, non posse*. Bern. de gra. & lib. arb. *voluntas nunquam movetur absque ratione*, quibus similia habet Ansel. monolog. c. 48. & lib. de concord. præscien. & prædest. ratio est quod voluntas essentialiter requirat objectum præsens, non realiter ut patet; ergo intentionaliter per cognitionem.

Dionys. ad unionem cũ Deo non excludit omnem cognitionem, sed solùm rerum creatarum.

Cùm Dionys. c. 1. de Mystic. Theol. dicit: *ei qui Deo perfectè uniri cupit; deponenda sunt omnia cognitionis subsidia, & intrandum in mysticam ignorationis caliginem, ut hoc ipso præstantius Deo uniatur, quod nihil de ipso cognoscit*, solùm vult contemplativum, ut perfectè Deo uniatur, debere quantum potest mentem suam abducere à cognitione rerum creatarum, removendo earum imperfectiones à Deo, v. g. dicendo quod Deus non sit substantia sicut nos &c. ita ut potiùs sciatur quid non sit, quam quid sit, quod appellat doctam ignorantiam, à qua tamen non excludit omne genus cognitionis, ut patet ex his ejus verbis in fine ejusdem c. *atque hoc ipso quod nihil cognoscit, mentem etiam cognoscendo vincit ac superat*.

Experientia extasicorum est deceptio, qua ex facilitate piorũ affectuum putant se nihil cogitare.

Experientia Contemplativorum asserentium experiri se in extasi nihil cogitare, manifesta est deceptio, si nihil enim cogitent qua cognitione experiuntur se nihil cogitare. Hæc autem deceptio oritur ex summa facilitate qua pios affectus concipiunt ex tenuissima cognitione, ad quam non magis reflectunt quam citharœdus peritissimus ad cognitiones dirigentes motus manuum, quibus artificiosè pulsat citharam.

Cognitio est conditio essentialis ad volitionem, etiam qua voluntas vult suos a-

Intellectio est quidem solùm conditio ad volitionem, sed essentialis, cùm sit vitalis præsentatio objecti reductive pertinens ad genus causæ formalis à Deo insupplebilis.

Voluntas vult omnes suos actus virtualiter & exercitè, qui proindè sunt præcogniti non quidem for-

formaliter & explicitè; sed virtualitèr & implicitè per cognitiones, quibus objecta proponuntur ut appetenda.

ctus in actu exercito.

37. Cognitio intellectiva prærequiritur ad actum voluntatis, cùm enim sensitiva sit & materialis, non est proportionata ad movendam voluntatem spiritualem ita DD. communiùs. Quod videtur certum respectu actuum meritoriorum; cùm sola cognitio intellectiva possit repræsentare bonitatem & malitiam moralem. Ad volitiones inefficaces sufficit cognitio apprehensiva, ut patet cùm quis desiderat fieri Angelus, quod scit esse impossibile: ad efficaces ex communiori requiritur judicativa, saltem æquivalenter qualis est apprehensio intuitiva; aut experimentalis; se ipsa intellectum de objecti existentia æquè assecurans ac judicium.

Sensitiva est improportionata & insufficiens ad actum voluntatis spiritualem saltem meritorium cum non possit repræsentare bonitatem moralem saltem supernaturalem.

38. Cognitio non concurrit ad volitiones effective physice, ut volunt Palud. Greg. Less. sed solùm objective ut quo, vel effective moraliter seu in genere causæ finalis ita Suar. Vasq. cum Scot. & aliis Prob. ex S.Th. hic q. 9. a.1.O. ubi ait *intellectum movere voluntatem, sicut præsentans ei objectum suum*, & 1. p. q. 82. a. 4. *voluntatem moveri ab intellectu per modum finis*. Ratio est quod voluntas, supposita præsentatione objecti per cognitionem sit per se sufficiens ad volitiones in genere causæ efficientis.

Cognitio non causat volitiones effectivè, sed objectivè ut quo.

34. Voluntas non movet potentias sibi subjectas ad eorum actus effective ut videtur sentire Scot. 2. dist. 42. sed tantùm efficaci imperio, quo potentiæ inferiores ratione subordinationis & radicationis in eadem anima (quæ probabiliter etiam se ipsa immediatè cum omnibus potentiis efficienter concurrit) ad suas operationes determinantur. Ita Cajet. Vasq. & alii communius, quia non est ratio dicendi singulas potentias non esse se ipsis sufficientes in genere causæ efficientis ad suas operationes vitales.

Voluntas movet potentias inferiores non physicè sed imperio efficaci ratione subordinationis.

Voluntati autem quo ad suas operationes subjiciuntur. 1. sensus externi, sed solùm mediate quatenus potest voluntas, mediante potentia motiva, per objecti applicationem aut sublationem eas ad operatio-

Ei subiiciuntur sensus externi mediatè, sensus internus

ratio.

rationem aut cessationem determinare. 2. sensus internus, appetitus sensitivus & intellectus, immediatè quidem ei subjiciuntur, sed solùm civiliter id est sicut possint ei resistere. 3. Potentia loco motiva, & hæc despoticè, seu serviliter, id est sic ut semper & necessariò sequatur imperium voluntatis, cui potentiæ vegetativæ nullo modo subjiciuntur.

appetitus & intellectus immediatè, sed solùm civiliter potentiæ motiva despoticè.

Operatio potentiæ inferioris imperata determinatur ad actualiter dependendum ab actu voluntatis imperante vel per hoc, quod Deus concurrat ad illam intuitu hujus, vel per hoc, quod simul existant & hæc non sit illa prior natura, ut divinitus esse potest.

Voluntas movetur ab appetitu indirectè mediante intellectu, & immediate per sympatiam.

40. Voluntas movetur ab appetitu sensitivo. 1. indirectè mediante actu intellectus, quatenus passio per alterationem & commotionem organorum, aliamve dispositionem facit ut vehementiùs apprehendatur objecti delectabilitas, aut repugnantia cum sensu & minùs advertatur ejus inhonestas &c. 2. immediate per sympathiam, & consensionem appetituum radicatorum in eadem anima, quæ, cùm per potentias sensitivas sentiat & appetat delectabilia, faciliùs inclinatur ad eadem attingenda per potentias rationales.

Movetur à Deo per inclinationem ipsi inditam ad bonum in communi ex qua movet se ipsam ad bonum in particulari ut rectè S. Th. hi. q. 9. a. 6. ubi prædeterminationi physicæ manifestè adversatur, non favet.

41. Voluntas movetur a solo Deo tanquam ab exteriori principio quia motus naturalis non potest oriri ab aliquo principio extrinseco, quod non sit causa naturæ, solus autem Deus est causa voluntatis ita S. Tho. hic q. 9. a. 6. ubi certò non agit de motione per prædeterminationem physicam, ut volunt Prædeterminatores, 1. quia motionem de quà ibi loquitur, solùm requirit ad primum motum voluntatis in finem, ut eadem q. a. 4. cùm tamen motio prædeterminativa juxta ejus assertores, requiratur ad omnem omninò actionem creaturæ. 2. quia ibi declarat Deum movere voluntatem, sicut generans scilicet dando naturam & inclinationem in motum. 3. quia ad 3. sic loquitur. *Dicendum quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle, sed*

homo per rationem determinat se ad hoc vel illud, quòd est verè bonum vel apparens; sed tamen specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, quæ constat non posse intelligi de prædeterminatione physica, cùm hæc non sit productio voluntatis, nec naturalis inclinatio ipsi indita ad bonum in communi, qua præsupposita potest se ipsam determinare ad bona in particulari, neque sit motio quæ solùm datur ad volitiones bonas, ut est illa de qua ibi S.D. qui proinde solum vult proprium esse Dei movere voluntatem, quia ipse solus creat animam, eique per naturalem resultantiam dat voluntatem cum naturali inclinatione ad bonum in communi, in qua fundatur omnis electio libera, qua voluntas se determinat ad hæc vel illa bona in particulari.

Cum Dei motionem solùm requirat ad 1. motum voluntatis, non ad omnes, ut volunt Prædeterminatores.

Pro his V. Petrum à S. Ioseph in defensione S. Th. cont. Prædeterminatores, Eximium Dominum de Cerf. in controversia de mente S. Th. circa prædeterminationem physicam, meum Phylalethen Eupistinum de authoritate contra prædeterminationem physicam pro scientia media & authoritatem contra prædeterminationem physicam novis PP. Prædicatorum suffragiis à me stabilitam, ac præsertim suffragio R. P. F. Iosephi de Vita, cujus extractum ibi fideliter exhibuit.

Pro quo V. Petrum à S. Ioseph. Hen. de Cerf. Philalethen Eupistinum, Ioseph de vita.

42. Voluntas in hac vita juxta S. Th. hic q. 1. a. 2. *à nullo objecto movetur ex necessitate quo ad exercitium*, quia potest homo è quocumque objecto non cogitare actu & consequenter nec illud velle: movetur tamen ex necessitate quo ad specificationem à bono in communi, in eo enim nulla apparet ratio mali qua moveri possit ad ejus odium, etiam movetur ex necessitate ab appetitu sensitivo; cùm ratio totaliter absorbetur à passione; à Deo autem movetur conformiter naturæ suæ, id est sic ut, cùm de se indifferenter se habeat ad multa, eam non determinet ad unum ex necessitate. Hinc ut vides, etiam hac quæstione S. Th. non favet sed adversatur prædeterminationi physicæ.

Voluntas in hac via à nullo objecto necessitatur quo ad exercitium, sed solùm quo ad specificationem à bono in communi.

§. IV.

§. IV.

Liberum arbitrium in natura lapsa.

Liberum variè accipitur.

43. LIberum variè accipitur apud PP. & DD. 1. pro immuni ab obligatione serviendi alteri. 2. pro immuni ab obligatione peccati ad Rom. 6. 3. pro immuni à necessitate motuum concupiscentiæ, labendi in venialia & à cœteris hujus vitæ miseriis. 4. pro immuni à violentia & coactione. Hoc sensu accipitur ab Aug. de lib. arbitrio l. 3. c. 3.

Nempe pro libero à servitute hominis, à peccato, à concupiscentia, à coactione, & à necessitate.

Et à S. Th. de poten. q. 10. a. 2. ad 5. ubi dicit quod Deus libere amet se ipsum, & quod Pater & Filius liberè spirent Spiritum S. Item de verit. q. 42. a. 1. ad 2. ubi docet quod homo erga ultimum finem habeat liberam voluntatem. 5. pro immuni à necessitate antecedente.

Libertas à peccato est libertas gratiæ, à coactio ne est libertàs naturæ seu essentialis à necessitate est libertas indifferentiæ.

Iuxta has 5. acceptiones 5. numerantur species libertatis, prima est libertas a servitute hominis. Secunda à servitute peccati, quæ vocatur libertas gratiæ. Tertia à servitute corruptionis & miseriæ hojus vitæ, quæ dicitur libertas gloriæ. Quarta à coactione, quæ dicitur libertas naturæ seu essentialis, quia essentiale est volitioni vitali ut sic non fieri coacte seu ab extrinseco remittente passo. Quinta à necessitate antecedente quæ dicitur libertas indifferentiæ.

PP. & DD. antiqui sæpè has voces, liberum & voluntarium sumunt pro eodem, uti & has necessarium, coactum, quæ tamen in propria & strictiori significatione, quia usurpari solent ab aliis qui scripserunt post hæreses Luth. & Calv. multum differunt ut patet ex dictis sup. n. 13.

Liberum arbitrium convenit homini in statu naturæ lapsæ.

44. Liberum arbitrium convenit homini, non solùm in statu naturæ integræ, quod contra Simonem Magum & alios veteres hæreticos concedunt Luth. Calv. &c. sed, quod hi negant, etiam in statu naturæ lapsæ. Est de fide 1. ex Script. Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui; adjecit mandata, si volueris ea servare, conservabunt te*: ubi manifestè significatur quod libertas insit homini in statu naturæ lapsæ, cùm præsentes, ad quos dicit, hortetur ad bonum

num uſum ſuæ libertatis 2. Trid. ſeſſ 6. can.5. *ſi quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit anathema ſit*. 3. Ex PP. Auguſt. l. de quantitate animæ c. ult. *datum eſt animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis rationibus labefactare nituntur, uſque adeò cœci ſunt, ut ne iſta ipſa quidem vana & ſacrilega voluntate propria ſe dicere intelligant*.

Hiſt. de fide cont. Luth. Calvin. ex Script. PP.

Vnde Enchir. cap. 30. ubi ait: *libero arbitrio malè utens homo, & ſe perdidit & ipſum; nam cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato eſt amiſſum liberum arbitrium*: ſolùm vult contra Pelagian. perditam eſſe libertatem à ſervitute peccati & diaboli; donec liberet gratia Chriſti; Item perditam eſſe libertatem à neceſſitate patiendi pravos motus concupiſcentiæ, admittendi venialia, ſuccumbendi gravibus tentationibus, niſi adſit ſpeciale Chriſti adjutorium &c. hunc autem eſſe ejus ſenſum patet ex l. 1. cont. duas epiſt. Pelag. cap.2. *libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo fuit habendi plenam cum immortalitate juſtitiam*.

Et præſertim Auguſt. qui ſolùm vult peccato primi hominis perditam eſſe libertatem à ſervitute peccati, diaboli, & concupiſcentiæ.

Dices Iſaias cap. 41. ait: *benè quoque aut malè ſi poteſtis facite*: R. non loquitur hominibus ut impudenti Script. abuſu obiicit Luth. ſed Idolis, ut patet ex his immediatè ſequentibus: *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos*.

Iſai. falſis Diis non hominibus negat poteſtatem benè vel malè faciendi.

45. Liberum arbitrium prout convenit homini etiam in ſtatu naturæ lapſæ, non conſiſtit in libertate eſſentiali, ſeu à coactione & violentia; ſed in libertate indifferentiæ ad oppoſita, ſeu in libertate à neceſſitate abſoluta & antecedente, eſt etiam de Fide cont. Ianſ. Iprenſ. qui quidem contra Calv. docet in utroque ſtatu homini convenire libertatem, ſed in ſolo ſtatu naturę integræ libertatem indifferentiæ; in ſtatu verò naturæ lapſæ (quo ad ea quæ ſunt virtutis & vitii) ſolùm libertatem à coactione: quod multis probare conatur l 6. de gratia Chriſti Saluatoris præſertim cap.6. cui hunc titulum præfigit, *duplex neceſſitas Auguſtino coactionis & ſim-*

Convenit natura lapſa libertas in differentia non ſola eſſentialis ut vult Ianſ.

plex seu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati.

Cujus hæc doctrina damnata est ut hæretica ab Innoc. X. & Alexand. VII.

Hanc verò Ianfenii doctrinam damnatam esse & hæreticam patet tum ex constitutionibus Pii V. & Gregor. 13. damnantium hanc propositionem Mich. Baii: *sola violentia repugnat, libertati hominis naturali*, tum maximè ex constit. Innoc. X. qui hanc 5. Iansf propositionem *ad merendum & demerendum in statu natura lapsa, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione;* hæreticam declarat, & uti talem damnat: quam damnationem Alexand. VII. contra (ut ipse loquitur) *iniquitatis filios* asserentes dictas propositiones non esse Ianfenii an. 1656. 17. Kal. Nouemb. confirmauit his verbis; *Innocentii X. constitutionem declarationem, definitionem, confirmamus, approbamus & innovamus, & 5. propositiones ex libro Ianfenii excerptas iterum damnamus.*

Estque apertè contraria Auguft. qui iniquitatis, & insania eos arguit qui docent peccari in eo, quòd vitari non potest.

46. Nostra verò doctrina de libertate indifferentiæ homini competente in statu naturæ lapsæ est aperta Auguft. l. de duabus animabus cap 12. vbi ait: *peccati reum teneri quemquam quia non fecit quod facere non potuit summa iniquitatis est & insania: quamobrem illa anima quidquid faciunt, si natura non voluntate faciant, id est si libero ad faciendum & non faciendum motu animi carent, si denique abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato eorum teneri non possumus, si ita coguntur ut resistendi potestas nulla sit, non peccant.* Quæ intelligenda esse de libertate à necessitate patet ex illis *ad faciendum & non faciendum &c.* & etiam extendi ad hominem lapsum liquet, tum ex eorum generalitate; tum ex illo *teneri non possumus*. Item ex l. 3. de lib. arb. c. 18. *quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur. An tanta fallacia est ut caveri omnino non possit, si ita nulla peccata sunt? Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest.* Peccatur autem (nempè etiamnum natura lapsa) caveri igitur potest.

Quia inquit, sine peccato ceditur ei cui resisti non potest.

Cùm igitur ibidem dicit *sunt etiam necessitate facta improbanda, vt ibi vult homo rectè facere & non*

non potest. Solùm vult illa esse mala objectivè & materialiter. Dum verò subjungit: *cùm autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa sc. in qua homo factus, loquimur*; agit de voluntate libera à resistentia partis inferioris, aliisque miseriis ex primi Parentis peccato secutis, de quibus sup. num. 41. utrumque patet ex adjunctis eodem c. & seq.

Quædam ex necessitate facta dicit esse mala sc. materialiter non formaliter.

47. Dices 1. Aug. l. 1. retract. c. 3. explicans hæc verba: *peccatum usque adeo voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: à se dicta l. de vera Relig. cap. 14. sic loquitur *Peccatum illud cogitandum est, quod tantummodò peccatum est, non quod est etiam pœna peccati*, ergò ex ejus mente solùm peccatum primi hominis est voluntarium seu liberum, adeoque in natura lapsa non remanet libertas. R. in seq. 1. Quia Aug. de vera Relig. cit. non loquitur de solo peccato Adami, sed etiam de nostris cùm ibidem dicat: *Si non voluntate malè facimus, nemo objurgandus omninò*. 2. Quia August. per peccatum. *Quod est etiam pœna peccati*, intelligit peccatum originale, quod antonomasticè dicitur *pœna peccati*, quia secum adfert ignorantiam, concupiscentiam, & pœnalitates corporis, ob quas licet transeat reatu, dicitur remanere actu. Hinc August. originale frequenter vocat *pœnam peccati*: ut lib. 1. de nup. & concupisc. cap. 17. & l. cont. duas Epist. Pelagian. c. 13.

Soli 1. homini tribuit libertatem à resistentia partis inferioris, non libertatem indifferentię. Per peccatum quod simul est pœna peccati, cui negat libertatem, intelligit peccatum originale non nostro. Propter, quæ inquit non essemus objurgabiles si non fierent liberè.

Dices 2. August. lib. 2. de Civit. cap. 10. ait: *Si illa definitur necessitas secundùm quam dicimus: necesse est ut ita sit aliquid, vel ita fiat: nescio cur eam timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim & vitam & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus: necesse est Deum semper vivere, cuncta præscire*. R. August. nobis ibi non adversari, cùm manifestè loquatur de necessitate consequente, aut concomitante, secundùm quam, *Quidquid est, posito quod sit, necesse est esse*.

Aug. solùm vult necessitatem consequentem non officere libertati.

Id declarat exemplo vitæ Dei. sitæ in actu secundo intelligendi & volendi, qui est expeditus, ab omni necessitate antecedente, si spectetur prout se

Id declarat exemplo vitæ, id est scientiæ, & volitionis. Dei liberæ respectu contingentium, quam

extendit, ad objecta contingentia, licet sit necessarius quatenus attingit necessaria; quòd divinæ libertati nihil officere ostendit de nat. grat. cap. 46. ubi rejicit illud Pelagij: *Voluntatis arbitrio privatur quidquid naturali necessitate constringitur*: nempè hoc sensu, quòd falsum sit, illud in omnibus libertate carere quod in aliquo necessitate constringitur. Vndè additur: *Neque dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere justitiæ, quia non potest velle peccare*: quia scilicet Deus liber est quo ad exercitium circa justa particularia, quamvis non possit velle peccare; uti & voluntas nostra circa beatitudinem, licèt non possit eam nolle.

Vis necessaria respectu necessariorū.

Vnde necessitatus quo ad aliqua objecta potest esse liber quoad alia.

Sicut subinde August. Bern. S. Thom. Scot. aliique DD. liberum sumunt latè pro voluntario, ut cùm dicunt. *Spiritum S. procedere à Patre & Filio liberè, Deum liberè seipsum, & Beatos liberè Deum amare*; ita sæpè voluntarium sumunt strictè pro libero, & sæpissimè voluntatem pro libera & naturæ opposita. Quo sensu eam usurpat Aug. de spir. & lit. cap. 31. & l. 1. retract. cap. 9. *Nihil tam in nostra potestate quàm ipsa voluntas est; ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est*: & lib. 3. de lib. arbit. cap 3. *Voluntas est in nostra potestate, quia fit cùm volumus*. Quibus non intendit significare omnem volitionem, etiam necessariò elicitam esse liberam; sed eam solùm, quæ est à voluntate ut voluntas est, quæ ut sic inquit S. Th. qu 2. de poten. art. 3. cùm sit libera, ad utrumlibet se habet.

August. Damas. Bern. aliique PP. sæpè liberū sumunt, late pro voluntario & voluntarium strictè pro libero & sæpissimè voluntatem pro libera & natura opposita.

Eodem sensu intelligendi sunt Damas. lib. 3 de Fide cap. 27. *PP. Liberum arbitrium esse voluntatem definierunt*: & infra *Arbitrii libertas, nihil est aliud quàm voluntas*. Ansel. lib. 2. cur Deus homo cap. 10. *Omnis potestas sequitur voluntatem, cùm enim dico quia possum loqui, subauditur si volo*. Bern. de gratia & lib. arb. *Vbi quippe necessitas, jam non est voluntas*: & infra, *Porrò ubi voluntas ibi libertas*. Item Hug. Rich. Bonav &c.

Vnde non volunt omnem volitionem esse liberam.

48. Dum ergo Aug. variis locis significat solam coactionem officere libertati, quam l. de duabus

ani-

animabus c. 12. definit, *animi motum cogente nullo*, coactionem non sumit stricte pro violentia proprie dicta (qualiter repugnat actibus à voluntate elicitis) sed late pro necessitate antecedente. Quo sensu Bern. l. de grat. & lib. consensum liberum dicit esse illum: *Qui non cogitur, nec extorquetur*, & Magist. in 2. dist. 25. docet: *Liberum dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate potest appetere*. Item S. Thom. eadem dist q. 1. art. 4. ait: *Liberum arbitrium dicitur ex eo quòd cogi non potest*, quod verò per cogi intelligat necessitati, manifestum ex his qu. 6. de malo ar. unico: *Quidam posuerunt quòd voluntas hominis ex necessitate moveretur ad aliquid eligendum; neque tamen ponebant quòd voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum*. De qua sententia continuò sic censet: *Hæc autem opinio est hæretica*: tollit enim rationem meriti & demeriti ab actibus humanis.

Cum Aug. Ber. S Thom. dicunt libertati solam coactionem repugnare, eam accipiunt latè pro necessitate, non strictè pro violentia.

49. Dices cum Iansf. post VViclef. & Luth. sic arguente l. 6. de gra. Chri. c. 35. *Illud est in potestate nostra, quod fit dum volumus*, ut docet August. l. de lib. arb. c. 3. ubi ait: *voluntas est in nostra potestate, quia fit cùm volumus*, & l. de spir. & lit. c. 30. & 1. retract. c. 9. citato sup. nu 47. Et lib. 2. retract. c. 1. *Non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cùm volumus, fit*. Atque omnis volitio, etiam necessaria, modò sit voluntaria & non coacta, *fit, cùm volumus*, ergo est in nostra potestate, & in nostro dominio, ergo nobis libera. R. dist. maj. *Illud est in nostra potestate, quod fit dum volumus*, id est quando absque necessitate antecedente ex propria voluntatis determinatione volumus C. id est quando volumus aliquid quomodocumque, etiam necessariò & voluntate aliunde quàm à se antecedenter determinata sic N. jam verò omnis volitio etiam necessaria *fit cùm volumus* non priori sensu, sed solùm posteriori ad libertatem non sufficiente. Quod autem major tantùm sit vera, & ab Aug. allata in sensu à nobis admisso, manifestum est 1. Ex communi usu tum Doctorum, tum Indoctorum non aliter ejusmodi propositiones admittentium. 2. Ex Aug. l de spir. & lit. c. 31.

Iuxta Aug. liberum est quod fit cum volumus ex determinatione propria non ex aliena.

Hoc quisquis in potestate habere dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit, id est, in sensu plano & obvio passim recepto, respectu cujus habet indifferentiam ad utrumlibet.

Quod quis potest, si velit, hoc est ipsi liberum si hoc velle sit in ejus potestate, aliàs non.

Inst. Quod quis potest *si velit*, hoc simpliciter habet in sua potestate, adeoque sufficienter ad libertatem: atqui necessitatus ad amandum potest non amare, *si* hoc efficaciter *velit*. Ergo liberè amat.

R. Hanc conditionem *si velit* non amare respectu necessitatis ad amandum esse impossibilem, adeoque possibilitatem non amoris sub ista conditione impossibili esse chimericam & pridem explosam ut cavillatoriam à Catholicis contra VVicleff. Deinde istius argumentationis nullitas patet ex eo quòd alioqui sequeretur Beato, imò & Deo, liberum esse peccare, quia Beatus potest peccare si velit, peccaret enim si vellet peccare; similiter & Deus.

Peccans cum delectatione ex Aug. peccat magis liberè, quàm peccant ex metu vim moralem inferente.

50. Dices August. de lib. arbit. l. 3. cap. 3. dicit: *Per illud* (scilicet liberum arbitrium *peccant maximè omnes, qui cum delectatione peccant*. Ergo ponit libertatem in ea quòd est operari cum delectatione & libentia, sive absque coactione & violentia.
R. Neg. seq. Aug ibi solum vult eos, qui peccant cum delectatione maximè liberè peccare, quia non tantùm liberi sunt à necessitate, sed etiam à vi & coactione morali, qua liberi non sunt, qui ex metu fidem negant, licet simpliciter liberè peccent, quamvis sine delectatione, quia peccant nulla cogente necessitate.

Voluntas non potens peccare liberior est libertate à peccato, non morali fundativa laudis & vituperii.

51. Cum Aug. 1. Enchir. c. 105. ait: *Sic enim oportebat prius hominem fieri ut benè velle posset, & malè postea verò sic erit, ut malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio*. R. Loquitur de libertate non morali fundativa laudis & vituperii, sed à peccato, ut patet ex his seqq. *Quippe liberius erit arbitrium, quod servire non poterit peccato*. De eadem libertate ait de spir. & lit. cap. 130. *Per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii*. Item l. de corrept. & gra.

c. 8. *Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia libertatem*. Epist. 144. *Sine gratia Dei non potest esse libera voluntas*. Et l. de perfectione justitiæ c. 4. *Pœnalis vitiositas, secuta ex libertate, fecit necessitatem*, scilicet oppositam libertati à peccato. Eodem sensu intelligendi sunt Anselm. Bern. & alii PP. subinde similia habentes.

52. Falsum est igitur, & perperam Augustino affictum, quod docet Iansf. l. 4. de gratia Christi c. 9. voluntatem humanam per peccatum primi parentis ita præcipitatam esse in libidinum imperium, ut in omnibus necessariò sequatur delectationem, vel terrenam concupiscentiæ ad malum, vel cœlestem à Deo infusam ad bonum, prout altera alteram vincit: sic, ut si cœlestis in qua ponit gratiam Christi medicinalem sit intensa ut 6. & terrena ut 5. voluntas necessariò amplectatur bonum; sin contra, necessariò amplectatur malum, cœlestis delectationis efficacia in solis inefficacibus desideriis hærente.

Ab August. mente aberrat Iansf. dum ait voluntatem necessariò sequ. delectationem victricem.

Ex quibus patet principium proxime determinativum voluntatis in hac sententia, quod Iansf. vocat delectationem victricem, multùm differre à prædeterminatione physica, cùm hæc, ut quidem eam explicant ejus Authores, non inducat necessitatem, licet natura sua talis sit, ut in quibusvis circumstantiis infallibiliter inferat effectum! & æque locum habeat in natura integra, ac in lapsa; cùm fundetur in subordinatione causæ primæ ad secundam, & hujus indifferentia. Illa verò non quidem ex natura sua, sed certis circumstantiis absolutam necessitatem inducat, & solùm habeat locum in natura lapsa, utpote fundata in peccato originali. Hinc Iansf. l. 8. de grá. Christi c. 2. dicit prædeterminationem ignotam fuisse Aug. non tantùm quo ad vocem, sed etiam quo ad rem, immò universam ejus doctrinam inexplicabili confusione perturbare.

Quæ multum differt à prædeter. iuxta suos AA. non necessitante.

§. V.

Ad libertatem requiritur potentia agendi & non agendi in sensu composito.

Potentia libera, positis prærequisitis potest agere & non agere.

53. LIberum arbitrium, etiam naturæ lapsæ, rectè definitur: *Potentia qua positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere.*

Hæc conclusio adeò certa est, ut Alvar. disp. 115. de auxil. concl. 1. de ea dicat in hac conclusione conveniunt omnes Catholici; habetur enim definita in Concil. Trid. nempe sess. 6. c. 5. & can. 4. contra Hæreticos definiente liberum arbitrium, etiam constitutum cum ultimo complemento ad bene operandum, ita libere operari; *Vt à Deo motum & excitatum possit dissentire, si velit*. Est etiam ex mente PP. Basil. Homil. in Psal. 61. *Vnicuique nostrum intus inest statera quadam à Conditore nostro fabricata*. Cyril. l. 3. & 8. in Iul. & Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 1 docentium hominem esse liberum: *Quia huc atque illuc detorquere potest, quasi quemdam cardinem voluntatis suæ*. In eundem sensum coincidunt aliæ liberi definitiones, tum à S. Th. 1. p. q. 83 a. 4. & alibi tum ab aliis DD. traditæ ut quod sit *vis electiua, facultas rationis & voluntatis, potentia ad utrumlibet, potentia domina suorum actuum &c.*

In sensu composito, sic ut cum prærequisitis tam componi possit non actio, quam actio.

54. Hæc liberi definitio intelligenda est in sensu composito, non quidem sic ut significetur posse simul componi actio & non actio quod manifeste repugnat; sed sic ut sensus sit, quod positis omnibus prærequisitis ad agendum absolutè antecedentibus, seu quæ habere, vel non habere non sit in hominis potestate, tam possit componi non actio, quàm actio. Prob. 1. ex Trid. sess. 6. ubi explicans concordiam libertatis cum gratia ca. 5. docet *hominem posse abiicere inspirationem*, qua ad justificationem perducitur; & can. 4. definit *liberum arbitrium à Deo motum & excitatum posse dissentire si velit*. Quæ verba *abiicere, dissentire* apertè indicant nostrum sensum

Hoc indicat Triden idem ait nos posse inspirationem abiicere, & resistere.

sum compositum : cùm *abiicere* sit rem habitam dimittere, aut sibi oblatam respuere, *dissentire* verò non sit quomodocumque non consentire, aut non consentire excitationi non existenti ; sed de facto existenti non consentire, seu cum illa existente dissensum, seu non consensum conjungere. 2. Ex Concil. Senonen. in decr. fidei 15. *Non est tale Deo trahentis auxilium, cui resisti non possit*. 3. Ex S. Thom. quodlib. 1. a 7. ad 2. *Propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita, ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.*

Confir. Quia si istæ Conciliorum definitiones, non intelligerentur in sensu composito, non repugnarent erroribus Luth. Calv. aliorumque libertatis hostium ; quos clarum est ista nunquam negasse in sensu diviso ; cùm non fuerint tam stupidi, ut senserint hominem ; præcisè quantùm est ex parte voluntatis & indifferentiæ judicis, non posse actum divinæ excitationi oppositum exercere absolute, & præcisa seu non supposita excitationis existentia. Vnde non satisfaciunt Sebile l. 3. sect. 5. & alii Thomistæ dicentes ista CC. & S. Thomæ verba non esse intelligenda de potentia resistendi formaliter, id est conjungendi non actum cum excitatione efficaci ad actum ; quod inquiunt, est impossibile ; sed de potentia resistendi materialiter, id est, simpliciter non ponendi actum, ad quem movet excitatio : nam non ponere actum ; præcisa excitatione seu excitatione non existente, non est ullo vero sensu resistere excitationi, sicut negare, quod nemo asserit non est ullo sensu recepto alicui non consentire, dissentire, aut contradicere.

Sc. resistentia formali alioqui non repugnaret Luth. Calv. &c.

55. Prob. 4. Ratione, quia ad perfectam libertatem indifferentiæ (qualem homini etiam lapso con venire constat ex dictis n. 44.) requiritur potentia proxima & expedita ad utrumlibet, ut cuivis homo vere dicatur simpliciter posse utrumlibet, & habere ita plenum sui actus dominium, ut ultimatè solùm oriatur ex propria ejus determinatione quòd ponatur, vel non ponatur. Iam verò ad hujusmodi poten-

Dominium actus requirit posse agere & non agere in sensu composito.

tentiam necessarium est, ut homo cum omnibus prærequisitis absolute antecedentibus, seu quæ habere vel non habere, non est in ejus potestate, æque possit actum, ac non actum componere: alioqui enim omnes aut fere omnes nostri actus necessarii nobis essent liberi, ut consideranti facile patebit.

Decretum creandi non est prærequisitum, vel creatio non est formaliter libera.

56 Dices varia sunt prærequisita ad agendum, libertati nihil officientia, quamvis non possint componi cum non actione.

Primum est liberum & æternum Dei decretum de creatione mundi R. Posito quòd compleatur in esse liberi intrinsece in ipso Deo, esse quidem prærequisitum ad creationem; sed hanc in ista sententia non esse liberam immediate & formaliter, sed solùm extrinsece & denominative, ut est actio externa ab actu interno voluntatis efficaciter imperata: in nostra verò sententia 1. p. num. 142 docente decreta Dei libera compleri per terminum extrinsecum, non esse prærequisitum ad creationem; cùm per hanc, ea in sententia formaliter liberam compleatur in esse liberi, ac proinde ut liberum non sit illa prius.

Concursus in actu 1. stat cum non actione in actu 2. est ipsa determinatio voluntatis.

Secundum est concursus seu decretum Dei de concurrendo. R. Concursum in actu primo, cùm non sit aliud, quàm Dei potentia creaturæ ad utrumlibet indifferenter exhibita, aut decretum de illa sic exhibenda, posse componi cum non actione: concursum verò in actu secundo non esse unum ex prærequisitis, cùm identificetur actioni creaturæ.

Tertium est efficax imperium intellectus. R. Non prærequiri ad omnes actus voluntatis, & cùm subinde datur, vel esse in potestate voluntatis, intellectum ad illud producendum applicantis, vel certè cum eo non manere libertatem formalem in actu voluntatis imperato.

Prædefinitio est in potestate voluntatis, ut imperium intellectus.

Quartum est determinatio qua voluntas determinatur ad agendum R. Voluntatem determinari ad agendum per suam actionem, non per aliquid ei prævium, cum quo nequeat componi non actio. Vnde potiùs dicenda est determinari, seu determinare se agendo, quàm ad agendum.

Quin-

Quintum est prædefinitio actuum bonorum. R. Prædefinitionem scientiæ mediæ non innixam, & se ipsa immediate, aut mediante physica prædeterminatione efficacem non stare cum libertate: innixam verò scientiæ mediæ non esse absolute antecedentem: cùm præsupponat actum conditionate prævisum; nec influere se ipsa immediate, sed mediante auxilio de se indifferenti & cum actu compossibili, ac proinde libertati non obesse, ut ostendimus 1. p. n. 170. & seqq.

Sextum est gratia efficax R. Gratiam efficacem sumptam materialiter & entitative esse quidem antecedentem, & prærequisitam ad actum supernaturalem; sed ut sic posse componi cum non actu, sumptam vero formaliter ut est infallibiliter efficax, sive prout est conditionate prævisa effectum habitura, non posse quidem componi cum non actu, sed ut sic non esse simpliciter antecedentem, nec prærequisitam, sed consequentem, liberum voluntatis consensum, conditionate futurum, & ideo nihil officere libertati.

Gratiæ efficax materialiter stat cum non actu, formaliter non antecedit.

57. Septimum est habitus charitatis in casu quo hic & nunc urget præceptum amoris Dei, & quo Deus decreverit voluntatem ad illum non elevare per auxilium transiens cum peccato compossibile. R. Habitum charitatis eo quidem casu esse prærequisitum ad amorem, & cum eo, utpote gratiæ sanctificanti identificato, aut inseparabiliter annexo, non posse componi omissionem amoris eo instanti peccaminosam; non tamen officere libertati, quia non est omninò antecedens, sed aliquo modo consequens, & in potestate voluntatis, quippe quæ potest illam abiicere, seu seipsa determinando, id Deum non amandum, vel odio habendum, efficere ut eo instanti non existat: siquidem gratia sanctificans cum virtutibus sibi annexis quovis instanti conservatur dependenter à voluntate, non consentiente in peccatum mortale quo pelleretur, sic ut omissio peccati sit quolibet instanti natura prior gratia sanctificante & virtutibus ei annexis.

Habitus Charitatis est in potestate voluntatis.

Vnde ad libertatem ejusque definitionem, pro-

ut

Ideo non efficit libertati, etiam instanti quo urget praeceptum.

ut à nobis explicatam, solùm requiritur potestas componendi tam actionem, quàm non actionem, cum prærequisitis absolute antecedentibus, non verò cum iis quæ sunt aliquo modo in potestate voluntatis, ejusque determinationem sequuntur: hæc enim prærequisita, cùm sint voluntati libera, non possunt tollere libertatem actuum ex ipsis necessariò procedentium, saltem mediatam, quæ in actibus voluntatis non ex aliena; sed ex sua propria determinatione operantis, sufficit ad formalem rationem meriti ad quam in actu amoris major libertas requiri nequit in nostro casu. Hoc patebit ex dicendis infra n. 75. & seqq. de electione unici medii posita efficaci intentione finis.

Licet eo instanti non stet cum non actu.

58. Potest etiam dici quod in casu objecto conservatio habitus charitatis sit quidem prior actu amoris in statu absoluto, posterior tamen illo conditionatè prævisо, quatenus non conservaretur eo instanti, quod urget præceptum, nisi dependenter à prævisione conditionata, qua Deus prævidit quod voluntas eo instanti actum amoris esset libere elicitura, posito quod ei daretur auxilium actuale cum peccato compossibile, sic ut proinde habitus charitatis non sit absolutè antecedens, sed consequens secundùm quid, & ideò libertati nihil officiens ut patet in simili 1. p. 200. & seqq. de prædestinatione.

Lug. censet eo casu tolli libertatem.

Adde quod Oviedus, Lugo & alii sentiant eo casu tolli libertatem, alii casum esse impossibilem; quia in eo involvitur mutua dependentia secundùm idem esse, habitus ab actu, & actus ab habitu quatenus habitus efficit actum, & conservatur dependenter ab actu, cujus omissione coinstanti peccaminosa expelleretur.

Quod verum est si non sit in potestate voluntatis.

Hoc certum est quod si habitus charitatis à Deo voluntati ità imprimeretur ut nullo modo esset in ejus potestate, tolleret libertatem, quamvis enim non aliter influeret quàm jam, tolleret tamen indifferentiam antecedentem libertati essentialem, ut eam tollit prædeterminatio physica quoad esse nullo modo voluntati subjecta, eamque suo modo influendi

fluendi determinativo irresistibiliter inflectens ad unum.

59 Gratia sanctificans prærequisita ad meritum de condigno, non potest componi cum demerito, nihil tamen nocet libertati; quia est quovis instanti in potestate justi, eam peccando abjicere. Deinde gratia sanctificans non est prærequisita ad actum meritorium de condigno materialiter & entitative; sed solùm ad actum ut formaliter meritorium de condigno, sub qua ratione non est nobis liber, cùm ut sic nobis sit ignotus, & cùm sumus in gratia, non sit nobis liberum efficere ut solùm sit meritorius de congruo & non condigno.

Gratia sanctificans est in potestate justi, nec requiritur ad act. merit.

Ipsa justificatio juxta Trid. sess. 6. c. 7. est nobis libera, non in se formaliter, sed in sua causa, contritione scilicet aut susceptione Sacramenti.

Prædestinatio, quæ est unum ex prærequisitis ad salutem, stare nequit cum negatione salutis; non tamen prædestinato tollit libertatem salutis sibi procurandæ: quia si facta sit dependenter à prævisione meritorum, est in potestate prædestinati; si independenter, non influit in salutem, nisi per media de se indifferentia, cum quibus materialiter sumptis, componi potest negatio conversionis & salutis.

Iustificatio est nobis libera in sua causa, uti & prædestinatio, quæ solùm influit per media indifferentia.

60. Peti nequit certa regula de modalibus in sensu diviso, aut in sensu composito accipiendis ex forma verborum, sed solùm ex subjecti non repugnat prædicato, semper sumi possint, & ex communi usu sumantur in sensu composito, sive modus ponatur extra, sive intra partes dicti: ut hæ *tentatus potest resistere, & non resistere*. *Interrogatus potest respondere & non respondere*, quæ sunt veræ in sensu composito, & possunt vere poni in esse, retento formali subjecti, hoc modo *homo tentatus resistit &c.* cùm verò formale subjecti repugnat prædicato, ut in his *destinatus potest damnari*, *sedens potest stare*, quomodocumque ponatur modus debent sumi in sensu diviso, & ut verificentur, solùm debent posse vere poni in esse retento eodem subjecto materiali, relicto formali, v.g. dicen-

Sensus modalium divisus aut compositus petendus est ex subjecta materia non ex forma verborum.

dicendo *homo damnatur; homo stat.*

Ex his patet frivolum esse & nugatorium hoc Alvaris principium *modales, in quibus modus ponitur inter partes dicti, sumi debent in sensu diviso.*

Quod sequitur ex absolutè inimpedibili est inimpedibile: non est damnatum in de Rivo.

61 Hæc propositio: *Quod ex impedibili sequitur per necessariam consequentiam, ipsum est impedibile:* damnata non est à Sixto IV. in Petro de Rivo D. Lovan. ut opinatur Sylvius 1. p. q. 16. a. 8. sed ut ex Archiviis Lovan. demonstrat Lugo de Incarn. d. 29. sect 6. alia affinis quidem, in re tamen multùm diversa scilicet hæc: *Quod ex præcedenti ordine successiuæ durationis sequitur per necessariam consequentiam, necessarium est, & inimpedibile.* Vnde inferebat de Rivo non dari in Deo futurorum contingentium præscientiam ab æterno, neque jam verum esse AntiChristum peccaturum. Hoc fere utens argumento: cùm ad præteritum seu præcedens ordine durationis non detur potentia, ipsum est inimpedibile; sed quod ex inimpedibili sequitur per necessariam consequentiam est inimpedibile. Ergo &c. V. dicta 1 p. C. 3. §. 2. n. 113. & seqq.

Libertas formalis est indifferentia voluntatis, non judicii: hæc stat cum necessitate.

62. Libertas formalis consistit in indifferentia activa voluntatis ad utrumlibet, pro libitu vertibilis non in sola indifferentia judicii, quæ solùm est radix libertatis, non ipsa formalis libertas, ita Suar, Vasq. & alii communiùs.

Quare stante indifferentia judicii voluntatem necessitari nihil vetat, ut de facto necessitaretur ad non agendum, si posito judicio indifferenti, objectum repræsentante sub ratione boni, & mali, Deus voluntati negaret concursum simultaneum, & si hunc requiras, etiam prævium, sine quo voluntatem actum elicere est omninò impossibile.

Vnde non negatur ab hostibus libertatis.

Hinc nunquam CC. & PP. recurrerunt ad indifferentiam judicii (quam experientia constat per Dei præscientiam non tolli, & in natura lapsa manere incolumem) ad libertatem contra illius impugnatores tuendam; quia nempe satis sciebant illam ad libertatem non sufficere, nec unquam ab ullo sive

Phi-

Philosopho, sive Hæretico, libertatis hoste fuisse negatam.

63 Dices 1. Aug. l.3. de lib. arbit. c. 3. & Ber l. de gra. & lib. arbit. dicunt nec *voluntatem* nec *consensum* posse esse sine libertate R. Vel loquuntur de libertate à coactione, vel accipiunt voluntatem pro perfectè libera, & consensum pro imputabili ad culpam ut sup. n. 47. **Voluntas & consensus non sunt sine libertate à coact.**

Dices 2. S. Tho. 1. p. q. 83. a. 1. O, ait: *Quia judicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum, pro tanto necesse est quod homo sit liberi arbitrii ex hoc ipso, quod rationalis est*. R. solùm vult judicium rationis esse radicem libertatis, adeoque eo stante non posse hominem non esse liberum radicaliter. **Indifferentia judicii est radix libertatis.**

Dices 3. Objectum non potest amari nisi cognoscatur ut amabile: ergo non potest taliter amari v g, honeste vel inhoneste; absolute aut respective, seu propter se, aut propter aliud, nisi cognoscatur ut taliter amabile: ergo non potest amari necessariò; nisi proponatur absque indifferentia judicii, seu ut necessariò amabile. R. Dist. 1. Conseq. quando talitas amandi tenet se ex parte objecti, aut ab eo, saltem partialiter peti debet, ut honestas vel inhonestas sic C. quando tenet se ex parte modi tendendi, aut principii effectivi, & potest aliunde haberi quam ex propositione objecti, ut sunt naturalitas aut supernaturalitas, efficacia, aut inefficacis, sic N. ut enim objectum ametur naturaliter, aut supernaturaliter non debet proponi ut amabile naturaliter aut supernaturaliter; sed attingi per actum productum à voluntate, non elevata, aut elevata auxilio supernaturali. **Defectu indifferentiæ ex parte solius voluntatis necessitas.**

Libertas est quoddam bonum adeoque ex integra causa, ac proinde exigit indifferentiam, tum ex parte potentiæ, tum ex parte objecti: necessitas verò est quoddam malum; ac proinde oritur ex quolibet defectu indifferentiæ sive ex parte potentiæ, sive ex parte objecti Hinc licet non possit objectum libere amari, nisi proponatur ut libere amabile: potest tamen necessariò amari: quamvis non proponatur **Objectum potest amari necessario etsi non proponatur ut necessariò amabile.**

natur ut necessariò amabile: quia necessitas oriri potest ex determinatione tenente se ex parte solius potentiæ à Deo inimpedibiliter ad unum determinatæ.

Cum voluntas prælucente indifferentia judicii agit ex determinatione alterius non operatur eis, sed cum indifferentia judicii.

64. Voluntas operans ex indifferentia judicii eo ipso exercet suam flexibilitatem ad opposita, quando seipsam determinat; secus quãdo determinatur ab alio: tunc enim alius ipsam flectit, non ipsa seipsam, adeoque non tam operatur ex indifferentia, quam cum indifferentia, judicii; eo enim casu propositio objecti sub ratione boni & mali non habet se antecedenter ad determinationem voluntatis, eam prius natura, quàm agat constituendo in quoddam æquilibrio sicut à prosecutione boni retardari possit à ratione mali in eodem objecto repræsentata; sed mere concomitanter, ad voluntatis determinationem neque positive, neque negative quidquam conferendo. Addo, *neque negative*, quia ad liberum amorem objecti ordinarie solùm negative concurrit ratio mali, quippe, quæ voluntatem non movet, cùm ab ea nullo modo attingatur, sed solùm sua præsentia objectiva facit ut ex necessitate non rapiatur à bono, sive ut objectum sic amet ut illud possit non amare, imo & odisse; quod supposita voluntatis potentia ad utrumlibet expedita, indifferentia judicii formaliter præstat, quotiescumque actus judicii ita producitur, ut ex modo suæ productionis non sit posterior natura determinatione voluntatis ad amorem.

§. VI.

Libertas potentiæ & actus,

Libertas potentiæ est voluntas cum requisitis.

65. Libertas potentiæ in actu primo remoto non est aliud quàm ipsa voluntas, de se apta seipsam determinare ad opposita; in actu primo proximo, superaddit conditiones & connotata ad id requisita, nempe concursum Dei in actu primo ad utrumlibet, objectum sub ratione boni & mali propositum, emotionem impedimentorum à voluntate inauferibilium v.g. impulsuum à Deo impressorum irresistibiliter ad unum & similia.

Ratio

Ratio liberi in actu imperato solùm mediatè libero, est denominatio extrinseca à libertate imperantis; & in actu à voluntate elicito formaliter libero, est denominatio extrinseca, à modo quo procedit à voluntate, ut se ipsam determinante: eo ipso enim quo egreditur à voluntate ut operante ex propria determinatione, seclusa quacumque alia ratione intrinseca, sufficienter intelligitur esse liber immediatè & formaliter.

Libertas formalis actus est denominatio extrinseca à modo procedendi à voluntate unde est illi accidentalis.

Deinde cùm actus, quo voluntas liberè amat objectum, sub ratione boni & mali sibi propositum, nullo modo attingat rationem mali; eiusve repræsentationem, adeoque nec ab ea dependeat, non apparet quod actus liber spectatus secundùm suam entitatem, dicat aliquem modum tendendi, aut respectum sibi essentialem ad aliquod principium, sive effectivum, sive objectivum, qui non æquè conveniat actui necessario. Ex his

66. Primo potest idem actus entitativè invariatus fieri ex necessario liber & contra, per solam variationem in cognitione, modò cum indifferentia, modò sine indifferentia objectum proponente.

2. Sola libertas aptitudinalis, seu in actu primo remoto est essentialis voluntati; uti & ejus actui, etiam completè sumpto, pro actione & termino. Similiter sola vitalitas aptitudinalis est essentialis actui sumpto pro termino; sumpto tamen pro actione ejus productiva, essentialis est etiam vitalitas in actu secundo; cùm isti actioni sit essentiale procedere à principio, in quo recipitur, ad utrùmqe enim dicit essentialem habitudinem.

Aptitudinalis est essentialis potentia & actui.

67. 3. Actus liber est objectum Divinæ complacentiæ vel displicentiæ, non per modum unius formæ simplicis, sed per modum alicujus complexè significabilis, plura diversimodè importantis; sic ut quod Deo placet, sit hoc totum, quod nempè actus, ex tendentia sibi intrinseca conformis rectæ rationi, procedat à voluntate ex motivo virtutis, idque liberè & modo morali; ad quod plura variè concurrunt, scilicet intrinsece, extrinsece, positive, negative, in recto, & in obliquo &c. è quibus varia sunt

Actus liber est aliquid complexè significabile.

ad bonum & malum indifferentia, ut libertas & omnia ad eam requisita, quæ proinde ad bonitatem concurrunt minùs principaliter & solùm completiuè tamquam conditiones requisitæ, ut actus ex sua tendentia honestus, qui, seclusa libertate, solùm bonus est materialiter & incompletè, fiat bonus formaliter & completè: hinc

Quod in eo directè Deo placet vel displicet est ipse actus, non secundùm se, sed ut substans variis connotatis.

1. Quod proprie, directe & velut denominatiue, Deo placet in actu bono, est solus actus, licet non præcisè secundùm se, sed prout substans conditionibus requisitis ad bonitatem completam, ad quam concurrit quidem solùm inadæquatè sed principaliter.

2. Idem cum proportione dicendum est, de objecto displicentiæ in actu malo, quod nempe sit solus actus, qui solus est formaliter malus, & prohibitus, ut patet in esu carnium contra præceptum aut votum, quę concurrunt ad malitiam complendam quamuis in se sint bona, sicut ad bonitatem concurrunt cognitio sub ratione boni & mali libertas &c. de se non bona, sed indifferentia: ex quibus rectè demonstrat Arriag. non esse uniuersaliter verum quod denominatio oriatur ab aliqua ratione, quæ sit talis ut quo, qualis est formalis effectus ut quod.

*E quibus varia sunt indifferentia

3. Libertas non est relatio transcendentalis, sed prædicamentalis, suo subjecto accidentalis: unde est minùs intrinseca actui, quam ratio voluntarii, cujus proinde diuisio in liberum & non liberum, est subjecti in accidentia.

§. VII.

Intentio, Electio, Imperium.

Amor medii ut sic attingit ipsum finem, cuius bonitate informatur utilitas medii.

68. OMnis volitio medii propter finem attingit ut objectum volitum, saltem indirecte, ipsum finem. Ita Cajet. cum S. Th. hic, q. 83. ad 2. Suar. cont. Greg. Marsil. Vasq.

Prob. quia bonitas medii ut sic; id est utilitas ad finem non est per se ipsam sufficiens motiuum voluntatis, sed solùm quatenus in esse objectiuo infor-

formatur bonitate finis ut ratione ultima, & simul cum illa conflat unum motiuum totale: ergo non potest amari bonitas medii ut sic, nisi hoc ipso ametur bonitas finis. Prob. ant. quia alioqui placere posset medium qua tale, licet displiceret finis secundùm se, adeoque posset quis absque peccato sibi complacere in quopiam medio, præcise qua utili, ad finem malum, quod falsum est.

Oppositum nomen est probabile.

Verùm cùm hoc, & alia ejusmodi argumenta aliud non euincant, quàm quod medium quà tale non possit appeti, quin simul appetatur finis, siue actu eodem, siue diuerso, non verò quod necessariò actu eodem: oppositum hujus conclusionis est probabile.

Potest unico actu appeti medium & finis.

Quando finis ab initio proponitur ut obtinendus per certum medium, potest unico actu simul utrumque efficaciter appeti, unum directè, aliud indirectè: quia bonitas finis & utilitas medii ad illius consecutionem per intellectum proposita, est motiuum sufficiens ad ejusmodi actum; nec apparet ulla ratio cur voluntas, saltem supposito simplici amore finis, non possit ex isto motiuo immediatè in talem actum erumpere absque præuia efficaci intentione finis realiter distincta; immò hoc videtur magis connaturale ad vitandam multiplicationem actuum sine necessitate.

Intensio causat electionem realiter, aut virtualiter.

69. Intentio finis est aliquo modo causa realis electionis medii, quando ab hàc distinguitur realiter, ut quando priùs tempore aut natura intenditur finis quàm eligantur media; quando autem solùm distinguitur formaliter, tantùm est causa virtualis & secundùm rationem: quia scil. ex suo proprio modo tendendi ita fertur in medium, quatenus informatum bonitate finis, ut, si hæc abesset, non vellet medium; unde fit ut licet in isto actu tendentia in medium, & tendentia in finem sint realiter idem; hæc tamen sit ratione & virtuali causalitate prior illa hinc.

Electio & intensio habent diversum modum

1. Potest idem actus simul esse nolitio & volitio respectu diversorum, quorum unum directè, alterum indirectè attingat, ut cùm quis non vult pecca-

tendendi quo differunt specie, licet non objecto.

tum ex affectu concupiscentiæ fœlicitatis æternæ, aut benevolentiæ erga Deum.

2. Intentio & electio distinguuntur essentialiter, licet habeant eadem objecta, quia habent diversum modum tendendi in illa, cùm intentio directe tendat in finem, indirecte in media; electio contra.

3. Intentio realiter causat electionem, quando ab hac distinguitur realiter; non tamen efficienter physice, cùm nulla sit necessitas ei talem influxum tribuendi; sed solùm moraliter, sicut assensus præmissarum assensum conclusionis.

Voluntas potest è mediis æqualibus eligere alterutrum, imò & minùs bonum, quia est utile & utilius non est necessarium.

70. Potest voluntas è duobus mediis æqualibus alterum eligere, & ex inæqualibus minus bonum. Ita Suar. contra Vasq. Prob. prima pars, 1. quia ex communissimo Philosophorum, & Theologorum sensu, ratio libertatis in eo consistit, quod diversis objectis propositis ut æqualibus, sive sint fines sive media, voluntas non necessariò maneat suspensa, sicut maneret causa necessaria, sed pro libitu possit ex iis unum amplecti quia bonum, altero relicto, v.g. quia non est necessarium. 2. quia libertas increata, potest è pluribus bonis æqualibus, unum eligere, aliis relictis v.g. creationem hujus mundi, potiùs quàm aliorum ad Dei gloriam æqualiter concurrentium: ergo etiam libertas creata, quæ est participatio increatæ; quoad hoc enim par est utriusque ratio.

Hinc volens salvari non necessariò eligit medium securius aliqui ejus electio non esset libera.

Prob. etiam 2. pars, 1. quia medium utilius non est absolutè necessarium ad finem, & medium minùs utile est vere bonum & utile: ergo potest assumi ut ad finem sufficiens, & alterum relinqui ut non necessarium. 2. quia qui vult efficaciter salvari, non necessariò eligit medium quod novit ad salutem efficacius & securius, ergo &c.

Confirm. pro utraque parte, quia potest voluntas inter duos fines æquales vel inæquales pro libitu ad hunc vel illum se determinare: alioqui enim nulla unquam daretur libertas in voluntate; cùm enim necessarium sit ut quo ibet casu, motiva in utramque partem æqualia sint vel inæqualia, voluntas vel semper maneret suspensa velut in æquilibrio

non

non valens in alterutram partem se determinare, vel ita ferretur in unam, ut non posset amplecti oppositam.

71. Dices cont. 1. partem conclus. sup. n. 70. propositio objecti sub ratione boni tantùm necessitat voluntatem, ad prosecutionem, ut patet in motibus primò primis. Ergò propositio objecti sub ratione indifferenti, seu in utramque partem æquè boni necessitat voluntatem ad indifferentiam, seu suspensionem ab electione unius præ altero, R N. ass. nulla est enim boni propositio, quæ in hac vita voluntatem necessitet ad exercitium: undè in motibus primò primis necessitatio non oritur ex sola propositione objecti; sed ex sympathia cum appetitu sensitivo; à quo, supposita tali propositione objecti voluntas ex necessitate rapitur, ut contingit in pueris, amentibus, &c. in nostro autem casu appetitus sensitivus non potest necessitare ad suspensionem, cùm non possit inclinare voluntatem ad aliquod objectum, nisi illud appetendo; suspensionem verò non possit appetere, cùm non sit quid delectabile.

In motibus 1. primis voluntas rapitur non à propositione objecti sub ratione boni tantùm, sed ab appetitu sensitivo.

Dices 2. propositio objecti sub ratione boni tantùm, necessitat saltem quoad specificationem, ut circa bonum in communi. Ergo quando objectum proponitur ut indifferens, seu sub æquali ratione boni & mali, voluntas debet necessitari ad indifferentiam, saltem quoad specificationem, id est sic ut circa tale objectum non possit elicere aliam volitionem, quam habendi se indifferenter. R. disting. conseq. quando objectum proponitur ut indifferens, id est nec sub ratione boni, nec sub ratione mali, ut si quis tibi dixerit voluntas tua tendat in objectum quod cogito, sic C. quando proponitur ut indifferens, id est sub ratione in utramque partem æquali & sufficienti ad voluntatis determinationem, sic N. tunc enim voluntas pro suo arbitrio potest utramvis partem eligere.

Sola propositio objecti ut indifferentis, id est nec ut boni nec ut mali, voluntatem suspendit.

72. Dices 3. contra 2. partem ejusdem conclus. voluntas non potest appetere malum formaliter, seu quà malum; atqui minus bonum quà tale est formaliter malum: cùm ut sic dicat carentiam majo-

Voluntas potest eligere minus bonum.

specificative non reduplicative, ita ut minoritas boni sit ejus motivum; sic enim ferretur in malum qua tale.

ris boni, quæ est mala. Ergo voluntas non potest eligere medium minùs utile qua tale, seu cognitum ut tale. R. D. Ma. qua malum reduplicativè, id est sic ut malitia sit ultima ratio, seu per se motivum illud appetendi C. qua malum specificativè, id est sic ut appetatur objectum, in quo repræsentatur aliqua ratio mali, non propter rationem mali, sed propter aliam rationem boni, simul in ea repræsentatam N. Voluntas enim non potest eligere medium minùs utile, sic ut carentia utilitatis, qua exceditur ab altero, sit ratio ipsum eligendi, sed tantùm, sic ut ista carentia sit quædam ratio in eo cognita, qua non obstante eligatur propter suam positivam utilitatem ad finem.

Electio minoris boni fit propter rationem tenentem se ex parte potentiæ v. g. exercitii libertatis.

Ad hoc autem non est opus ut in actu signato præferatur minus bonum majori bono, faciendo formaliter comparationem inter utrumque & velut signanter minus bonum præferendo majori, in ea enim prælatione nulla potest apparere ratio boni; sed sufficit quod id faciat in actu exercito, nempe amplectendo minus bonum ut sufficiens,& relinquendo majus ut necessarium. Eo ipso enim quo objecta sic representantur, potest voluntas, cùm sit libera, eligere minus bonum potiùs quàm majus, non propter aliquam rationem obiectivam,qua determinetur;sed quia ei ita placet.

Instabis ita placere est specialis volitio, habens specialem rationem motivam. R. tenentem se ex parte objecti, & facientem ut desinat repræsentari ut minus bonum N. tenentem se ex parte voluntatis hic & nunc volentis sic exercere suam libertatem C. ob eandem rationem, scil. exercitii libertatis, potest etiam signanter præferri bonum minus majori.

Voluntas est rationalis, quia ei prælucet ratio.

73. Voluntas est appetitus rationalis, eò quòd non possit appetere nisi ratione, id est, intellectu ei prælucente, eique proponente aliquod motivum appetibilitatis; non verò eò quod semper sequatur dictamen rectæ rationis; alioqui enim esset impeccabilis. Hinc Bern. l. de liber. arb. docet *voluntatem*

nun-

nunquam moveri absque ratione, licet non semper moveatur ex ratione.

Cum Arist. Damasc. Nyssen. D. Tho. aliique apud Vasq. dicunt: *id solùm esse eligibile, quod ex consultatione prætulimus*, loquuntur de electione strictè, qualiter ex vi vocis importat id quod eligitur judicari melius; vel de eo, quod fieri solet, & debet secundum prudentiæ leges.

74. Si posita intentione finis absolutè efficacis posteriùs natura occurrat unicum medium ad finis consecutionem hic & nunc exequendum, ejus electio non potest non poni in sensu composito. Quia eo ipso, quo intentio ponitur absolutè efficax, eo ipso ex suis intrinsecis, est volitio ponendi quidquid est necessarium ad finis consecutionem; sed posito quod unicum medium, hic & nunc exequendum se offerat, eo ipso cognoscitur esse necessarium, & quidem hic & nunc ad finis consecutionem. Ergò eo ipso intentio est implicita volitio efficax, illud hic & nunc eligendi & exequendi. Ergo cum ea non potest componi non electio. Intensio finis determinat ad electionem unici medii, quę tamen remanet libera tum denominativè, tum quo ad circum stantias non necessarias ad finem.

Eo tamen casu electio est absolutè in eligentis potestate, adeoque simpliciter libera, saltem mediatè, sicut nostræ actiones externæ.

Est etiam eo casu in se formaliter libera quoad circumstantias ad finis consecutionem non necessarias, ut quod fiat ex tali motivo, cum hac intensione aut remissione actus &c. ad istas enim circumstantias, cùm non sint ad finem necessariæ, voluntas non est determinata vi intentionis præviæ, quippe quæ non est ullo modo efficax earum volitio.

75. Probabilius est tamen isto casu electionem non esse in se & quoad substantiam immediatè & formaliter liberam, sed necessariam, etiam quoad exercitium, ita Cajet. Valent. Vasq. Prob. 1. quia talis electio est necessaria ex suppositione antecedente, cùm necessariò sequatur ex intentione prævia. Ergo non est in se formaliter libera libertate immediata, sibi propria & distincta a libertate actu, ex quo sequitur, sed tantùm remotè & denominativè à li- Non quoad substantiam cùm sic sit necessaria ex suppositione antecedente.

bertate intentionis; ex qua inimpedibiliter sequitur, sicut nostri actus externi, ab internis imperati.

Nec procedat à voluntate ut indifferenti.

2. Quia volitio, in se immediatè formaliter libera est, quæ procedit à voluntate antecedenter immediatè indifferenti, se ipsam per actum volitionis formaliter determinante. Atqui electio in nostro casu non procedit à voluntate immediatè ante indifferenti, sed antecedenter determinata ad electionem per actum natura priorem, cum quo stare nequit non electio. Ergo non est in se immediatè & formaliter libera, seu actus secundus, qui sit formalis determinatio potentiæ, ad unum immediatè ante omninò indifferenti, seipsam determinantis.

Quia tamen est à potentia, eo instanti libera à Suar. dicitur formaliter libera quo ad exercitium.

76. Oppositum tamen quod tenent Suar. Con. & alii est valdè probabile, quia electio eo casu, procedit à voluntate, quæ est potentia libera, & quidem eo instanti ita ab omni necessitate antecedente expedita, ut simpliciter in ejus potestate electionem non ponere, scilicet ab intentione desistendo, seu eam non ponendo, ergo est aliter libera, quam nostri actus externi, qui non procedunt immediatè à potentia libera, sed à necessaria. Ergo est libera in se formaliter, & immediatè.

Vt re ipsa est regulariter.

77. Si intentio, non sit de fine hic & nunc obtinendo, nec medium proponatur ut hic & nunc exequendum: electio unici medii posteriùs natura occurrentis, non solùm secundùm circumstantiam accelerationis (ut vult Arriaga) sed etiam secundùm suam entitatem erit illo instanti in se formaliter libera quo ad exercitium, ita Ovied. quia voluntas ita illam ponit, ut, positis omnibus iisdem prærequisitis, absolutè possit eam non ponere; neque hoc instanti, neque aliis sequentibus; eo enim casu voluntas vi intentionis non necessitatur ad electionem hoc instanti faciendam; cùm medii executio non repræsentetur, ut eo in instanti necessaria ad finem consequendum, & tamen intentio efficax non necessitat ad electionem medii, nisi quatenus hujus executio judicatur necessaria ad finis consecutionem; neque necessitatur ad eandem intentionem continuandam usque ad instans quo urget executio,

Cum vix unquam medii executio proponatur ut hoc instanti necessaria.

tio, sed potest instanti sequenti ab ea cessare: ac proinde voluntas eo casu ita ponit electionem, ut proximè possit absolutè eam non ponere, seu cum omnibus, illam natura proximè antecedentibus, componere ejus omissionem, non solùm pro hoc instanti, sed etiam pro quovis alio.

Dixi *quoad exercitium*, quia eo casu electio est necessaria quoad specificationem; cùm non possit voluntas eo instanti absolutè istud medium respuere, alioqui enim simul vellet efficaciter finem, & simul positive nollet, quia positivè respueret id, quod repræsentatur ut absolutè necessarium ad ejus consecutionem.

Est necessaria qao ad specificationem.

78. Si non posteriùs natura; sed antecedenter ad intentionem proponatur finis ut non aliter obtinendus, quàm per unicum medium hic & nunc exequendum, electio erit in se formaliter libera, quia cùm voluntas non possit efficaciter velle finem nisi ut possibilem, & eo casu proponatur ut non aliter possibilis quàm per unicum medium, necesse est, ut æquè primò, seu æquè immediatè se determinet ad volitionem medii & finis, sequendo modum operandi magis connaturalem, per unicum actum, ut sic vitetur multiplicatio entium sine necessitate.

Si necessitas executionis hujus medii proponatur ante intentionem, voluntas unico actu formaliter libero volet finē & medium.

Voluntas potest necessitari quoad exercitium ad amorem boni creati, non quidem absolutè, sed ex hypothesi efficacis volitionis ulteriorem necessariò inferentis, quo casu non tam necessitatur à bono creato, quàm à se ipsa per actum priorem sibi liberum.

Potest itaque voluntas per actuale exercitium suæ libertatis privari sua libertate, non absolutè, sed ex hypothesi præviæ determinationis, sibi quidem libera, faciente tamen ut actus indè necessariò consequens non sit formalis determinatio potentiæ, ad ipsum antecedenter indeterminatæ, adeoque non sit liber libertate proxima, sed tantum remota, sicut nostri actus externi.

Potest voluntas per actum sibi liberum necessitari ex hypothesi.

Probabilius est quod electio in casu Concl. sup. num. 75. sit secundùm se formaliter meritoria, aut demeritoria. 1. Quia juxta Vasq. Ripald. Oyied. & alios,

Ad rationem meriti sufficit libertas

mediata in actibus per se respicientibus motivum honestum sibi proprium.

alios, formalem libertatem ei negantes, ad rationem meriti aut demeriti sufficit libertas mediata, quæ ex se propriam habeat honestatem aut turpitudinem, id est actuum, qui intrinsecè respiciunt motivum honestum aut turpe per tendentiam sibi propriam, & diversam ab ea, qua motivum suum respicit actus, ex quo necessariò proveniunt; quod cùm conveniat actibus internis ex prævia intentione efficaci necessariò sequentibus, non verò externis, ideo dici potest illis competere propria ratio meriti, aut demeriti, non his.

Deinde vix contingere potest, ut posita intentione finis absolutè efficaci, eodem instanti posterius natura occurrat unicum medium, ad finis consecutionem illo eodem instanti exequendum: unde nullum est inconveniens, si isto casu metaphysico, electioni propria libertate carenti negetur ratio propria meriti aut demeriti.

Adde quod intentiones nostræ non soleant ante mediorum cognitionem esse absolutè efficaces, sed solùm sub hac implicita conditione, si in medio non sit nimia difficultas, aut aliqua inhonestas; hanc enim conditionem semper subintelligunt viri probi, unde fit ut sua semper maneat electioni libertas.

Imperium est intellectus principaliter.

79. Ratio imperii monastici, id est, quo quis sibi imperat, rectiùs & magis propriè dicitur formaliter consistere in actu intellectus. Ita S. Thom. hic, q. 17. art. 1. Cajet. Vasq. Sylv. & alii communiùs cont. Bonav. Scot. &c. quia ut rectè S. Thom. hic, *imperare est ordinare eum, cui imperatur aliquid faciendum, intimando, vel denuntiando*, quòd magis propriè convenit rationi, seu intellectui, quàm voluntati, cùm ordinare, intimando sit quoddam loqui.

Etiam tamen voluntatis.

Dixi *rectiùs* &c. quia etiam rectè dicitur consistere in actu voluntatis; cùm ex S. Thom. hic, qu. 9 art. 1. O. proprium sit voluntatis alias potentias movere ad suas operationes, unde S. D. hic, qu. 1. a. 1. ad 2. voluntati simpliciter tribuit imperium his verbis: *uno modo dicitur actio voluntaria,*

taria, quæ imperatur à voluntate, & q. 71. a.6. ad 2. *voluntas imperat omnes actus voluntarios.*

80. Hujusmodi imperium voluntatis seu volitionem efficacem rei imperandæ præsupponit imperium rationis, quæ intimare potest, vel per modum indicativi, dicendo, *hoc est faciendum*, vel per modum imperativi, dicendo, *fac hoc*. Convenientiùs exercetur imperium rationis hoc posteriori modo: sic enim efficaciùs movet ad executionem. Et quidem præsuppositivè.

Intellectio autem respondens his verbis, *hoc fac*, non est operatio intellectus speculativi, sed practici, sicut sunt mentalis interrogatio, oratio, & promissio, qui actus, seu mentis locutiones, sunt quidem objecti repræsentationes, spectatæ tamen secundùm suas proprias rationes non sunt apprehensio, aut judicium simplex, vel illatum, cum imperans, aut orans non plus apprehendat, aut judicet, quàm si non imperaret, aut oraret. Hinc divisio in tres vulgatas mentis operationes solùm comprehendit operationes intellectus speculativi, non practici, nisi hujusmodi actus velis comprehendi sub apprehensione. Cognitio respondens huic voci *fac hoc*, est actus intellectus præstivi.

81. Porro hoc imperium dirigitur ad ipsum hominem principaliter, & ut quòd, & minùs principaliter, & ut quoad ipsas potentias executrices, & ad voluntatem, quæ ut ab eo moveantur, non debent illud percipere, sed sufficit quòd radicentur in eadem anima, quæ per suas potentias intelligit, vult, & exequitur: intellectus enim, ut rectè S. Th. hic, non sibi soli intelligit, sed omnibus potentiis. Hoc imperium dirigitur ad hominem & ejus potentias, quas movet intimando.

Voluntas movet alias potentias, inclinando, imperium rationis intimando, quod proinde non est frustra, juxta S. Th. hic, q. 17. a. 1. O. supponit unum actum voluntatis, nempe electionem, & alium infert, nempe usum activum, qui immediatè potentias applicat.

82. Non requiritur ad omnem actum voluntatis liberum imperium rationis, seu judicium practicum prædeterminans, cum quo non possit componi non actus, ut cum variis Thomistis volunt Valent. Bellarm. Non requiritur ad omnem actum voluntatis.

alias non esset formaliter libera.

larm. quos refutant Suar. Vasq. Ovied. 1. Quia alioqui voluntas non esset formaliter libera in ulla sua operatione; positis enim omnibus ad agendum prærequisitis, non posset non agere in sensu composito. 2. Quia vel hoc rationis imperium oritur ex libertate voluntatis, vel non; si primum, ergo vel datur processus in infinitum, vel deveniendum est ad aliquem actum voluntatis liberum, qui non sequatur ex tali imperio, aut judicio practico, si secundum, ergo est suppositio absolutè antecedens omnem voluntatis determinationem, cum qua non stat non volitio; adeoque tollit omnem libertatem à voluntate, & consequenter ab homine; cum istud imperium, non possit esse liberum ratione sui immediatè, utpote procedens ab intellectu, qui ex communi sapientum sensu non est potentia formaliter libera.

Vt explicatur à P. F. Iosepho de Vita contra prædeterminatores, non caret probabilitate.

83. His non obstantibus probabile est & valde conforme principiis Divi Th. imperium rationis, prout explicatur à P. Iosepho de Vita Dominicano l. *De proprio & per se principio unde provenit peccatum in actionibus voluntariis*, p. 2. disp. 2. §. 22. nihil officere libertati, quia (ut ibi præclare P. Ioseph.) judicium practicum seu forma per illud apprehensa, ad quod realiter, & physice sequitur electio; est in potestate & dominio voluntatis, quæ per intentionem finis sibi naturalem applicat intellectum tanquam suum proprium instrumentum ad deliberandum & discernendum de singularibus agendis. Vnde voluntas per judicium practicum, seu formam per illud apprehensam determinat seipsam ut causa principalis; ipsam verò determinat intellectus tanquam instrumentum, quo ipsa utitur ad proprium objectum suo modo percipiendum. Hanc suam doctrinam confirmat ex Ferrariensi a quo, inquit: valde discrepant recentes, quorum prædeterminatio est superflua, impossibilis & contraria Divo Thomæ, cujus defensionem contra istos recentes ait se suscepisse. V. P. Iosephum sup. vel meum ex illo extractum, cui titulus est; *Au-*

ctoritas

ctoritas contra physicam prædeterminationem, novis ex ipso sacro Ordine FF. Prædic. petitis suffragijs stabilita.

84. Necessarium non est ad omnem actum efficacem voluntatis, imperium rationis non determinans: quia potest voluntas active indifferens, seipsam determinare ad efficace prosecutionem objecti ab intellectu sibi, absque ulla intimatione imperativa, propositi ut amabilis: subinde tamen utile est tale imperium ad voluntatem excitandam, eamque contra difficultates firmandam; ideo enim David Psalm. 145. dixit: *Lauda anima mea Dominum.* Et si non necessarium est utile.

CAPUT II.

Bonitas, Malitia, & Conscientia.

§. I.

Bonitas & malitia in genere, ex objecto, circumstantiis, & ex fine.

85. MOralitas actus, quoad rem non est aliquid adæquate essentiale & intrinsecum actui, nec modus realis ab eo, ejusque libertate distinctus; sed denominatio, partim intrinseca à certa tendentia actus in certum objectum, partim extrinseca à connotatis requisitis ad libertatem, & ab advertentia rationis ad honestatem & turpitudinem his enim sufficienter salvatur moralitas actus, absque ullo intrinseco ipsi superaddito. Moralitas est denominatio actui accidentalis.

Quoad conceptum verò consistit non in sola libertate, neque in solo ordine ad rationem ut regulam morum seu ut advertentem ad honestatem vel turpitudinem actus; sed in utroque, cùm utrumque requi- Ad quem requiritur libertas & ordo ad ra-

tionem ut regulam morum.

requiratur & sufficiat ad laudabilitatem aut vituperabilitatem, rationem meriti aut demeriti & ad cæteras proprietates actus moralis adeoque & ad ipsam moralitatem.

Bonitas est convenientia cum ratione, malitia disconvenientia.

Bonitas moralis in genere est convenientia, malitia verò disconvenientia cum natura rationali qua tali, aut cum dictamine rationis, immediata actuum humanorum regula.

Alia est objectiva quæ ab objecto in actum derivatur; alia formalis, quæ per se conveniens actui interno, prout hic & nunc liberè exercetur, ab objecto seu actu externo denominativè participatur.

Bonitas aut malitia formalis sumpta incompletè est tendentia actus in suum objectum modo convenienti, aut disconvenienti regulis morum: Sumpta verò complete est eadem tendentia ut posita libere, & cum advertentia ad regulas morum; unde sic sumpta non est forma simplex; sed quid complexè significabile, exurgens ex plurium proportione aut disproportione, quorum varia, ut libertas & advertentia rationis, secundùm se sunt indifferentia ad bonitatem aut malitiam.

Actus internus sumit bonitatem ab objecto ut convenienter amabili, vel odibili, malitiam contra.

86. Actus internus sumit suam bonitatem aut malitiam ex objecto ut est in mente; bonus quidem ex objecto repræsentato ut honestè seu convenienter amabili, si sit actus prosecutionis, si sit actus fugæ, ex objecto ut convenienter odibili: contra verò actus malus ex objecto repræsentato, ut disconvenienter amabili vel odibili. Ratio est, quòd ex S. Th. hic q. 13. a. 2. actus habeat speciem ab objecto sicut motus à termino. Hinc odium peccati est actus bonus, licet versetur circa pessimum; & contra odium Dei est actus pessimus, licet versetur circa optimum. Adde quod bonum mali odium semper habeat objectum formale bonum, ut odium peccati bonitatem Dei.

Externi actus hominis, qui sunt actus virtutum moralium, ut datio eleemosynæ, aut vitii virtutibus oppositi, ut actio furandi, habent formaliter bonitatem & malitiam in genere moris, cùm secundùm se conveniant naturæ rationali qua tali; alia

verò

verò objecta eam non habent formaliter, sed solùm causaliter, quatenus sunt honestè vel inhonestè amabilia.

17 Actus boni vel mali, qui versantur circa objecta de se indifferentia, suam bonitatem aut malitiam sumunt ex objecto formali, vel ex fine, aut circumstantiis, quæ aliquo modo transeunt in objectum, vel ex objecto materiali per præceptum extrinsecum reposito in materia certæ virtutis. Item ex & circumstantiis.

Actus externus ut existens objective; bonitatem objectivam seu materialem tribuit actui interno, quem objective causat; internus verò ut realiter existens, actui externo, quem effectivè causat, tribuit libertatem, & bonitatem formalem: Vnde patet nullam hìc intervenire causalitatem mutuam secundùm idem esse.

18. Bonitas vel malitia ex objecto petita prima est, & specifica: Quia actus specificantur ab objectis, in quæ tendunt tum in esse naturali, tum in esse morali, cùm ad illa dicant habitudinem essentialem pro eorum diversitate diversam, honestam vel inhonestam, pro eorum honestatem vel inhonestate. Objectum enim repræsentatum ut in se honestum sive formale, ut datio eleemosynæ, sive solùm causaliter quatenus est honeste amabile, ut Deus, non potest amari quin honeste ametur; & inhonestum contra. Bonitas ex objecto est prima & specifica, similiter malitia.

Hæc autem bonitas aut malitia est prima, cùm fundetur in ipsa actus essentia, seu essentiali tendentia, quà nihil potest esse priùs.

Hinc actus consideratus præcisè ut liber abstrahendo ab objecto, præscindit à bonitate, aut malitia formali, solùmque dicit fundamentum moralitatis indifferens ad bonum, & malum.

Cùm ergo S. Th. & alii dicunt actum humanum accipere primam bonitatem à libertate operantis, intelligendi sunt de bonitate materiali & fundamentali. Libertas est fundamentũ moralitatis.

Honestum in genere specificat amorem sui præscindentem a quovis honesto in particulari, sicut ens in genere specificat cognitionem sui; eamque di-

distinguit à cognitione cujusvis entis in species.

Vt actus sit bonus debet ferri in honestatem objecti saltem confusè.

89. Actus voluntatis debet saltem confusè & in actu exercito tendere in objectum propter ejus honestatem ut rationem formalem, est sancti Th. hic q. 14. a. 7. ad 3. Aug. in Psal. 31. *Bonum opus intentio facit, non valdè attendas quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat*. Ansel. l. de lib. arbit. c. 3. ubi ait *justitiam esse rectitudinem voluntatis propter se servatam*.

Ratio est, quod motivum, seu objectum formale voluntatis prosecutivæ sit necessariò aliqua bonitas; unde si non tendat in objectum sub ratione honesti, necessariò in illud tendet sub alia ratione boni, nempe delectabilis vel utilis, ipsa honestate omnino per accidens se habente.

Dixi *saltem confusè*, &c. quia ad hoc sufficit quod objectum repræsentetur & ametur sub aliqua ratione, quæ honesta est, seu sub qua est honeste amabile, quod fit quoties objectum de se honestum non repræsentatur, nec appetitur sub ratione boni delectabilis aut utilis, eo ipso enim in actu exercito repræsentatur & appetitur sub ratione honesti, ut contracti & exerciti in hac particulari materia, circa quam versatur v. g. in eo, quod est per eleemosynam sublevare proximi miseriam, quamvis reflexè & formaliter nihil cogitetur de honestate.

Vt sit malus sufficit malitia cognita, & interpretativè volita.

Vt actus contrahat objecti malitiam, non requiritur ut hæc, etiam confusè aut exercite ametur, sed sufficit quod sit cognita, & interpretative volita eo ipso, quo, ea non obstante, objectum est efficaciter volitum, quamvis illam secundum se voluntas aversetur. Rationem disparitatis ab actu bono dat S. Th. sup. cit. eo Dionys. de div. nom. c. 4. quod nempe. *Bonum sit ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu*.

Circumstantia est affectio actus accidentalis.

90. Circumstantia est affectio seu conditio actus humani existens extra ejus essentiam specificam in genere moris; ad ejus tamen bonitatem vel malitiam aliquo modo concurrens.

Conditio quæ est circumstantia actus spectati sub

sub unâ ratione morali, potest esse de ejus essentia sub alia ratione, ut quod res furtiva sit sacra, est circumstantia respectu furti ut sic, & non est circumstantia, sed de essentia respectu furti ut sacrilegi. Hinc quædam circumstantiæ mutant speciem, aliæ solùm aggravant intra eandem speciem, ut quantitas respectu furti.

Circumstantiæ rectè septem assignantur. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*; sub *quid* comprehenditur circumstantia *circa quid*.

est septuplex.

91. Etiam actus internus suas habet circumstantias propriè dictas, quales sunt intentio, duratio, modus quo fit cum majori aut minori libertate, cognitione, resistentia, aut inclinatione passionis vel habitus & similes tenentes se ex parte actus, aut potentiæ: hæ enim cùm non sint cognitæ nec volitæ nisi valdè improprie, eo nempe sensu, quo omnis volitio dicitur velle se ipsam virtualiter, scilicet & in actu exercito, sunt extra objectum, & essentiam specificam actus, & tamen ejus bonitatem, aut malitiam augent vel minuunt.

Convenit etiam actui interno, ut duratio, intentio.

Conditiones tenentes se ex parte objecti, ut conditio personæ, loci, &c. Etiam respectu actus interni habent rationem circumstantiæ, licet minus propriè, quàm respectu actus externi: quia licet sint aliquo modo volitæ, adeoque de objecto & partiali specificativo actus; ei tamen non dant primam bonitatem aut malitiam, sed eam ab objecto primario, ac per se intento secundùm se considerato acceptam, augent vel minuunt, & subinde ad aliam speciem transferunt. Patet in volitione occidendi personam sacram, aut in loco sacro, in qua reperitur malitia homicidii & sacrilegii, sed sic, ut illa sit primaria, hæc secundaria & accidentalis actui, non quidem sumpto adæquatè, sed sumpto inadæquate & præcisè sub ratione homicidii, cui ut sic accidit ratio sacrilegii.

92. Bonum & malum morale completè sumptum, non sunt differentiæ essentiales actuum humanorum sumptorum entitativè, seu in esse natu-

Bonitas & malitia sunt essentiales actus in esse moris, non in esse naturæ.

ræ, sed sumptorum in genere moris. Prima pars patet, quia nullus est actus, qui non possit fieri de bono non bonus, vel de malo non malus per sublationem libertatis, quæ est actui accidentalis. Potest etiam idem actus entitativè invariatus, fieri de non malo malus, per circumstantiam ex parte objecti, quæ durante actu incipit esse cognita, & volita, non formaliter, sed solùm interpretativè. Secunda pars est Sancti Thom. tum hic, q. 18. a. 5. O. ubi ait: *Bonum & malum diversificant speciem in actibus moralibus*, tum & clariùs q. 2. de malo art. 4. ad 6. ratio est, quòd actus humanus constituatur in esse morali, præcipuè per ordinem ad rationem, qui ordo essentialiter dividitur in convenientem & disconvenientem, seu bonum & malum.

Finis est objectum formale electionis.

93. Finis externus non est circumstantia actus electionis sumpti adæquatè, sed objectum & quidem principale & maximè specificativum, cùm sit ejus objectum formale, seu motivum ultimum ac primariò intentum: cùm enim electio eadem indivisibili tendentia attingat medium propter finem, utrumque simul natura attingit, medium quidem directè, finem solùm indirectè aliquo modo tamen priùs ratione.

Dixi *sumpti adæquatè*: quia si sumatur inadæquate, præcise ut est volitio ejus, quòd est medium; potest finis externus, v. g. fornicatio dici circumstantia respectu electionis furti ad fornicandum.

Electio mali ad malum habet duplicem malitiam.

94. Electio medii ex se mali ad finem malum, ab utroque malitiam participat, ac proinde duplicem specie, si medium & finis habeant malitias specie diversas, ut cum quis vult furari ad fornicandum: quia ipse actus est volitio efficax duorum malorum, unius ut objecti formalis, alterius ut materialis, quod sufficit ut utriusque malitiam participet. Quod si habeant malitias ejusdem rationis, sed disparatas, v. g. per ordinem ad diversas personas, ut si quis incendat domum Petri ad comburendas merces Pauli in illa contentas, electio contrahet duplicem numero malitiam injustitiæ, quia respiciet diversas damnificationes, quæ proinde non pos-

possunt coalescere in unam, ut coalescerent si pertinerent ad eandem personam, ut si quis incendat domum Petri ad consumendas omnes ejus opes.

95. Electio medii habentis honestatem ab honestate finis diversam, eique non subordinatam, nullam participat bonitatem ab honestate medii, quando appetitur præcisè ut medium, & nullo modo propter honestatem sibi propriam. Hinc actus quo eligitur jejunium præcisè ad sedandam libidinem, solùm participat honestatem castitatis, non temperantiæ: actus enim non accipit ab objecto honestatem, nisi appetatur expressè propter illam, ut contingit cùm eligitur eleemosyna, ad placendum Deo, cui scimus placere honestatem eleemosynæ; quo casu eleemosyna amatur formaliter ut honesta; licet non ibi sistendo. Vnde est quidem proprium honestati, posse amari propter se instar finis, non sic tamen, ut non possit reflexè etiam amari propter aliud instar medii. Tunc autem actus producitur ab habitibus virtutum, quarum honestas attingitur, simul ad eundem actum concurrentibus, adeoque tendentibus extra latitudinem sui objecti, at non se solis, sed cum consortio alterius; in quo nihil est repugnantiæ. Secus electio Boni præcisè ut medii ad Bonum.

§. II.

Bonitas & malitia actus imperati ab imperante, interni ab externo, actus indifferens in individuo & ex bono malus & contra.

96. Actus internus voluntatis ab alio efficaciter imperatus, regulariter retinet propriam libertatem immediatam ac proinde etiam propriam honestatem vel malitiam formalem. 1. quia plerumque imperium non est absolutè efficax, sed solùm ita inductivum ad actum, ut cum Actus imperatus regulariter retinet propriam honestatem.

eo componi possit non actus, 2. quia ordinariè relinquit indifferentiam ad varias circumstantias, ad substantiam actus redundantes. 3. quia sæpè non imperat directè & immediate actum voluntatis, sed applicationem intellectus, ad consideranda motiva voluntatem inclinantia ad actum. 4. denique ac præcipue, quia moraliter non contingit ut voluntas sibi imperet aliquem actum voluntatis ita præcise hic & nunc, seu pro hoc primo instanti ponendum, ut ejus executio, nullam prorsus patiatur latitudinem temporis; posita autem latitudine, jam actus imperatus elicitur à voluntate libera, nova libertate immediata; ut ostensum est sup. n. 77.

Secus si imperium sit absolute efficax pro hic & nunc.

97. Posito tamen quod voluntas efficaciter sibi imperet actum, ut hic & nunc eliciendum; probabilius est actum imperatum non habere propriam & immediatam libertatem, adeoque nec propriam honestatem formalem, sed solùm extrinsece, & denominative participatam ab actu imperante. Prima pars patet ex dictis de electione unici medii, supposita efficaci intentione finis sup. n. 75. Ratio est, quòd actus sic imperatus, non procedat à voluntate proxime indifferente ad ipsum, sed antecedenter determinata per imperium efficax, quod respectu actus imperati, est suppositio simpliciter antecedens, cum qua non potest componi non actus: alioqui enim imperium non esset efficax. Secunda pars sequitur ex prima; cùm libertas sit de ratione bonitatis moralis, sumptæ formaliter & completè, ac proinde sicut ad bonitatem formalem simpliciter requiritur libertas simpliciter, ita ad bonitatem formalem proximam & propriam, requiritur libertas propria & immediata actus.

Actus minus perfectus, potest imperare perfectiorem.

93. Potest etiam actus inferioris virtutis imperare efficaciter actum virtutis superioris, ac nobilioris; v. g. actus attritionis ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati, actum charitatis, seu contritionis perfectæ. Ratio est, quòd actus imperans, non debeat continere imperatum eminenter aut formaliter, imò nec virtualiter, saltem perfecte, & adæqua-

quale; cùm ad illum non concurrat ut principium per se influens, sed tantùm ut efficaciter applicativum principii per se influentis, & de se sufficientis, id est ipsius voluntatis Dei gratia instructæ, cum sufficienti propositione objecti. Similiter apprehensio evidentis connexionis consequentis cum antecedente, aut terminorum inter se in propositionibus per se notis, intellectum determinat ad assensum judicativum se perfectiorem.

199. Dices ergo is qui in ultimo instanti vitæ eliceret actum contritionis perfectæ efficaciter imperatum ex metu gehennæ, non justificaretur, quia talis contritio non haberet libertatem nec bonitatem intrinsecam; ac proinde nec meritum contritioni proprium.

Attritio imperans efficaciter contritionem pro hic & nunc non tollit ejus meritum &c.

R. N. seq. 1. quia hoc non potest moraliter contingere, ut patet ex n. 78. immò nec physicè, quia non congruit divinæ sapientiæ dare gratiam ad actum nobilissimæ virtutis, iis circumstantiis quibus non potest prodesse.

2. Quia probabiliter non datur ultimum instans vitæ.

3. Quia juxta Arriag. Lug. & alios, talis contritio sufficit ad justificationem quando imperatur ab actu honesto supernaturali: quia licet tunc non sit formaliter libera in se, est tamen absolutè honesta, meritoria & impetratoria, sicut actus externus Eleemosynæ v. g. ac proinde potest movere Deum ad gratiam justificationis per modum meriti congrui seu dispositionis, quam acceptet ex sua misericordia: potest enim Deus meritum actus imperantis acceptare hoc casu, quo conjunctum est cum contritione, quam de lege ordinaria, constituit ut proximam dispositionem ad justificationem, quamvis illud non esset acceptaturus, si præcise inveniretur per se & sine contritione.

Quidni enim dici possit Deus quemlibet actum honestum voluntatis illativum contritionis pro dispositione congrua ex misericordia acceptare, non nudè secundùm se, sed ut re ipsa conjunctum cum contritione: sicut (inquit Lug.) licet mors re ipsa

secuta in Martyre, non addat valorem aut meritum supra voluntatem moriendi pro Christo, hæc tamen acceptatio morte secuta conducit reipsa ad justificationem, ad quam non sufficeret secundùm se: quia nempe Deus effectum justificationis alligavit morti voluntariè propter Christum toleratæ.

4. Denique quia si actus charitatis sit forma justificans, ut probabiliter vult Vasq. vel dispositio physica ad gratiam ut alii volunt; contritio etiam sine libertate ulla justificabit, non per modum meriti, sed vel formaliter, vel per modum dispositionis, ad quam necessariò consequatur gratia habitualis.

Imo nec libertatem, quia eo casu actus imperans & imperatus sunt ex eadem determinatione voluntatis.

100. Dixi sup. num. 97. *probabiliùs*, quia oppositum conclusionis ibi positæ, quod nempè actus efficaciter imperatus pro hic & nunc libertatem, & consequenter bonitatem, aut malitiam propriam retineat, est valdè probabile, ut in simili dictum est sup. n. 76. de electione necessariò secuta ex efficaci intentione.

Ratio est, quòd eo casu voluntas se liberè determinans ad actum imperantem ex præsupposita cognitione actus imperati necessariò secuturi ex imperante, unica determinatione se ad utrumque determinat, quamvis ad eliciendum prius natura imperantem, & imperatum posteriùs, ac proinde uterque actus eandem libertatem participet; quamvis posterior dependenter à priori. Vndè determinatio voluntatis ad actum imperatum est solùm quædam extensio ejus liberæ determinationis ad imperantem, ex quo imperatus prævisus est necessariò secuturus.

Hinc actus imperans non est suppositio absolutè antecedens respectu imperati, sed ipsum in sui determinatione involvens. Deinde non videtur actus qui est actuale exercitium libertatis, posse eo instanti, quo elicitur tollere libertatem voluntatis ad actum ex ipso necessariò sequentem. Alioqui enim imperium sua efficacia, tolleret suam efficaciam, seu id quod efficaciter intendit: quia intenderet contritionem formaliter liberam ac bonum, & sua effi-

efficacia destrueret contritionis libertatem, ac bonitatem formalem.

101. Aliud est de casu, quo quis, eo instanti, quo liber est ad amandum Deum, à Deo peteret & impetraret prædeterminationem physicam, vel visionem beatificam, quibus necessitaretur ad Dei amorem, id enim, quod eo casu per actum sibi liberum acciperet, esset natura sua determinativum voluntatis, non à se, sed ab alio, & consequenter destructivum indifferentiæ activæ antecedentis, & ad libertatem requisitæ, sicut eandem destrueret, & certò libertatem tolleret à Deo per petitionem liberam impetrata negatio concursus ad utrumlibet, seu ad alteram partem contrarietatis, v.g. ad odium. Secus si ex prædeterminatione libere impetrata.

102. Actus voluntatis electus vel imperatus accipit bonitatem aut malitiam extrinsece denominativè à fine extrinseco, id est, quem ipse non respicit, sed ad quem ab actu eligente aut imperante extrinsece ordinatur, ut cùm ex puro affectu placendi Deo eligitur aut imperatur actus internus misericordiæ, tunc enim ab actu charitatis ipsum imperante, participat bonitatem non intrinsecam, qua fiat in se melior, quàm si non imperaretur ad istum finem; sed per denominationem extrinsecam, sicut actus exterior dationis eleemosynæ. Prob. quia ex S. Thom. hic, q. 17. art. 4. *Imperium & actus imperatus sunt unus actus humanus*, idest faciunt unum in genere moris, quatenus eam inter se habent connexionem ordinantis, & ordinati, ut imperatus moraliter informetur ab imperante, ejusque moralitate afficiatur, ut patet in actu externo, ab honesta vel inhonesta volitione imperato. Actus imperatus ab imperante accipit bonitatem extrinsecè & denominativè.

Verùm quidem est, quòd actus voluntatis imperatus, regulariter retineat propriam libertatem, & consequenter propriam bonitatem aut malitiam, ac proinde non tam perfectè imperanti unificetur in genere moris; quàm actus externus: eo ipso tamen, quo sequitur ex ejus efficacia, sufficientem cum eo habet dependentiæ connexionem, ut ab illo moraliter informetur, ac denominetur bonus aut malus.

Secus imperans ab imperante.

103. Imperans non accipit similiter ab imperato eandem specie bonitatem, quia non habet idem objectum cum illo, neque ab eo dependet tanquam à movente & ordinante, qualiter dependet imperatus ab imperante.

Actus venialiter malus potest pro instanti, quo est imperare actum destructivum peccati mortalis non venialis.

104. Si, ut volunt Granad. Con. Curiel. & alii contra Suar. fieri possit, ut actus charitatis non quidem perfectissimus, & omni peccato etiam veniali repugnans; sed minus perfectus sola mortalia excludens efficaciter imperetur ab actu venialiter malo (ut si quis ex amore divitiarum leviter inordinato sibi imperet actum charitatis perfectæ, ad eas faciliùs à Deo obtinendas) actus sic imperatus retenta sua bonitate intrinseca, vitiabitur extrinsecè, ac proinde erit bonus absolute, & malus secundum quid, quatenus nempè hic & nunc malè fiet, adeoque simul meritorius & demeritorius, sicut actus externus, v. g. eleemosynæ procedens ex duplici intentione, una bona, altera venialiter mala.

Hinc si quis ex affectu vanæ gloriæ venialiter malo, sibi imperet confessionem & consequenter dolorem de peccatis, hic dolor simul erit extrinsecè peccatum, & ratione suæ bonitatis intrinsecæ peccati destructivus, non potest tamen actu venialiter malo imperari efficax detestatio omnis omninò peccati ex motivo perfectæ charitatis; quia talis detestatio simul esse peccatum & omnis peccati destructiva, quod repugnat.

Actus supernaturalis non potest esse venialiter malus intrinsecè.

105. Ripalda tom. 1. de ente supernaturali, disp. 47. sect. 2. n. 17. docet eundem actum supernaturalem posse simul esse intrinsece malum, & absolute bonum, ut si quis eodem actu velit vitare peccatum mortale ad conservandam amicitiam cum Deo & simul nolit vitare mendacium leve ad conservandam amicitiam cum homine.

Verius tamen videtur non posse actum entitativè supernaturalem esse intrinsecè malum etiam venialiter, quia malitia quantumlibet levis, non potest convenire actui in substantia ordinis supernaturalis, seu aliquo modo divini.

Ve-

Verius etiam videtur actum supernaturalem non posse efficaciter imperari ab actu venialiter malo, quia cùm actus supernaturalis debeat procedere ex illustratione & inspiratione supernaturali, non potest sequi saltem immediatè ex actu venialiter malo: alioqui enim peccatum veniale esset initium salutis, & consequenter initium salutis esset ex nobis.

Nec imperari ab actu venialiter malo.

106. Actus externus interno a quo efficaciter imperatus, per se nihil bonitatis aut malitiæ superaddit in ordine ad majus meritum aut demeritum coram Deo. Hoc enim non solùm clarè significant scripturæ, docentes apud Deum voluntatem pro facto reputari: Gen. 22. *Quia fecisti hanc rem & non pepercisti filio tuo.* Matth. 5. *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam &c.* Sed & PP. disertè tradunt. Aug. lib. 1. de lib. cap. 3. *Si cui etiamsi non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo fit id eum cupere, &, si potestas detur, facturum esse, non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur*: Ambr. l. 1. off. cap. 30. *affectus pretium rebus imponit.*

Actus externus per se nihil addit actus interno bonitatis aut malitiæ.

Ratio est quòd actus externus, cùm non sit liber, nisi denominativè à libertate actus interni, à quo imperatur, nihil superaddat novæ libertatis, aut advertentiæ ad regulas morum, in quibus consistit bonitas, aut malitia formalis, proximè fundativa meriti aut demeriti. Hinc tanti est meriti voluntas efficax infinitæ eleemosynæ, quanti foret eleemosyna infinita, unico actu erogata; non est tamen meriti infiniti; quia objecti sui infinitatem non attingit modo distincto, & adæquato ejus bonitati, sed solùm modo quodam confuso, & valdè imperfecto, prout sibi ab intellectu repræsentatur.

Quia nihil addit libertatis &c.

107. Sæpissimè tamen actus externus auget bonitatem, aut malitiam interni per accidens; quatenus in executione externa, ipsa voluntas interna fit secundùm se melior, aut pejor; 1. ratione multiplicationis numericæ actuum voluntatis; quos sæpè contingit in ipsa executione repeti. 2. Ratione majoris eorum durationis, 3. etiam frequenter ratione majoris intensionis sunt enim varia opera, quæ ratione

Plerumque auget ejus bonit. aut malit. per accidens.

tione suæ arduitatis, aut delectabilitatis internos actus intensos exigunt, aut excitant. Id pulchrè expressit August. lib. de cura pro mortuis, cap. 5. *Nescio quomodo, cùm hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exteriùs visibiliter factis, ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit.*

Ex opere operato plus confert sacramentum quam ejus voluntas.

108. Plus tamen gratiæ, & consequenter gloriæ, etiam per se, confert sacramentum de facto susceptum, & martyrium reipsa toleratum, quàm efficax illorum volitio, non quod illa plus habeant bonitatis ex opere operantis, sed quod plus habeant ex opere operato, aut ex privilegio, sibi divina liberalitate annexo. Quod in martyrio manifestum est, cùm effectum non sortiatur, nisi ut consummatum morte, quam constat non esse patienti formaliter liberam, adeoque nec per se meritoriam. Similiter Christi merita, ad præmii retributionem, solùm moverunt ut consummata morte externa, non ut formali meritò, sed ut termino extrinseco omnium ejus meritorum, materialiter tantùm & objectivè meritorio.

Actus externus auget satisfactionem.

Etsi actus externus non augeat bonitatem, per se tamen auget satisfactionem, cùm hæc fiat per punitionem & pœnæ tolerantiam, quæ non exercetur per actum internum solùm, sicuti per externum simul.

109. Quamvis dentur actus humani indifferentes ad rationem meriti & demeriti coram Deo, quales sunt actus moraliter boni merè naturales, saltem infidelium: videtur tamen speculativè loquendo, probabilius nullos dari ad bonitatem aut malitiam moralem indifferentes in individuo, seu in suo exercitio.

Dantur actus indifferentes ad meritum & demer. Non ad bonit. aut mal. moralem.

Ratio est, quòd omnis actio humana deliberata, vel referatur ad finem honestum rectæ rationi conformem, & sic, ut per se patet, est moraliter bona; vel non referatur ad finem honestum, & sic est mala, 1. quia non est conformis regulæ rationis, eo fine homini à Deo datæ, ut in omnibus, quæ humano modo operatur ei se conformet, 2. quia est otiosa &

con-

consequenter mala: cùm enim verbum otiosum, (ex Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*) sit malum, etiam actio otiosa est mala: cùm par sit utriusque ratio.

Illud autem otiosum est juxta Basil. in regulis brevioribus interrogat. 23. *Quod ad propositum in Domino usum non facit*; juxta Greg. Hom. 6. in Evang. *Quod aut vel honestate rectitudinis, aut ratione justa utilitatis caret*; juxta Bernard. serm. de Templ. custodia, *quod nullam habet rationabilem causam*; juxta Origen. Hom. 1. in Psalm. 38. *Quod neque boni, neque mali aliquid agit*. His accedit August. lib. 4. contra Iul. cap. 3. *Cùm facit homo aliquid in quo peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet peccare convincitur*, & infra: *Quidquid boni fit ab homine & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, licet officium videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Quibus similia habent Fulgent. & Prosper, nostræ sententiæ adeo apertè faventia, ut ipsos, cum Aug. hanc tenuisse concedant Vasq. aliique contrariæ sententiæ propugnatores.

Otiosum est quod caret utilitate honesta.

110. Ideò autem potius tenetur homo in omnibus spectare bonum rationis, quàm bonum supernaturale, quia ordinati ad bonum rationis, est homini intrinseca, ac proinde lege naturæ in omnibus sequenda: ordinatio verò ad finem supernaturalem, extrinseca, & transcendens regulam, ei lege naturæ præscriptam.

111. Dices juxta S. Th. hic, q. 18. art. 8. & cæteros communissimè dantur actus indifferentes secundùm speciem: R. positivè, id est quibus ex sua ratione specifica essentialiter conveniat, nec bonitatem nec malitiam participare N. inde enim sequeretur etiam dari indifferentes in individuo; cum ratio specifica, necessariò reperiatur in individuis: præcisivè, id est, qui ex sua præcisa ratione specifica, aut tendentia in objectum, à quo specificantur, nec bonitatem habeant, nec malitiam C. quod etiam ipsorum individuis convenit, licet, quia de facto

Est homini intrinseca ordinatio ad honestatem naturalem non ad supernat.

exer-

exerceri non possunt nisi cum relatione vel sine relatione ad finem honestum, & cum aliis circumstantiis actum ultimò determinantibus, in sui exercitio bonitatem aut malitiam saltem materialem necessariò contrahant.

Dantur indifferentes secundùm speciem præcisivè Hæc solùm volunt PP.

S. Hier. epist. 89. solùm vult dari, modo jam explicato, actus ex objecto indifferentes, cùm ait: *Bonum est continentia, malum est luxuria; inter utrumque indifferens ambulare &c. sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Eodem sensu explicandi sunt Naz. Greg. aliique PP. oppositæ sententiæ faventes, vel certe dicendi sunt loqui de indifferentia Theologica quoad meritum vel demeritum coram Deo.

Opposita sent. est probabilis & consulenda ad vitandam multiplicationem venialium.

112. Fatendum est tamen sententiam affirmantem, saltem intellectam de iis actionibus, in quibus præcise intenditur moderata naturæ commoditas, esse valde probabilem & in praxi consulendam: Probabilem quidem quia pro se habet Scoti aliorumque gravissimorum Doctorum authoritatem; faventia Hieronym. aliorumque PP. Testimonia, & rationes sat solidas n. præced. tractas; neque argumenta in contrarium, videntur satis convenientia, ad tantam obligationem toti naturæ absolute imponendam; cùm ambulare aut accedere ad focum propter moderatam naturæ qua sensitivæ commoditatem, ibi præcise sistendo, non videatur otiosum, nec inordinatum, aut difforme; sed potiùs conforme regulæ rationis, non quidem ut positive præcipienti, sed ut permissive se habenti: consulendam verò, quia illam sequendo vitatur certum periculum multiplicandi venialia formaliter peccata, cùm per hoc fiat ut actiones illæ, quæ juxta sententiam negantem fieri nequeunt, sine peccato otiositatis, non sint peccatum, saltem formaliter, id impediente conscientia probabili & practicè tuta.

Hinc constat, saltem per accidens, dari posse & de facto dari actus indifferentes in individuo.

113. Idem numero actus internus physicè invariatus potest de non bono aut malo formaliter &

com-

complete, defectu libertatis, fieri formaliter bonus aut malus; quia potest actus bonus aut malus, quantum est ex parte tendentiæ in objectum, ex non libero, defectu advertentiæ, hac accedente, fieri liber, atque, ita intrinsece invariatus fieri formaliter & complete bonus aut malus.

Potest idem entitative actus internus imperatus fieri de extrinsece bono malus & contra: patet ex eo, quod actus externus possit ratione imperii modò boni, modò mali, extrinsece fieri ex bono malus & contra, & consequenter etiam internus, cum etiam hic ab actu imperante bonitatem aut malitiam extrinsecè participet sup. n. 97.

Potest, idem actus internus fieri de non bono bonus.

Potest etiam de indifferente ex objecto fieri malus & contra: quia potest permanente eadem tendentia libera actus in objectum, quatenus naturæ commodum absque ulla turpitudine, modò abesse, modò adesse advertentia ad circumstantiam, v. g. prohibitionem ex qua oriatur malitia, quæ ut contrahatur, non debet esse fore aliter volita, sed solùm interpretative, per hoc, quod, ea jam cognita hoc non obstante, continuetur actus sicut ante. Non potest tamen ex indifferente fieri bonus & contra; quia ut actus sit bonus, debet (ut dictum est sup. n. 89.) tendere in objectum propter suam bonitatem, quod actui indifferenti convenire non potest.

Et de bono extrinsece, aut indifferenti malus.

114. Probabilius est eundem physice actum internum aliquandiu durantem posse de bono ex sua intrinseca tendentia in objectum, fieri malum non per circumstantiam tenentem se ex parte objecti, qua animadversa objectum non possit amplius apparere sub ratione honesti simpliciter & consequenter nec remanere actus, qui antea in illud sub hac ratione tendebat, sed per circumstantiam tenentem se ex parte ipsius actus; qua proinde posita & agnita, objectum adhuc possit apparere cum eadem bonitate, sub qua antea appetebatur, & consequenter remanere actus intrinsece invariatus, sub eadem bonitate illud appetens. potest enim actus amoris Dei (saltem naturalis, & non perfectissime super omnia) du-

Imo & de bono intrinsecè malus per circumstantiam ex parte actus, non objecti.

rans

rans per horam, prima media hora esse simpliciter bonus ex objecto & omnibus circumstantiis, & secunda vitiatus per circumstantiam tenentem se ex parte solius actus adeoque nihil variantem circa objectum, & consequenter nec circa intrinseca ipsius actus, ut si ejus continuatio incipiat esse & apparere prohibita propter nocumentum valetudinis. Idem cum proportione dicendum de odio alicujus peccati.

Posita prohibitione amoris Deus non apparet convenienter amabilis.

Apparente autem ista prohibitione Deus potest adhuc repræsentari ut infinitè bonus, sub qua ratione est objectum amoris, quamvis non possit amplius repræsentari ut hic & nunc convenienter amabilis, sub qua ratione non est objectum amoris, sed virtutis moralis Dei amorem imperantis.

In casu conclusionis sup. n. 113. non esset idem numero exercitium libertatis; quamvis enim remaneat idem numero actus in esse naturæ, mutatur tamen advertentia, quæ per se videtur variare exercitium libertatis ut sic.

§ III.

Conscientia erronea, dubia, practicè certa.

Conscientia est judicium dare ut hic & nunc licita vel illicita.

115. Conscientia sumpta propriè, ex communiori PP. ac DD. usu *est dictamen intellectus quomodo judicamus aliquid hic & nunc esse licitum, vel illicitum*, seu præceptum vel prohibitum, faciendum vel fugiendum, aut quo judicamus aliquid fuisse à nobis bene aut malè factum. Prob. quia conscientia describitur à Basil. *Naturale judicatorium*, à Damasceno *lux nostri intellectus*, ab Orig. *Spiritus corrector, & pædagogus animæ sociatus*, à Laur. Iustiniano *rationis judicium*. Quæ & similes apud Vasq. aliorum PP conscientiæ descriptiones dictamini rationis a nobis explicato optimè conveniunt, uti & omnes effectus conscientiæ passim attributi, qui sunt *Ligare, urgere, instigare, accusare, testificari, defendere, reprehendere, justificare, condemnare*.

Colligitur ex PP.

Hinc

Hinc conscientia pertinet ad solum intellectum, cujus proprium est dirigere facienda, & judicare de factis.

116. Cum igitur Apost. 1. Tim. 1. conscientiam tribuit voluntati his verbis: *Emundabit conscientiam ab operibus malis*: Conscientiam sumit impropriè, pro subjecto eorum, de quibus conscientia judicat.

Impropriè tribuitur voluntati.

Hoc conscientiæ dictamen dicitur 1. practicum quia versatur circa actionem in particulari cum omnibus suis circumstantiis in individuo, eamque hic & nunc dictat faciendam vel non faciendam, atque ita illam immediatè dirigit in ordine ad executionem. 2. Practicè practicum seu omninò practicum ad distinctionem dictaminis, quod versatur circa actiones humanas magis universaliter, abstrahendo à circumstantiis, ut quo judicamus parentes esse honorandos, quod solet appellari speculativum, seu speculativè practicum; quia cùm non sit de agendis hic & nunc, non est proxima regula actionum. Prout respicit facta est etiam speculativum. Differt à Synteresi, quæ juxta S. Th. est habitus naturalis principiorum operabilium.

Dicitur practicè practicum, quia versatur circa actiones cum omnibus circumstantiis.

117. Conscientia dividitur 1. in veram & erroneam. Vera seu recta est, quæ verè dictat licitum vel illicitum, quod reipsa tale est; erronea contra est, quæ dictat licitum aut illicitum, quod re ipsa non est tale; hæc subdividitur, sicut ignorantia, quam importat, in vincibilem, & invincibilem: vincibilis in affectatam, crassam, & levem.

Conscientia vera dictat licere quod verè licet: erronea contra.

Est vera absolute, seu tam speculative, quàm practicè, quando est de licito aut illicito non solùm formaliter seu ut subest cognitioni operantis, sed etiam materialiter & secundùm se: aliàs solùm est vera practicè.

Dividitur 2. in laxam, quæ solùm majora mortalia curat, & in pharisaicam, quæ magna parvi, & parva magni facit.

3. In certam, tutam, dubiam, probabilem, & scrupulosam, de quibus inf.

118. Est semper peccatum operari contra conscien-

Operans contra conscientiam erroneam peccat. scientiam erroneam, est S.Thom. & adeò certa, ut Vasq. oppositam censeat hæreticam.

Quia quod non est ex fid. *seu persuasione quod liceat* peccatum est. Prob. 1. ex Apost. ad Rom. 14. *Qui autem discernit*, (sc. inter cibos sibi persuadendo aliquos præ aliis esse illicitos) *Si manducaverit damnatus est, quia non ex fide: omne autem, quod non est ex fide peccatum est.* Id est ex mente Orig. Ambr. Chrys. aliorumque PP apud Vasq. talis peccat, quia etsi de facto cibi lege Mosaica prohibiti, post Christum non sint amplius immundi & vetiti, tamen non operatur *ex fide*, hoc est ex judicio conscientiæ seu ex persuasione, quòd sibi licita sit talis comestio, omnis autem actio, quæ non est *ex fide*, id est, ex tali persuasione, *peccatum est*.

4 Ratione quia qui exercet operationem in se bonam putans esse malam, interpretative æque vult malitiam ac si de facto esset mala: cùm ejus voluntas æque feratur in objectum propositum ut malum.

Et difforme regula proxima actionum humanarum quamvis conforme legi æternæ. 119. Actio difformis conscientiæ erroneæ est quidem conformis legi æternæ dictanti istam actionem esse licitam; non tamen ideò est honesta formaliter, quia lex æterna non est regula immediata actionum humanarum; eas enim non regulat, nec honestat, nisi mediante dictamine rationis seu conscientia, à qua sola proximè & infallibiliter accipiunt honestatem formalem.

Adde quod actio difformis conscientiæ erroneæ sit etiam difformis legi æternæ superiori generaliter dictanti non esse agendum contra judicium rationis.

Quæ non regulat nisi cognita. 120. Cum S. Thom. hic q. 19. a. 4. O, dicit *ubi deficit humana, ratio opportet ad rationem æternam recurrere.* Non vult, quod errante humana ratione debeat voluntas nostra immediate regulari à ratione divina, ab eaque bonitatem accipere: hoc enim est impossibile, cùm ratio increata non possit regulare nostras actiones, nisi ut cognita per rationem

Cujus proinde cognita est inquirē- humanam immediatè regulantem: quare tantùm vult, quod quando ratio humana non potest satis discernere sit ne bonum aut malum, tunc recurrendum

dum sit ad rationem divinam, si ex Script. aut PP. sciri possit quid de tali objecto dictet. da ex script. & PP.

Diligere Deum perfectè super omnia, contra dictamen conscientiæ erroneæ dictantis esse peccatum hic & nunc diligere, implicat contradictionem; in eo enim involvitur velle efficaciter non peccare, & simul velle peccare.

121. Conscientia invincibiliter erronea dictans hic & nunc esse faciendum ex præcepto, quod re ipsa non est præceptum sed prohibitum & materialiter malum, obligat non solùm ne contra eam faciamus, ut volunt Dur. Greg. & Almai. sed etiam ut eam sequamur. Ita S. Thom. hic quæst. 19. art. 5. Rich. Suar. Vasq. Prob. 1. quia omissio actus, quem conscientia invincibiliter errans dictat esse præceptum, non fit *ex fide*, seu ex judicio conscientiæ, quod sit licita: ergo juxta Apost. n. 118. *peccatum est*; 2. quia voluntariè omittens actum, cujus omissionem judicat esse malam æquè vult interpretativè malitiam, ac ponens actionem; quam putat esse malam; cùm æquè consentiat in aliquid sibi propositum ut malum.

Operatio conformanda est conscientia invincibiliter erronea.

Alioqui non esset ex fide.

Sic errans, per accidens, obligatur ad illicitum materialiter, v. g. ad mendacium; non per se, nec ad illicitum formaliter. Vnde omissio mendacii eo casu est contra legem Dei æstimatam, & contra legem Dei generaliter præcipientis ne homo consentiat in illud, quod absolutè judicat esse peccatum: ex hac generali lege Dei derivatur vis obligandi hujusmodi dictaminis erronei, non ex lege particulari præcipiente mendacium nisi putativè. Obligat quidem contra præceptum superioris re ipsa existens, sed invincibiliter ignoratum.

Sic errans obligatur ad illicitum materialiter

122. Conscientia vincibiliter erronea non obligat simpliciter ut eam sequamur, quando dictat aliquid esse præceptum, quod reipsa prohibitum est, & malum: obligat tamen velut conditionatè ex hypothesi, quod eam non deponamus, sic ut sit peccatum cum ea in sensu composito omittere actum, quem dictat præceptum. Prob. 1. pars, quia eo ipso quo est culpabiliter erronea, homo tenetur

Conscientia vincibiliter erronea obligat ex hypothesi quod non deponatur.

eam deponere, eaque deposita omittere actum malum, quem ex culpabili errore dictat esse præceptum; 2. pars patet ex dictis n. 118.

Sic errans non obligatur per se simpliciter, & absolutè ad actionem formaliter peccaminosam, sed solùm per accidens ex suppositione ipsi voluntaria & culpabili, quod talem conscientiam non deponat, ut tenetur & potest, neque obligatur directe ad peccatum seu ad actionem ut formaliter peccaminosam, hoc enim repugnat, sed ad actionem, quæ hic & nunc exerceri nequit sine peccato.

Vndè sic errans constituitur in necessitate, errorem deponendi vel peccandi.

Neque eo casu errans constituitur in statu perplexitatis, sive in necessitate conscientiam erroneam sequendi, vel non sequendi, quorum utrumvis sit peccatum; potest enim & debet istam conscientiam deponere, atque ita se ab omni necessitate peccandi liberare, quòd si urgente necessitate operandi, illam non possit tam citò deponere, ex vincibili fiet pro hic & nunc invincibilis adeoque licitè ei se conformabit.

Volitio mali, quod vincibiliter creditur bonum est malo, & contra.

123. Licet voluntas tendens in objectum bonum, quod vincibiliter creditur malum, sit mala; tendens tamen in objectum malum, quod vincibiliter creditur bonum non est bona: disp. est, quod malum sit ex quolibet defectu, bonum ex integra causa: unde ad bonitatem actus non sufficit, ut objectum proponatur sub ratione honesti: sed insuper requiritur, ut hoc fiat servatis regulis prudentiæ dictantis objectum non esse proponendum, nec prosequendum ut honestum, nisi priùs examinatis omnibus circumstantiis & regulis; quibus debet conformari ad honestatem. Ex his

Nunquam licet agere contra conscientiam, quamvis errantem.

Deus non potest dispensare ut quis operetur contra conscientiam licet errantem, quia est intrinsecè malum facere id quod creditur esse malum. 2. Subditus non potest contra propriam conscientiam, Superioris mandatum exequi.

124. Operari contra conscientiam erroneam non est peccatum speciale ab aliis distinctum, sed ejus speciei, & gravitatis, quæ in opere aut omissione contra conscientiam ex objecto & circumstantiis

appre-

apprehenditur, v.g. omiſſio mendacii, contra conſcientiam dictantem illud hic & nunc eſſe præceptum ſub mortali ad ſuccurrendum vitæ proximi, eſt mortale contra charitatem: quia qui operatur contra conſcientiam ſive veram ſive erroneam, in tantum peccat in quantum facit aliquid, quod judicat eſſe peccatum, ergo &c.

Sic agere pertinet ad ſpeciem & gravitatem peccati, quod erroneò apprehenditur.

Hinc ſubinde gravius eſt operari contra conſcientiam vincibiliter erroneam, quam illam ſequi, ut ſi quis vincibiliter putet ſe hic & nunc teneri ad mendacium ſub mortali; & ſubinde gravius eſt eam ſequi, ut ſi quis vincibiliter putet ſe ſub veniali obligatum eſſe ad furandum ſummam notabilem pro ſublevanda pauperum miſeria, eo enim caſu peccabit mortaliter ſequendo conſcientiam, & ſolùm venialiter operando contra illam.

125. Dubium, hic *eſt ſuſpenſio animi non valentis ſe determinare pro alterutra parte contradictionis.*

Dubium eſt ſuſpenſio animi non volentis ſe determinare.

Varium eſt 1. negativum, quando iſta ſuſpenſio oritur ex eo, quòd pro neutra parte appareant rationes. 2. Poſitivum, quando ſuſpenſio oritur ex eo, quòd appareant rationes pro utraque parte æquales ſic ut intellectus hæreat velut in æquilibrio; 3. Exercitum quando præcisè intellectus manet ſuſpenſus. 4. Signatum quando intellectus actu reflexo judicat ſe dubitare. 5. Facti, cùm eſt de an ſit, vel non ſit. 6. Iuris, cùm eſt de an liceat, vel non liceat. 7. Speculativum, quando non verſatur directè circa actionem humanam, ut an res hæc ſit mea; vel quando ſolùm verſatur circa actionem humanam, modo generali abſtrahendo à particularibus circumſtantiis, ut an liceat vendere rem de qua dubitatur utrum ſit aliena; hujuſmodi dubium appellari ſolet ſpeculative practicum, cui opponitur practicum ſimpliciter, ſeu practice practicum, quod verſatur proxime circa actionem hic & nunc exercendam, ſpectatis omnibus circumſtantiis in particulari, de conſcientia hoc modo dubia hic potiſſimum agitur.

Aliud poſitivum, negativum, ſignatum, exercitum.

126. Conſcientia perplexa eſt cùm quis utrumque contradictorium, quorum alterum neceſſario debet

Perplexitas eſt apprehenſio pec-

cati in utroque, quorum alterum est eligendum.

debet existere, apprehendit esse peccatum, v. g. vel contra charitatem deserendo ægrum ad audiendum Sacrum die Festo, vel contra Religionem non audiendo Sacrum ad assistendum ægro.

127. Peccatum est operari ex conscientia practicè dubia. Quia opus sic factum non est *ex fide*, ergo ex Apost. ad Rom. 14. *peccatum est*. 2. Quia qui exercet opus, de quo, spectatis omnibus, dubitat utrum sit peccatum, interpretativè vult malitiam peccati, de qua dubitat, eo ipso enim æquè vult opus, sive sit peccatum, sive non.

Peccatum est operari contra conscientiam practicè dubiam, secus contra perplexam.

128. Qui in casu perplexitatis judicat utrumque contradictorium esse æquale peccatum, utrumlibet delegerit non peccat; non enim peccat in eo, quod se determinet ad alterutrum, cùm id non possit vitare hic & nunc manendo indifferens inter illa duo contradictoria, id enim repugnat: & nemo peccat in eo, quod vitare non potest: neque etiam in eo, quod hoc eligat præ alio, cùm enim in utroque appareat par malitia, perinde est utrum ponatur, & utrumvis eligat, eligit idem æquivalenter in ordine ad malitiam. Ita Sanch. Palao, Lugo.

Christus erat indifferens ad act. diversos moraliter: secus perplexus.

Christus quidem meruit obediendo, licet solùm esset indifferens ad diversos actus obedientiæ æqualis valoris petiti ex dignitate personæ, quia erat indifferens ad actus essentialiter diversos in bonitate morali fundata in motivo, intensione, duratione, anticipatione, &c. Vnde non sequitur ad demeritum sufficere indifferentiam ad duo contradictoria æqualiter mala in casu perplexitatis, in quo homo non operatur contra conscientiam, quod est intrinsecè malum: eo enim casu judicium de necessitate eligendi malum non est conscientia; cùm non sit practicum, hic & nunc aptum dirigere ad vitandum malum: sed conscientia est hoc iudicium reflexum, quo perplexus practicè dicit, cùm ex his duobus æquè malis alterutrum mihi hic, & nunc sit necessariò eligendum perindè est utrum eligam, quod judicium in illa hypothesi est prudens & rectæ rationi conforme, eoque in actu exercito tollitur

Qui dirigitur hoc judicio, perindè est utrum eligam.

litur

litur perplexitas, licet non in actu signato, quia ratione scrupuli & perturbationis non satis percipit tali judicio dirigi.

129. In dubio practicè practico tutior pars est eligenda, v.g. omittendo actionem, si in illa appareat periculum peccati, & in ejus omissione nullum; aut certè deponenda est conscientia dubia. Patet ex dict. sup. n. 123.

In dubio practicè practico tutior pars est eligenda.

130. Etiam eligenda est pars tutior in dubio speculativo, quando est vincibile: qui enim adhibita morali diligentia potest venire in certiorem notitiam obligationis dubiæ, v.g. audiendi Sacrum, quando dubitatur utrum sit Festum, tenetur de eo inquirere, vel Sacrum audire: quia neglecta inquisitione non potest formare prudens judicium practicum quòd hic & nunc non obligetur.

Quando etiam adhibita convenienti diligentia, dubium est invincibile, non est universaliter verum, quod in dubio juris aut facti necessariò sequenda sit pars tutior. Ita Suar. Malder. VVig. cont. Salas. Prob. quia hæc regula juris, *in dubio melior est conditio possidentis:* non solùm habet locum in materia justitiæ, sed etiam in aliis, ut rectè ostendunt Suar. Sanch. lib. 2. de matr. d. 41. q. 2. & 3. Vndè sicut is qui post diligens examen adhuc dubitat num res, quam possidet sit sua, vi istius regulæ potest eam retinere ut suam, licet oppositum tutius sit; ita etiam qui post diligens examen adhuc dubitat de existentia aut validitate voti, legis &c. potest vi istius regulæ formare prudens judicium quod hic & nunc non obligetur, adeoque potest, licet oppositum sit tutius, gerere se pro non obligato; cùm quisque sit in possessione suæ libertatis ad hoc vel illud faciendum, quamdiu non probatur sufficienter contraria obligatio.

Etiam in speculativo, quando est vincibile, secus si sit invincibile.

Tunc enim stat possessio pro libertate.

Hoc casu eligens partem minùs tutam solùm exponit se periculo peccati materialis, quod periculum non est tanti, ut propter illud homo debeat privari sua libertate.

131. Variis casibus in dubio speculativo invincibili tutior pars est sequenda. 1. Quando jure po-

Excipe casus, in quibus vel jura aliter statuunt.

sitivo ita constitutum est, C. Ad audientiam, & C. Significasti, & C. ultimo *de homicidio*, ubi expressè decernitur, ut dubitans de homicidio à se commisso censeatur irregularis, hoc fundamento; *quod in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem:* quibus tamen, ut doctè Suar. & Sanch. non declarant Pontifices hoc esse necessarium ex natura rei, neque adferunt istud principium tanquam præceptum naturale per se obligans, sed tanquam generale consilium, quo inducti sunt ad ita decernendum in hoc casu particulari, ob specialem reverentiam Ministerii Altaris. Hoc colligitur ex his verbis C. Significasti, *cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare*. Vndè hæc dispositio extendi non debet ad irregularitatem ex aliis causis, & multò minus ad alias materias, imò neque ad irregularitatem ex homicidio in dubio juris; cùm C. Is, Qui, *de sententia excommunicationis*, jus statutum sit, ut nemo ob aliquod crimen censendus sit irregularis, nisi in jure expressum sit. V Sanch. cit. sup. n. 13.

Aut agitur de injuria tertii.

2. Quando non solùm est periculum peccati materialis, sed etiam alterius incommodi, quod sic dubitans tenetur cavere, v. g. injuriæ tertii, nullitatis Sacramenti &c. hinc illicitum est bellum offensivum in dubio juris.

Vel possessio stat contra dubitantem.

3. Quando possessio stat contra dubitantem, hinc inferior dubitans an Superior justè imperet, tenetur obedire, quia possessio non stat pro libertate subditi, sed pro authoritate Superioris, qui non debet sua potestate privari propter dubia subditis occurrentia. Item qui certus est de voto à se emisso, aut de legis validitate & dubitat an ei satisfecerit, tenetur implere; quia votum, aut lex est in sua possessione.

Ad licitè operandum requiritur conscientia practicè certa moraliter.

132. Ad operandum licitè requiritur conscientia practicè certa, non quidem certitudine metaphysica, in humanis sæpè impossibili, sed morali excludente rationabilem formidinem de opposito; ita Adria. Almai. Suar. Laym. contra Lorc. Bres. Sanch. Gran. Lug. volentes sufficere probabilem.

Prob. 1. ex Greg. lib. 8. epistolarum epist. 30. *Grave est & indecens de re dubia certam proferre sententiam.*

tiam. S. Thom. quodl. 8. art. 13. alias 14. ubi docet: *eum qui plures præbendas habet , etiam casu , quo id re vera licitum est peccare si habeat dubitationem de opposito ; quia* (inquit) *si manente tali dubitatione plures præbendas habet , periculo se committit , & sic procul dubio peccat*. Vbi per dubitationem intelligit formidinem stantem cum judicio probabili , ut constat ex præcedentibus, ubi conscientiam dividit in certam fidem, & opinionem cum aliqua dubitatione. 2. ratione, quia, qui se voluntariè exponit periculo peccati, non solùm materialis, sed etiam formalis, peccat formaliter, ut patet ex Eccli. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*; sed qui operatur cum rationabili formidine de malitia formali suæ actionis, manifestè exponit se periculo peccandi formaliter: cùm ita judicet suam actionem hic & nunc esse licitam, ut simul judicet fortè esse illicitam & formaliter peccaminosam; cùm hoc importet judicium illud formidolosum, quo immediate dirigitur in sua operatione.

Non licet exponere se periculo peccati formalis, quod facit dubitans an sua actio sit formaliter mala.

Confir. 1. qui jaculatur in aliquid, probabiliter putans esse feram, sed simul rationabiliter formidans ne sit homo, juxta omnes voluntariè exponit se periculo homicidii, & peccat, ergo similiter in nostro casu; 2. qui solùm probabiliter judicat se hic & nunc non peccare potest falli, cùm omne judicium tantùm probabile sit fallibile: ergo potest peccare, cùm judicium probabile de non peccato non possit esse falsum, nisi posito peccato: ergo ex tali judicio operari, est sequi regulam peccato obnoxiam.

Iaculans in obiectum dubitans an sit homo, est homicida.

133. Dices 1. qui operatur ex judicio probabili, quod hic & nunc sibi liceat ita operari, prudenter operatur, cùm sæpe homo non possit habere majorem certitudinem de licentia suæ actionis: ergo non se exponit periculo peccati formalis. R. dist. antec. qui operatur remotè ex judicio probabili speculativè practico, ex illa probabilitate formans prudens, & certum judicium practicè practicum, quo immediatè dirigitur, modo n. seq. explicando, prudenter operatur C. qui operatur proximè ex judicio ultimatè practico, immediatè ipsum

Qui operatur ex judicio tantùm probabili de licentia sua.

actionis proximè ipsum dirigente imprudenter agit & peccat.

sum dirigente solum probabili, & rationabiliter formidoloso, prudenter operatur N. cùm enim per rationabilem formidinem adjunctam judicio probabili de licentia suæ actionis, ipsi proponatur hic & nunc esse periculum peccati in tali actione; & tamen eam ponat, imprudenter amplectitur periculum peccati, adeoque habet affectum interpretativum ad malitiam, & consequenter peccat formaliter sicut jaculans sup. n. 132.

Secus si ex tali judicio operetur illum remote & mediate mediante sc. ulteriore iudicio practicè practico moraliter certo.

Confir. quia, qui ex modo intrinseco se determinandi seu ex judicio, quo se immediatè determinat ad operandum, non habet securitatem, saltem moralem, quod suæ operationi non insit formalis malitia, non magis censeri potest prudenter operari, quàm qui sumit potum non habens securitatem moralem, quod non sit venenum: atque hic imprudenter operatur & peccat: ergo &c.

Quale ex probabilibus deduci potest non quidem immediate & proximè, sed remotè & mediatè.

134. Dices 2. ex principiis tantùm probabilibus, & incertis, non potest deduci judicium practicè certum de honestate actionis, cùm ultimum judicium practicum non possit esse certius principalis in quibus fundatur, atqui sæpè ultimum judicium practicum nititur principiis tantùm probabilibus, quale est istud: *Licet in praxi sequi sententiam probabilem relicta probabiliori*; de quo controvertitur, ergo dicendum est quod sufficiat conscientia probabilis. R. dist. ma. non potest judicium practicè certum deduci ex principiis tantùm probabilibus immediatè C. non potest remote & presuppositive N. & dist. mi. ad sensum ma. atqui nititur principiis tantùm probabilibus remote C. proxime N. unde N. seq. & totum declaro in exemplo V. G. judicium practicè practicum, quo judico mihi licere hic & nunc inire contractum triplicem fundatur remote & præsuppositive in argumentis tantùm probabilibus. quibus contractus iste probatur esse licitus, cùm fundetur in probabilitate hujus conclusionis speculativæ: *Contractus triplex est licitus*: & hæc probabilitas in illis argumentis; non tamen immediate, & proprie ex illis deducitur, neque ex hac probabili veritate speculativa, *Contractus triplex est licitus*,

Hoc modo: possum facere absque peccato for-

citus, sed ex alio principio immediatiùs practico, & moraliter certo, ex quo per legitimam consequentiam infertur, V. G. hoc modo: *Possum absque peccato exercere contractum, quem omnibus spectatis probabile, aut probabilius est esse licitum: atqui est probabile, imò multis probabilius contractum triplicem esse licitum: ergo possum hic & nunc illum exercere*. Vbi major est moraliter certa, aut saltem mihi longè probabilior, quàm ejus contradictorium; minor evidens, ac proinde conclusio ex illis deducta practicè seu moraliter certa.

mali, quod probabile est licere, atqui probabile est licere peccatori nō statim pœnitere, ergo hic & nunc id possum &c.

135. Similiter ut quis prudenter sequatur sententiam alienam minùs probabilem relicta propria probabiliori, debet ejus ultima resolutio practica immediatè fūdari in principiis practicè certis Quod fieri potest, 1. si teneat ut moraliter certum, vel ut probabilius quod licitum sit sequi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori, 2. si utatur hoc aut simili principio reflexo: quidquid nonnulli in contrarium sentiunt, probabile est, imò, saltem mihi, est probabilius cuilibet licere sequi sententiam verè probabilem relicta probabiliori, cùm plures id doceant, quàm oppositum; atqui licitum est & prudens operari juxta probabiliorem & communiorem DD. sententiam; ergo mihi hic & nunc licet ita operari.

136. Cōfirm. quia licet hæc propositio: *licitum est sequi sententiam minùs probabilem, &c.* sit tantùm probabilis; hæc tamen, ex qua in præsenti immediate infertur judicium practicè practicum: *Probabile est licere sequi sententiam probabilem relicta probabiliori*: Non est tantùm probabilis, sed evidens & certa; ergo &c.

Vbi resolutio practica immediatè infertur ex minore evidenti, & majore ei qui illam tenet, moraliter certa.

Neque adeò difficile est, etiam in rudibus reperiri hujusmodi resolutionem practicam moraliter certam, ad quam non est opus, ut expresse & formaliter forment discursum à nobis factum, sed sufficit quod saltem confusè apprehendat posse fieri, idque faciant in actu exercito, per hoc quod bona fide procedentes absolutè, & absque rationabili formidine de opposito, judicent se hic & nunc bene operari.

Hæc

Nec resolutio fit à rudibus, saltem in actu exercito, sufficienter ad sedandos scrupulosos.

Hæc nostra doctrina non est magis obnoxia scrupulis, quàm adversariorum sententia de sufficientia conscientiæ probabilis: quandoquidem is, qui operatur ex conscientia tantùm probabili, rationabiliter formidet, inter operandum ne peccet, & post actionem, ne peccaverit; non item qui operatur ex principiis reflexis & conscientia practice certa, qui proinde, si non obstante hac practica certitudine, qua immediate dirigitur, subinde oriatur suspicio vel umbra peccati, eam tutò potest contemnere, secundùm regulas infra scrupulosis præscribendas.

In praxi non licet operari ex cōscientia tantùm probabili.

137. Quamvis sententia contraria defendatur à DD. gravissimis, adeoque sit valde probabilis, non licet tamen in praxi eam sequi; quia ejus probabilitas nihil potest juvare, ut quis eam tutò & licitè sequatur in praxi: vel enim eam sequens in operando dirigetur ab ista notitia, quod probabile sit licere operari ex conscientia tantùm probabili, vel non, si primum jam reipsa non operabitur ex conscientia tantùm probabili, sed ex illo judicio reflexo practicè certo, quod tunc habebit rationem conscientiæ, si secundum, probabilitas opinionum nihil conferre poterit ad honestatem ejus operationis. Vti enim, si quis errore invincibili putet quod liceat operari conscientia dubia, non propterea desinet peccare, si operetur ex conscientia dubia immediate & independenter ab ulteriori dictamine practico in illo suo invincibili errore fundato; ita &c.

Quia talis operatio nō est ex fide.

Ille operatur conscientia tuta, qui sequitur sententiam probabilem in ea fundando judicium practicè certum de licentia suæ operationis modo sup. n. 134. & seqq. explicato. Secus si operetur ex directione immediata judicii tantùm probabilis de licentia suæ actionis cum rationabili formidine de opposito: ejus enim operatio non est *ex fide*, adeoque ex Apost. Rom. 14. *peccatum est.*

Probabilitas tollit formale peccatum quatenus

138. Non potest itaque probabilitas alicujus sententiæ aliter conducere ad vitandum peccatum, quàm fundando conscientiam practice certam, qua homo immediatè dirigatur in sua operatione, quod non potest fieri in proposito, cùm sententiæ hic à nobis

bis rejectæ probabilitas non sit de honestate ipsius operis secundùm se, sed de eo, quod licitum sit ponere operationem ex conscientia tantùm probabili. Vnde ut quis in praxi eam sententiam sequatur debet immediatè operari ex tali conscientia, non autem ex aliquo ulteriori dictamine practice practico in probabilitate istius sententiæ fundato: alias enim reipsa non fieret quod ista sententia docet licitè fieri posse, sed daretur dictamen practicum ulterius, eo quod supponitur esse ultimum, ac proinde ponetur modus operandi diversus ab eo qui est in quæstione. Ex his.

fundat conscientiam practice certam, non aliter.

1. Agendo de ultimo dictamine practico immediatè actiones humanas regulante, potest quidem esse sub opinione an hoc aut illud dictamen sufficiat ad operandum licite aut honeste, non tamen pendet ab opinione; cum de facto requiratur certum dictamen & certus modus operandi, quæ si desint, nullum actum purgabit ab intrinseca, & formali malitia.

Deficiente ultimo dictamine certo, probabilitas non purgat act. à formali malitia, nec ei dat rationem meriti, deficiente conditione requisita.

2. Simile est in his quæstionibus utrùm ad honestè operandum debeat formaliter intendi ipsa honestas, utrum ad meritum requiratur libertas immediata, supernaturalitas intrinseca vel extrinseca &c. quæ quidem in opinione posita sunt, cùm de illis controvertatur inter Doctores, non tamen pendet ab opinione, quia si istæ conditiones reipsa requirantur, nihil in earum defectu juvabit probabilitas sententiæ oppositæ ad actus honestatem vel meritum, cùm intrinsecum ejus tendendi modum non mutet.

139. Subinde tamen expedit oppositæ sententiæ probabilitatem scrupulosis proponere. 1. Ante factum ne nimis anxii hæreant quando non videntur sibi habere conscientiam satis practicè certam, quia non habent judicium certum de honestate suæ actionis, secundùm se; possunt enim eo casu ex probabilitate alterius sententiæ sibi formare judicium reflexum practicè certum, quòd possint tutò operari sine conscientia practicè certa, atque ita jam habebunt in actu exercito, quod in actu signato judicabunt non esse necessarium. 2. Post factum ut non ita anxiè post singulas actiones timeant, ne forte peccarint defectu conscientiæ satis certæ.

Probabiliter juvat scrupulosos.

§. IV.

§ IV.

Conscientia in opinione probabili fundata & scrupulosa.

Probabile est quod firmo nititur fundamento authoritatis & rationis.

140. Opinio probabilis est, quæ habet pro se fundamentum prudenti judicio solidum eique in Script. CC. aut PP. nihil repugnat. Improbabilis contra.

Fundamentum probabilitatis duplex est, authoritas & ratio, hæc non sufficit ut quis ob illam recedat à communi DD. opinione, si sit certa ut vult Silvest. vel, ut Sanch. & alii, nisi omnibus ritè expensis prudenter judicetur prævalere, aut ut minimum, æquivalere fundamentis oppositæ sententiæ.

Huic, nisi sit evidens prævalet authoritas.

Authoritas DD. communissime aut saltem communiùs ita sentientium, magnam tribuit probabilitatem in rebus moralibus, de quarum licentia & honestate non potest melius judicari, quam ex prudenti sapientium sensu.

Iuxta Azor. Vasq. Villalobos ad absolutam probabilitatem sufficit authoritas duorum aut trium in doctrina morali bene versatorum, qui absque partium affectu rem ex professo accuratè examinarunt, & suam sententiam solidis rationibus ab aliis antea non animadversis aut non satis attentè expensis firmarunt, eversis, aut certè plausibiliter refutatis adversariorum fundamentis. Hoc extendit Villalobos cum variis ad Authoritatem unici Doctoris doctrina & pietate celebris.

Quæ respectu rudium ad probabilitatem sufficit.

Dixi *ad absolutam probabilitatem*, id est respectu omnium etiam virorum doctorum & capacium bene ponderandi motiva probabilitatis, & non solùm respectu rudium & illiteratorum, qui generaliter ut probabilem amplecti possunt quamlibet opinionem sibi à viro docto & probo propositam quamdiu non habent causam rationabilem de ejus probabilitate dubitandi.

Probabilius non est semper tutius.

141. Opinio probabilior non semper est tutior: major enim probabilitas petitur à firmiori & verisimiliori

miliori fundamento: major verò securitas à majori recessu a periculo peccati etiam materialis: unde sæpe fit ut probabilior fit minùs tuta, & contra, ut patet in sententia negante peccatorem teneri statim pœnitere, quæ certò est probabilior affirmante; hæc tamen tutior in praxi; cùm magis recedat à periculo peccati, & damnationis.

Dixi tutior in praxi; quia licet is, qui isti opinioni se in praxi conformat, statim pœnitendo ubi advertit se peccasse, meliùs sibi consulat & à periculo pecccati etiam materialis ac damnationis æternæ magis recedat; ille tamen, qui etiam speculative eam tenet judicando esse peccatum statim non pœnitere, exponit se periculo singulis instantibus multiplicandi peccata per quamlibet pœnitentiæ dilationem, & consequenter infinitarum anxietatum periculo ex metu, ne forte (quod non facile discerni potest) non statim pœnituerit.

Diversitas opinionum probabilium potest esse vel de sola honestate & licentia actionis, sicut una ex illis dicatur minùs tuta, ob solum peccati materialis periculum; vel de aliqualia conditione actionis eam reddente utilem, vel noxiam v. g. an aliqua materia aut forma sufficiat ad valorem sacramenti, an medicamentum sit utile, an noxium, an actus sit tertio injuriosus vel non, ubi sententia minus tuta dicitur, non solùm ratione periculi peccati materialis, sed etiam ratione alterius incommodi, v. g. nullitatis sacramenti, jacturæ bonorum, salutis corporalis, vel spiritualis proximi.

Probabilitas alia de honestate actionis, alia de ejus utilitate &c.

142. Nullo casu licet sequi sententiam probabilem aut minùs tutam relicta probabiliori ac tutiori, nisi in illius probabilitate fundari possit judicium practice practicum moraliter certum, quod hic & nunc liceat eam sequi, absque ullo peccati formalis periculo. Patet ex dictis sup. n. 132. Vnde qui sentiunt non posse modo ibidem explicato formari tale judicium ex sententia minùs probabili, tenentur probabiliorem sequi: alioqui enim exponerent se periculo peccati formalis, quod est peccare.

Non licet sequi minorem probabilitatem nisi in ea fundari possit conscientia practicè certa.

Quando probabilitas opinionum non est immediatè

diatè de honestate aut licentia actionis: sed de aliquo præsupposito, v. g. pertinente ad valorem sacramenti, ad efficaciam aut inefficaciam medicinæ, ad jus litigantium &c. per se loquendo sequenda est sententia probabilior & tutior. Hinc.

Probabilius & tutius sequendum est in dubio de valore ad sacramentum ad morbi curationem &c.

Vnde minister sacramenti tenetur uti certioribus.

143. 1. Minister sacramenti tenetur in iis quæ pertinent ad ejus valorem & efficacitatem, sequi sententiam certam aut certiorem, relicta incerta quamvis probabili vel etiam probabiliori, est communis & certa Suar. Henriq. Valen. Vasq. contra Palao.

Prob. 1. quia sæpe præceptum Ecclesiæ ad id obligat. 2. Quia sufficientia alicujus ad valorem & effectum sacramenti non pendet a probabili judicio hominum, sed ab institutione Christi, qui si non ita instituerit, quamvis probabiliter id asserant DD. manebit sacramentum invalidum aut sine effectu; ac proinde, quia in istis sequitur viam incertam irreverenter tractat sacramentum illud voluntarie exponendo periculo nullitatis, aut inefficacitatis; ac proinde peccat graviter, 1. Contra religionem sacramentũ irreligiose tractando. 2. Contra Charitatem si per hoc suscipiens aut alius exponatur periculo salutis. 3. Contra justitiam modo dubio sacramenta conferendo suscipienti, jus habenti & volenti, ut sibi modo quantum fieri potest certo & infallibili ministretur, eo ipso, quo se ad illud suscipiendum submittit.

Alioqui peccaret cont. religionem, charitatem & justitiam.

Porrò hæc doctrina tenenda est, ut rectè Ovied. contra Palao, sive incertitudo opinionum sit circa materiæ aut formæ sufficientiam, sive circa jurisdictionem, quam quidem ratione probabilitatis æquivalentis errori communi ab Ecclesia suppleri, & tali casu ministro conferri probabiliter docent Suar. Bonac. Pontius, aliique multi: hoc tamen valde incertum est & a multis meritò negatur.

In necessitate tamen tenetur uti incertis.

144. 2 Minister sacramenti subinde per accidens potest & debet sequi viam probabilem immò & dubiam, etiam in iis quorum sufficientia nullo modo pendet ab opinione hominum, ut in casu extremæ necessitatis, v. g. si infans alioqui moriturus sit sine baptismo: quia charitas, & (respectu parochi) etiam justitia obligat ut proximo in tali necessitate succur-

ratur

ratur eo meliori modo, quo fieri poteſt; ac proinde incerto, fortaſſis profuturo, ſi non poſſit certo, ſimiliter tenetur ſacerdos abſolvere moribundum etſi incertus ſit de ſufficientia diſpoſitionis ejus, v.g. Quia tenet ſigna doloris abſente ſacerdote data, ad id non ſufficere, idem ſubinde, licet, extra caſum extremæ neceſſitatis ex cauſa gravi &, prudenti judicio, ſufficienti, ad utendum materia minùs certa, quando certior deficit.

145. 3. In iis in quibus ſufficientia alicujus requiſiti ad ſacramentum, aliquo modo indirectè dependet à probabilitate opinionum, ut formalis integritas confeſſionis, videtur etiam ſine gravi cauſa, tum conferenti, tum ſuſcipienti licere ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori, modò abſit ſcandalum, prohibitio &c. Prob. quia quando ſufficientia pendet aliquo modo indirectè a probabilitate opinionum, eo ipſo, quo quis ſequitur ſententiam probabilem, facit ut res ſufficiat ad ſubſtantiam & effectum ſacramenti, adeoq; ſacramentum non tractat irreverenter illud exponédo nullitati, nec ulli facit injuriã.

Iiſdem licet uti extra gravem neceſſitatem quando ſufficientia pendet à probabilitate opinionũ.

Hinc quia ad valorem & effectum ſacramenti pœnitentiæ ſufficit confeſſio formaliter, ſeu moraliter integra, qui omittit aliquod peccatum, quod ex probabili ſententia judicat non eſſe mortale, aut probabiliter putat, licet cum formidine, ſe illlud non admiſiſſe, aut aliàs confeſſum eſſe, ſuſcipit ſacramentum validè & fructuosè, quia licet fortaſſis peccatum omiſſum reipſa ſit mortale, aliàs non confeſſum, eo ipſo tamen, quo ex probabili ſententia illud omittit, facit confeſſionem formaliter integram, adeoque ſufficientem ad valorem & effectum ſacramenti ut tenent Vaſq. Ovied Lugo de pœnit. d. 16. n. 58. & alii paſſim.

Vt formalis integritas confeſſionis omiſſis aggravantibus.

Idem dic de omittente confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes ex probabili ſententia, quod non ſint neceſſario confitendæ.

Similiter juxta Suar. Sanch. Granad. Ovied contra Salas, poteſt quis validè & fructuoſe accipere abſolutionem ab habente juriſdictionem ſolùm probabilem, ſi cum mortalibus confiteatur venialia in quę ſacerdos

Valet abſolutio ab habente juriſdictionem

cerdos habet juriſdictionem ſufficientem, ſicut ab illis validè poſſit abſolvere, modò non ponatur obex; qui non ponitur eo ipſo, quo proceditur ex ſententia probabili de ſufficientia juriſdictionis in omnia, ac proinde in eo caſu ſolum eſt periculum, ne ſola venialia remittantur directe per quod nulla fit injuria ſacramento, cùm per hoc non reddatur nullum, nec fruſtretur ſuo effectu.

Solùm probabilem, quando cum mortalibus ſubijciuntur venialia.

146. Non licet abſque neceſſitate aut gravi cauſa in uſu ſacramentorum ſequi ſententiam probabilem cum periculo nullitatis, idque etiam ſecluſo ſcandalo, prohibitione, &c. præciſe ratione irreverentiæ erga ſacramentum. Ita Petrus Soto, Ledeſm. Suar. Henriq. Valen. & cæteri communiùs cont. Vaſq. Sanch. Palao & alios probabiliter diſſentientes, prob. quia per ſe inordinatum eſt ſine neceſſitate vel cauſa rationabili exponere ſacramentum periculo nullitatis, ergo ſecluſa quavis alia inordinatione eſt peccatum.

Fit injuria ſacramento abſtractè ſumpto, aut potiùs Chriſto ejus inſtitutori, quando abſque cauſa ſequendo opinionem probabilem exponitur nullitati.

Hoc autem caſu non fit injuria ſacramento huic in particulari, quod confici intenditur, & fortè non conficitur; ſed ſacramento ſumpto abſtractè, v. g. baptiſmo ut ſic: quatenus actio ſacramentalis irreverenter tractatur, eam exponendo nullitati.

Adde quod propriè & realiter loquendo non fiat injuria ſacramento, quod cùm non ſit aliquid ratione utens, non eſt capax juris, nec injuriæ; ſed ipſi Chriſto, ſacramentorum inſtitutori, ejus nomine actionem ſacramentalem uſurpando, tanquam ceremoniam ſacram ab ipſo inſtitutam ad effectum ſacramentalem, eo modo, quo probabile eſt non poſſe habere effectum aut rationem ſacramentalem talis ceremoniæ.

Medicus tenetur uti remedio certiori.

147. Medicus tenetur uti medicamento certo, relicto probabili, & dubio, quia alioqui infirmum temerè & injuſtè, exponeret periculo morbi diuturnioris, vehementioris, & ſubinde mortis; deficiente tamen medicamento certo tenetur adhibere probabile, immo & dubium, ſaltem quando ſolùm dubitatur an ſit profuturum vel non, non verò an ſit gra-

graviter nociturum: quia tenetur consulere ægro, omni meliori modo, quo fieri potest.

Quando moraliter certum est ægrum alioqui moriturum, & non suppetit medicamentum tutius, adhiberi potest periculosum, ex quo probabiliter timetur mortis acceleratio, modò probabiliter judicetur posse prodesse; quia melior est salus incerta, quàm mors certa, adeoque præstat medicamentum dubium quàm nullum: nunquam tamen licet adhibere periculosum medicamentum solius experimenti causa. Regulariter loquendo tenetur mederi juxta propriam sententiam.

Quo deficiente potest uti dubio, & subinde etiam periculoso.

148. Iudex in qq. facti (ut si litigetur ad quem pertineat hæreditas; quia incertum est quis inter aspirantes sit propinquior, vel natu major) tenetur adjudicare parti pro se habenti testimonia vel instrumenta, aliave argumenta probabiliora, est communis & juxta Præpos. certa.

Iudex tenetur judicare secundum in quod sentit esse probabilius, 1. in qq. facti.

Cùm vero omnibus consideratis varia sunt pro utraque parte rationum momenta, cæteris paribus, judex neutri potest adjudicare, sed debet rem dividere, si res sit utiliter divisibilis, vel aliter partes inter se componere; ita Suar. Th. Sanch. Valen. Sair. & alii communissimè cont. Ioan. Sanch. & Petr. Ledes. ratio est quod eo casu nullum sit fundamentum uni potiùs adjudicandi, quàm alteri, adeoque judex uni adjudicando non sequeretur regulam justitiæ, sed suum beneplacitum.

Etiam in qq. juris (v.g. an legatarius jus acquirat ad legatum per testamentum minus solemne) Iudex per se loquendo tenetur judicare secundùm sententiam, quàm omnibus spectatis sentit esse probabiliorem, ita Silvest. Sot. Vasq. Les. contra Medin. Salo. Arrago. Sair. Ledesm. Prob. 1. quia judex ad hoc constitutus est, ut sententiam ferat secundùm merita, 2. quia oppositum videtur acceptio personarum à Scripturis reprobata. 3. Quia, cùm in plerisque controversiis juris facilè inveniatur sententia aliqua, quæ judici videatur probabilis, licet opposita sit probabilior; hoc esset ponere fortunas & vitam hominum in arbitrio judicis, qui posset pro

2. Etiam in qq. juris alioqui vitæ & fortunæ hominum essent in ejus arbitrio.

affectu de his in utramvis partem disponere, quod per se videtur absurdum, iniquum, & reipublicæ perniciosum.

Confirm. ex PP. Ambros. in Ps. 118. *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit: sed juxta leges & jura pronuntiat.* Isidor. de sum. bono lib. 2. cap. 51. *Non est persona in judicio consideranda, sed causa.*

Advocatus potest tueri minus probabile: professor tenetur ad probabilius.

Advocatus tam in causa facti, quàm juris potest partem minùs probabilem contra probabiliorem tueri. Bonac. Laym. & alii. Prob quia utraque pars habeat jus producendi suas causas & rationes in judicio.

149. Professor tenetur docere id quod sentit esse verum, aut probabilius; ita Sanch. Bec. Bres. quia alioqui imponeret suis auditoribus, iisque esset aliquo modo injurius, quatenus illis ingeneraret opiniones minùs probabiles, & suo judicio falsas, aut probabiliùs falsas: potest tamen indicare sententias minùs probabiles, immò & docere quod sint probabiles: idque expedit, ut discipuli opinionum suæ oppositarum probabilitatem non ignorent.

Et ad diligentiam pro veritate.

Tenetur ex officio adhibere moralem diligentiam ad assequendam veritatem, & in moralibus ad sciendum aliarum sententiarum probabilitatem, alioqui enim exponeret se periculo suos discipulos decipiendi & injuria afficiendi.

Qui sequitur probabiliorem relicta tutiori prudenter agit, adeoque licitè.

150. Quando solùm agitur de actionis licentia & periculo peccati materialis, quod in opinabilibus non potest omninò vitari, etiam sequendo sententiam probabiliorem, quæ potest esse, & subindè reipsa est falsa.

Probabilius est, 1. Licitum esse in operando sequi sententiam probabiliorem, licet minùs tutam, relicta tutiori, est Victoriæ, Sylvest. Azor. & aliorum communissima ac practicè certa. Prob. 1. Quia cùm ratione imbecillitatis humani ingenii sit difficillimum, & sæpè impossibilè certo assequi veritatem circa agibilium honestatem, prudenter & rationabiliter agit, qui sequitur probabiliorem, in eaque fundat conscientiam practicè certam. 2. Quia esset onus nimis grave, & humanæ fragilitati intolerabile,

bile, si ad vitandum quodcumque periculum peccati materialis, teneremur in omnibus sequi viam securissimam, v. g. statim pœnitere post admissum peccatum, repetere confessiones, imò & baptismum sub conditione, suborto quovis dubio aut metu de eorum invaliditate.

151. Probabilius est 2. etiam licere sequi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori & tutiori.

Etiam qui probabilem relicta probabiliori. Quæ non est regula certa nec necessaria actionis rectæ.

Prob. 1. authoritate longè plurimorum DD. pietate, doctrina, imò & dignitatibus ecclesiasticis illustrium.

Abelli Episc. Rod. l. de principiis moralis Christianæ Gallicè edito Paris. an. 1670. pro hac sententia, quam studiosè amplectitur citat. S. Aug. epist. 19. ad Hieron. S. Leonem cognomento magnum epist. 92. ad Rustic. Narbonens. S. Antonin. in sum. part. 10. tit. 3. cap. 1. & apud hunc Albert. magn. Palud. Patriarcha Hierosol. Malderus Episc. Antverp. 1. 2. q. 19. disp. 86. Nicol. Tudesc. Archiep. Panorm. in cap. Capellanus *de Feriis*, Zerol. Episcop. Minorens. in praxi pœnitentiæ cap. 22. q. 3. Ioseph. Anglef. Episcop. Bozan. q. de confessione difficul. 8. Didac. Alvar. Archiepisc. Tranens. in comment. in 1. 2. Bartholom. Ledesm. Episc. Guaxagensis in tract de pœnitent. Sacramento difficult. 14. Mart. Bonac. Episc. Aug. Barbos. Vgentium Episc. tom. 1. collectan. in lib. 2. Decret. pag. 408. Ioan. Caramuel Episc. Misiæ, Bartholom. Med. ad 1. 2. q. 19. a. 6. concl. 3.

Ita Episcopi & DD. plurimi.

His Episcopali dignitate fulgentibus addit DD. eruditione clarissimos, Lop. p. 1. instructorii conscient. 20 concl. 2. Franc. à Victoria in sum. de confess. n. 177. Sylvest. verb. (opinio) n. 1. Ban. in 1. 2. q. 10. a. 1. dub. 3. concl. Aragon. in 2. 2. dub. penult. ad art. 4. quæst. 63. Sayr. lib. 7. Clavis Regiæ c. 4. n. 4. Martin. Navar. de pœnit. dist. 5. n. 38. Pet. de Navarra lib. 3. de restit. c. 1. n. 237. Ioan. Medin. q 22. de rebus per ludum acquisitis. [illegible]zant. ad 1. 2. q. 19. a. 6. disp. 2. n. 3 Sylvium in 1. 2. ad q. 19. a. 5. q. 9. concl. 3. Gamache. in c 2 q. 19. c. 2. Duval. tract. de humanis actibus q. 4. a. 12. Isambert. in 1. 2. disp. 9. a. 4. Ludov. Bail. lib. de triplici examine par. 1. q. 13. pag. 207. tertiæ additionis.

Ex quibus patet sententias de usu probabilitatis non esse proprias Iesuitarum.

152. Hos omnes, aliosque permultos ex quovis ordine DD pietate ac doctrina celebres appellat apertissimos hujus nostræ sententiæ Patronos, fideliter relatis eorum verbis P. Stephanus Deschamps in quæstione facti: Vtrum Theologorum Societatis propriæ sint istæ duæ sententiæ, prima: *Ex duabus opinionibus probabilibus possumus sequi minùs tutam.* Secunda: *Ex duabus opinionibus probabilibus licitum est amplecti minùs probabilem.*

Esse certò probabiles.

In hac quæstione non disputat illius Author, utrum istæ sententiæ sint veræ an falsæ, sed præcisè intendit ostendere non esse Theologorum Societatis proprias, quod evidentissimè demonstrat (& simul, quamvis præter intentum, efficacissimè probat esse certò probabiles) productis nempè tot illustribus istarum sententiarum defensoribus, è quibus non pauci illas docuerunt prius quàm ullus Societatis Theologus de hac controversia quidquam scripsisset.

Irreprehensibiles adeoque injustis peti conviciis.

Ex quibus patet 1. non potuisse absque insigni calumnia Montaltium, VVendrocKium, SinnicKium, & alios ejusdem fermenti Scriptores istas sententias tamquam Societatis proprias calamo felle amaritudinis imbuto conviciis acrius quàm solidis rationibus impetere. 2. Eos non agi studio veritatis, nec ut jactitant, zelo morum reformationis, sed odio palam noto, quo, absque ulla probabili charitatis & justitiæ apparentia, Iesuitas prosequuntur; cùm hos solos convitiis onerent, cùm tamen viri docti, quales se profitentur, ignorare non possint sententias de usu probabilitatis in Ecclesia recepto, non esse Iesuitarum proprias, sed aliis permultis doctrina & sanctitate claris communis. Hoc patens odium minuit eorum authoritatem.

Cùm nitantur solido auctoritatis & rationis fundamento.

153. Prob. 2. Quia nititur ratione solidiori. 1. Enim qui sequitur opinionem probabilem non operatur temerè & imprudenter, cùm non operatur absque ratione & causa rationabili. Ergo eo ipso, quo opinio est probabilis, potest homo in ea fundare dictamen practicum, prudens, & moraliter-certum, ut sup. n. 134. 2. Quia potest contingere, ut opinio

opinio probabilior reipsa sit falsa, cùm constet multas olim probabiliores nunc censeri improbabiles aut falsas, ut sententia docens solemnitatem votorum religiosorum esse juris divini, non ecclesiastici, & esse de essentia status religiosi, olim communissima nunc certò falsa, ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente Domino*: Ergo opinio probabilior non est regula certa, neque necessaria actionis rectæ. 3. Quia cùm sæpè difficile sit & ferè moraliter impossibile discernere, quænam ex opinionibus inter DD. multùm controversis, sit reipsa probabilior, obligatio hanc in omnibus sequendi esset onus intolerabile, & innumeris anxietatibus ac scrupulis obnoxium, ergo &c.

Pro faciliori solutione obiicibilium, notandum est 1. duas conclusiones à nobis positas n. 150. & 151. intelligendas esse de opinionibus verè, & certò probabilibus, non verò de solùm dubiè aut probabiliter probabilibus, 2. nos cum authoribus sup. n. 151. citatis, eas tradere (ut tenentur Magistri) tanquam nostro judicio probabiliores: unde fit ut nobis non sit difficile ex illis, & altera certò probabili deducere modo supra explicato n. 134. 135. 136. dictamen immediatè operationem regulans, practicè certum. Hoc ferè à 100. annis notavit Mich. Salonius, August. vir teste Miræo doctrina & sanctitate clarus l. de jure & justitia controversia 2. conclus. 4. ad art. 4. quæst. 63. S. Thomæ, ubi sic argumentatur ad hominem ex adversariorum sententia: *Eligenda est opinio, ut volunt probabilior: sed quod liceat amplecti probabilem* (relicta ut ibi docet probabiliori) *est probabilior, cùm habeat plures ac gravissimos authores, & firmiora fundamenta, quam opposita, ut ex progressu hujus disputationis constat.*

Loquimur de certò probabilibus, & probabilius quàm adversarii.

154. Dices 1. qui in praxi sequitur opinionem minùs probabilem, facit id, quod probabilius judicat esse materialiter peccatum. R. simul judicando probabiliter non esse peccatum materiale, & certò saltem non esse peccatū formale, C. in quo nulla est inordinatio, ut patet 1. ex rationibus conclusionis. 2. quia sic operans potest & debet formare judicium reflexum, prudens, & practicè certum, quo judicat quidquid sit

Is agit quod probabilius judicat esse peccatum materialiter eiusque periculo se exponit, sed simul certò moraliter judicando id sibi licere.

sit de malitia magis fundamentali, & divina prohibitione rei secundùm se, omnibus tamen spectatis, non esse hic & nunc inordinatum, nec à Deo prohibitum, sed permissum ita operari.

Dices 2. sic operari est exponere se periculo peccandi. R. peccandi formaliter N. materialiter C. quod non est illicitum, ex causa rationabili: aliàs enim, non liceret sequi sententiam probabiliorem, relicta tutiori minùs probabili, quòd tamen omnes aut fere omnes admittunt, ut certò licitum. Item in casu æqualis utrimque probabilitatis, aut dubii vera sit probabilior, non liceret se in alterutram partem determinare: imò non liceret operari ex sententia probabiliori, quando libera & licita est cessatio ab opere, quia etiam sic operans exponit se periculo peccati materialis.

Iure volunt tutius eligendum in dub. proprie & in periculo damni a peccato distincti.

Cap. Iuvenis *de sponsalibus*, Cap. ad Audientiam *de hom cidio*, & alia jura sup. n.131.cit. quibus dicitur tutior pars eligenda, vel solùm continent consilium, vel solùm vera sunt in casu dubii propriè dicti, aut dubii de peccato formali, vel in eo casu, quo est periculum alterius incommodi, quàm peccati materialis, quod ad alios casus in jure non expressos, extendi non debet.

Aug. vult pœnit. non esse differendam, cum incertitudine temporis pœnitendi.

August. his verbis: *tene certum, & dimitte incertum*, relatis cap. Si quis *de pœnit.* non docet sententiam certiorem & tutiorem esse amplectendam, sed pœnitentiam non esse differendam, cum incertitudine & salutis periculo usque ad finem vitæ, ut patet ex Textu.

155. Vt quis licitè sequatur sententiam minùs probabilem, non est opus, ut speculativè eam teneat; sed satis est quod eam judicet probabilem, licet ipse opinetur oppositum esse verum, adeoque illud teneat speculativè tanquam probabilius, & tutiùs. Ita Sanchez, Laym. Montesinos. Ovied. & alii.

Potest fundari conscientia tuta in opinione probab. aliena proprie contraria.

Prob. 1. quia vir doctus sequens opinionem alienam probabilem, sequitur judicium peritorum, ac prudentum, eis submittendo suum, quod judicat fortè esse falsum; hoc autem est conforme rectæ rationi, & prudentiæ legibus; adeoque prud... -i-

git,

git, & consequenter licitè. 2. Quia potest homo, etiam stante sua speculativa opinione contraria, in aliena probabili fundare conscientiam practicè certam, ut supra, num. 132. & seqq. 3. Quia variis casibus tenetur vir doctus operari juxta aliorum sententiam contra propriam, ut 1. Si alioqui periclitetur salus proximi, v.g. defectu absolutionis post data signa poenitentiæ ante adventum Sacerdotis. 2. Si à Superiore præcipiatur.

Dices, nunquam licet operari contra propriam conscientiam. R. sequens sententiam alienam minùs probabilem non operatur contra conscientiam: quia in homine sic operante conscientia non est ejus propria opinio, qua speculative judicat hoc aut illud esse probabilius, aut verius; sed est judicium practicè practicum moraliter certum in aliena probabili sententia fundatum, quo indubitanter judicat sibi hic & nunc licere ita operari. Hinc

Vnde operari contra opinionem propriam, non est operari contra suam conscientiam.

156 1. Quando in Civitate plura sunt horologia, quæ solent benè gubernari, licitum est, quodlibet sequi, in ordine ad pensum horarum, jejunium naturalem &c. quia singula fundant opinionem probabilem.

2. Confessarius tenetur absolvere poenitentem de coetero benè dispositum, qui sequitur sententiam probabilem (v.g. quòd in certo casu non sit obligatio restituendi) contrariam sententiæ Confessarii probabiliori, eo enim casu poenitens sufficienter dispositus, facta confessione, habet jus ad absolutionem.

Confessarius debet absolvere poenitentem ipsi probabiliter dissentientem.

3. Potest vir doctus, dum consulitur dare consilium juxta quamlibet sententiam probabilem, etiam suæ contrariam, nisi ab eo quæratur, quidnam ipse sentiat. Quando consulitur de obligatione restituendi peccabit contra justitiam, si ex sua probabili sententia consulenti absolutè respondeat ipsum obligari, si ex aliena probabiliori, aut etiam solùm probabili, non obligetur, & hoc ipsi non indicet.

Potest Consultus consulentem pro resolutione favorabili, mittere ad alios modò doctos & probos, quos scit tenere quasdam opiniones, quas ipse quidem

Consultus potest dare consilium

juxta sententiam probabilem sua contrariam.

quidem opinatur esse improbabiles; non omninò absolutè; sed solùm juxta rationes sibi notas, & modum, quo illas apprehendit, simul putando fortè alios de iis melius judicare.

157. Pro his, aliisque pluribus, scitu dignis, ad controversiam de opinione probabili pertinentibus, V. Apologeticum Honorati Fabri secundò editum Colon.an.1672. in cujus prima parte reperies confutationem Vincentii Baronis cum brevi summa errorum, convitiorum & calumniarum, quæ in ejus Apologia continentur. Item confutationem Marinarii & aliorum de opinione probabili. In secunda parte invenies præclaros tractatus de opinione probabili. 1. Patris Stephani Deschamps. 2. Patris Martini de Espars efficaciter refellentis rationes Mercorii, & argumenta ac convicia, Sinnichii contra usum licitum opinionis probabilis. Item P. Matthei de Moya, Cuimenii &c. Vide etiam Terillum libro integro de eadem materia fusè & doctè disputantem.

Scrupulus est actualis vel habitualis apprehensio anxia peccati, ubi non est.

158. Scrupulus est apprehensio, vel suspicio ac formido orta ex levibus fundamentis dictans peccatum esse ubi revera non est, & hominem anxium reddens in operando. Vndè consistit formaliter & primariò in intellectu, secundariò & consecutivè in voluntate, sc. secundùm anxietatem, quam gignit. Conscientia scrupulosa hic sumitur pro animo talibus scrupulis habitualiter agitato, subindè etiam pro scrupulo actuali.

Ejus causæ sunt novem præcipuæ.

Causæ scrupulorum sunt 1. Complexio timida, suspicax, & melancholica. 2. Iudicii imbecillitas. 3. Inconstantia mentis. 4 Ignorantia. 5. Acumen ingenii sufficiens ad excogitandas rationes dubitandi, & insufficiens ad eas dissolvendas. 6 Occulta superbia, qua quis proprio judicio nimium fidit, nec acquiescit alieno. 7. Nimius timor peccandi. 8. Conversatio cum scrupulosis. 9. Suggestio dæmonis & divina permissio ad punitionem peccatorum præteritorum, ad humiliationem, patientiam, aliosve bonos fines.

Qui ex proprio aut Cô-

159. Licet & plerumque expedit agere contra scrupulum strictè sumptum: quia non est vera conscien-

scien-

ſcientia, ſed ſolùm umbra conſcientiæ; cùm non ſit judicium ſaltem perfectum, ſed ſolùm fortis apprehenſio & formido peccati: vel ſi ſit judicium, eſt ſpeculativum, cum quo ſtare poteſt verum & rectum judicium practicum de honeſtate actionis hic & nunc omnibus ſpectatis. Ita communiter DD.

Vt quis licitè agat contra ſcrupulum debet cognoſcere ſaltem probabiliter ſe eſſe ſcrupuloſum. Poteſt autem id cognoſcere 1. ſi deprehendat ſe hærere in praxi & frequenter angi in rebus ſat certis, in quibus videt communiter doctos & timoratos nullam apprehendere culpam, aut ipſemet ex principiis generalibus ſatis videat ibi nihil eſſe mali. 2. Si difficulter acquieſcat prudentum judicio. 3. Si ſit nimius in ſuis reflexionibus, ut ſi v. g. poſtquam judicavit aliquid eſſe probabile, & in praxi tutum adhuc angatur, quia timet ne fortè non habeat judicium practicum ſatis firmum & certum, ſed operetur conſcientia formidoloſa. 4. Si à prudenti Confeſſario judicetur ſcrupuloſus.

fessarii iudicio probabiliter ſcit ſe eſſe ſcrupuloſum prudenter agit contra ſcrupulum, quippe qui non eſt conſcientia, ſed eius umbra.

160. Remedia ſcrupulorum ſunt 1. Sæpè recurrere ad Deum. 2. Sequi in omnibus conſilium directoris docti, probi, & non ſcrupuloſi, quem non facilè mutet, nec alios conſulat ſuper dubiis ab eo reſolutis. 3. Non ita pendere à directoris conſilio, ut ad ſingula eum adeat, ſed paulatim aſſueſcat formandæ per ſeipſum conſcientiæ ex principiis generalibus ab ipſo, aut aliunde acceptis, certus ſe ad plus non teneri, quamvis rudis ſit. 4. Sequi plerumque in praxi laxiores ſententias, etiam quæ aliis non eſſent conſulendæ: quia ſcrupuloſis multa licent in praxi, quæ ſunt aliis illicita, quod Director debet diligenter advertere. 5. Variis & continuis occupationibus avertere mentem à cogitationibus ſcrupuloſis. 6. Purgare melancholiam, & indulgere moderatæ recreationi.

Scrupuli remedium eſt humiliter obedire Confeſſario.

161. Scrupuloſus valdè timoratus, qui habitualiter ita eſt diſpoſitus, ut pro nulla re vellet ſcienter & deliberatè Deum graviter offendere, & reipſa nunquam, vel non niſi rariſſimè, labitur in mortalia externa, cùm advertentia plena & deliberatione

Timoratus qui in mortalia externa non labitur, & inte-

rim agitur de internis securè potest judicare se iis non consensisse.

ne ita perfecta, ut non possit dubitare, quin sint mortalia; & interim ferè semper anxiè timet ne consenserit peccato v. g. cogitationi venereæ, blasphemiæ, contra fidem vel temerariæ contra proximi famam & honorem &c. securè potest & debet judicare se non consensisse, quamdiu non constat illi manifestè de consensu; imò quamvis de eo videatur sibi certus, potest, & (si sit scrupulis valde agitatus) ex judicio prudentis directoris debet illam certitudinem & evidentiam contemnere tanquam imaginariã: adeoque communicare sine prævia confessione.

Ratio est, quòd non sit morale, ut is consentiat actibus in internis mortiferè peccaminosis, quia à pluribus annis suæ veræ ac sinceræ conversionis non labitur in mortalia externa, quæ sunt æquè in ejus potestate, quàm actus interni; qualia sunt aspectus, tactus, aliique actus impudici supra seipsum; cùm enim talem timor Dei præservet à majori delectatione mortali, etiam indubiè præservat a minori.

CAPUT III.

Vitium, peccatum actuale omissionis & commissionis, huius formale & causa, finita peccati mortalis malitia, delectatio morosa, & legis ignorantia.

§. I.

Vitium.

Vitium est habitus suo subjecto disconveniens, physicè contrariatur virtuti acquisitæ.

162. Vitium est habitus suo subjecto disconveniens, illudque constituens imperfectum, & inclinans ad actus eidem disconvenientes.

Vitium & virtus acquisita opponuntur contrariè physicè. Prob. quia habitus acquisitus amoris & habitus odii Dei v. g. Obedientiæ & inobedientiæ formalis, sunt ejusdem ordinis, sub eodem genere habitus, & maximè ab invicem distant, seque mutuò ab eodem subjecto expellunt. Ergo eis nihil deest ad

veram

veram contrarietatem physicam, in post prædicamentis ab Aristotele descriptam.

Confir. quia ejusmodi habitus ex essentia sua tendunt ad producendos actus physicè oppositos, à quibus cùm generentur, ab iisdem etiam contrarietatem participant.

Hæc autem oppositio præcipuè petitur ex parte objecti formalis: virtus enim moralis semper habet pro objecto formali honestatem seu convenientiam cum recta ratione; vitium contra semper habet pro objecto formali rationem aliquam delectabilitatis, in qua relucet quædam inhonestas seu disconvenientia cum natura rationali qua tali, opposita honestati virtutis. Vnde licet actus vitiosus non habeat pro objecto formali ipsam disconvenientiam seu malitiam, cùm non possit appeti malum quà malum; simpliciter tamen dici potest in eam tendere ipso exercitio, quia tendit in illam eo modo, quo in eam affectum prosecutionis tendi potest, fertur enim in turpe seu in malum qua tale, si ly qua reduplicet rationem cognitam in objecto, non verò rationem formalem appetendi. *Propter contrarietatem objectorum formalium.*

Liberalitas ex parte sui objecti formalis immediate opponitur illiberalitati, & hac mediante, avaritiæ ipsi opposita per defectum, & prodigalitati opposita per excessum.

Datur inter virtutem & vitium alia contrarietas fundata in oppositione ipsarum tendentiarum; ut desiderium & fuga ejusdem objecti V. G. hujus voluptatis in particulari; accessus enim & recessus sunt motus oppositi quamvis versentur circa idem. *Tendentiarum.*

Idem alia est fundata in oppositione terminorum, ut amor calidi & amor frigidi: isti enim motus sunt oppositi, eo ipso præcise quo feruntur in opposita; licet non propter rationes oppositas. *Et terminorum.*

163. Vitium & virtus supernaturalis, seu per se infusa cum gratia & charitate, non habent contrarietatem physicam. Est S. Th. in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. cont. Malder. Prob. 1. Quia simul stant in gradu intenso, ut cùm peccator valdè intemperans subitò convertitur, & justificatur V. G. per heroicum actum con- *Vitium & virtus supernaturalis, cum non sint ejusdem ordinis, non contrariantur physicè.*

contritionis vel per Sacramentum cum insigni dispositione: eo enim casu recipit gratiam habitualem intensam & consequenter omnes habitus infusos, qui eam pari passu comitantur; adeoque intensum habitum supernaturalem temperantiæ, & tamen adhuc in illo manet intensus intemperantiæ habitus, ut patet ex vehementi inclinatione, quam in se experitur ad actus intemperantiæ, & ex magna difficultate ad actus temperantiæ: hic tamen habitus, justificatum non denominat intemperantem, quia jam est ei involuntarius & retractatus saltem implicitè.

Vnde in recenter converſ. ſtant ſimul in gradu intenſo.

Confir. quia habitus supernaturales sunt superioris ordinis, & non sunt qualitates datæ ad sensibiliter inclinandum ad actus proprios facilè producendos ut habitus acquisiti, sed ad complendam & habitualiter elevandam potentiam ad actus, quos ipsa se sola non potest attingere. Adeoque magis participant de natura potentiæ, quam habitus. Item non pendent ab actibus in generari: ergo non est necesse ut actuum contrarietatem contrahant V. S. Th. hic q.65. a.3. ad 2.

Odium Dei expellit charitatem demeritoriè.

Odium Dei expellit charitatem supernaturalem demeritoriè ut cætera mortalia, non physicè si enim defectu advertentiæ sufficientis odium Dei non fit mortale, non expelletur charitas, ergo non expellitur ab ipsa entitate actus odii, quæ eadẽ est sive actus fiat cum plena sive absque plena rationis advertentia.

Actus injustitiæ, & justitiæ supernaturalis habent quidem oppositionem ex parte objectorum materialium, quæ sunt reddere cuique suum, non reddere cuique suum, ratione cujus oppositionis non possunt simul consistere: non sunt tamen strictè contrarii, quia non sunt ejusdem ordinis.

Omnia vitia sunt contraria naturæ humanæ quà rationali.

164. Omnia vitia & peccata sunt absolutè loquendo contra naturam; quia simpliciter repugnant alicui bono honesto, quod convenit naturæ rationali qua tali. Prob. 1. ex Aug. l. 11. civit. c. 17. ubi ait: *Vitium ita contra naturam est, ut non possit nisi nocere naturæ.* 2. Quia quælibet virtus etiam supernaturalis est maximè consentanea naturæ humanæ, inquit S.Th.

Sunt tamen quædam vitia & peccata naturæ humanæ

manæ qua ſenſitivæ non contraria, ut peccata pro objecto habentia delectabile ſenſibile quæ tamen; cùm ſint diſſentanea naturæ humanæ, quà rationali; ſunt abſolute diſconvenientia homini; quia repugnant ejus parti præcipuæ ac ſuperiori, cui inferior, propter bonum totius, naturaliter petit ſubiici ſuas propenſiones ad bonum delectabile; quæ quidem ſubjectio licet ſit naturalis non ſit ſine difficultate: quia quamvis ſit ſecundùm naturam ſuperiorem ſeu appetitum rationalem; eſt tamen contra inferiorem ſeu appetitum ſenſitivum. Non quà ſenſitiva.

Potentia peccandi eſt homini naturalis id eſt conformis conditioni naturæ defectibilis, non tamen hoc ſenſu, quod ſit conformis inclinationi & appetitui naturæ. Eodem ſenſu mors eſt naturalis animali, licet ad eam nullam habeat inclinationem, ſed ab ea potius averſionem naturalem: cùm nulla res naturaliter exigat ſui deſtructionem; ſed conſervationem.

165. Peccata venialia ex ſuo genere ſive ex objecto, qualia ſunt peccata inurbanitatis, otioſitatis, mendacia officioſa corrumpunt aut ſaltem diminuunt habitum oppoſitę virtutis naturalis ſeu acquiſitæ. Eſt omnium & certa, quia cum ſint perfecta in ſuo genere nihil poteſt illis deeſſe ut producant habitum ſibi proportionatum ſeu habitum vitioſum formaliter oppoſitum virtuti acquiſitæ, ac proinde ejus deſtructivum aut ſaltem imminutivum. Venialia ex objecto imminuunt virtutes acquiſitas ſibi oppoſitas.

Idem dicendum eſt de venialibus ob defectum plenæ deliberationis, ut homicidium ex motu ſecundo primo, aut ob parvitatem materiæ ut parva furta: quia etiam illi actus peccaminoſi producunt habitum ſibi proportionatum repugnantem oppoſitæ virtuti acquiſitæ.

§. II.

Peccatum actuale omiſſionis & commiſſionis.

166. PEccatum in genere eſt exercitium poſitivum vel negativum libertatis contra

tra legem positam agenti rationali. Vel ut habet Aug. l. 22. contr. Faust. c. 27. quem sequitur S. Tho. 1. 2. q. 7. 1. a. 6. est *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei aeternam*.

Peccatum est exercitium libertatis contra legem Dei.

Dividitur in peccatum commissionis & omissionis. Peccatum commissionis est, quo violatur lex prohibens aliquid fieri; talis enim lex violari nequit nisi faciendo seu committendo id, quod prohibet. Peccatum omissionis est, quo violatur lex jubens aliquid fieri: eo ipso enim, quo illud liberè non fit, violabitur.

167. Physice, loquendo & quantum est ex natura libertatis dari potest peccatum omissionis absque omni actu voluntatis: quia in eo nulla est repugnantia ut patet ex dictis sup. n. 14. & seqq.

Aliud commissionis, aliud omissionis, quod physicè esse potest sine omni actu qui sit ejus causa vel occasio.

Confir. 1. Quia non potest intelligi, quod aliquis potens audire sacrum & sciens se ad hoc teneri sub pœna peccati, illud non audiat, & tamen non violet præceptum nec peccet: alioqui enim verum non esset illud ab omnibus receptum: *Scienti bonum & non facienti peccatum est illi* 2. pura omissio actus liberi & præcepti, secluso quocumque actu non potest non esse libera & peccaminosa: ergo ad peccatum omissionis non requiritur ullus actus. 3. Actus est liber per hoc præcise, quod sit in nostra potestate illum non ponere. Ergo omissio est libera per hoc præcise, quòd sit in nostra potestate ponere actum oppositum 4. Si quis advertens præceptum amoris Dei urgere hoc instanti & in illo suspendat omnem actum voluntatis, verè peccabit: nihil enim eo casu deesset ad rationem peccati; ergo &c. 5. Quia si Deus sedenti imperet ut surgat negando ei concursum ad omnem alium actum præterquam ad surgendum, peccabit si non surgat, & tamen eo casu nullus dabitur actus, qui sit aliquo modo causa aut occasio istius omissionis, imò nec dari poterit in ista hypothesi.

Ad hoc enim sufficit volūtatem non velle quod potest.

168. Eo casu voluntas suspendit exercitium positivum, libertatis non interpretativum: deinde ista suspensio exercitii libertatis non est necessaria, cùm objectum supponatur sufficienter propositum ad

ejus

ejus prosecutionem; ergo est libera adeoque voluntas exercet libertatem in suspensione actus positivi.

Voluntarium & liberum positivum sunt proprietates humanorum actuum formalium & positivorum: Secus voluntarium & liberum negativum seu indirectum & interpretativum, quod convenit omissioni, quæ non est actus humanus formaliter, sed solùm interpretative.

Si cuipiam prohiberetur omnis actus voluntatis, quod spectata præcise ratione libertatis non repugnat, tunc is posset peccare contra obedientiam, non tamen moveri motivo obedientiæ & formaliter obedire.

Talis omissio est voluntaria interpretativè, potest esse demeritoria, non meritoria.

Quamvis pura omissio possit esse demeritoria, non tamen potest esse meritoria; 1. Quia malum est ex quolibet defectu, bonum ex integra causa. 2. Quia meritum debet esse supernaturale & ex supernaturali motivo virtutis, quod puræ omissioni convenire non potest.

Non potest quidem omissio actus externi, V. G. audiendi sacrum, esse sine aliquo actu externo incompossibili. v g. sine aliqua occupatione externa aut existentia in loco distanti, cum quibus stare nequit auditio sacri: ad eam tamen nihil horum requiritur per modum actus voliti, qui sit causa vel occasio omittendi sacrum: sed hoc oritur ex necessitate naturæ non potentis existere sine aliqua ubicatione, occupatione vel quasi occupatione &c.

Cùm Aug. l. de vera & falsa Relig. c. 16. ait. *Nullum peccatum esse potest, nisi appetantur ea quæ Christus contempsit, aut fugiantur, quæ ille sustinuit.* Intelligendus est de appetitu & fuga latè sumptis pro ut comprehendunt etiam omissiones liberas istorum actuum. Similiter in sua definitione sup. n. 166. sub dicto, facto & concupito comprehendit non dictum, non factum, &c.

169. De facto nunquam datur nec moraliter dari potest peccatum omissionis sine aliquo actu voluntatis, qui sit ejus causa vel occasio v. g. quo oderimus objectum propter rationem mali in illo repræsentatam, vel nolimus volitionem propter aliquam

Non potest moraliter esse peccatum omissionis sine aliquo actu eam causante.

te vel occasionante qui realiter est commissio, formaliter, & in ratione peccati omissio.

quam difficultatem ipsius exercitii, vel volumus aliquid incompossibile cum actu omisso patet ex dictis sup. n. 15.

Voluntas expressa omittendi actum praeceptum physicè & materialiter est commissio, formaliter tamen & in ratione peccati pertinet ad omissionem, ac proinde simpliciter dicenda est peccatum omissionis, cum qua facit unum in genere moris, sic ut eandem cum ea habeat malitiam nempe per oppositionem ad praeceptum positivum.

Hinc qui expresè voluit omittere sacrum, satisfacit in confessione dicendo se sacrum omisisse: nisi forte illa voluntas fuerit saepius repetita, vel concepta ex motiva malo, vel omissio, secuta non adaequaverit propositum omittendi: 1. enim casu probabiliter multiplicantur numero peccata, 2. contrahitur duplex specie malitia, 3. duplex numero.

Cujus gravitas petietur ex praestantia actû omissi.

Gravitas peccati omissionis metienda est 1. ex actu qui omittitur; quo enim actus praeceptus est nobilior, eo, pejor est omissio. 2. ex difficultate praecepti; quia levius est caeteris paribus, omittere praeceptum incusso gravi timore, quàm non incusso 3. ex fine: levius est enim omittere lectionem horarum ad studendum, quàm ad ludendum. Caeteris paribus non est gravius velle sacrum omittere, quàm sine tali volitione sacrum omittere.

170. Non omnis actus quomodocumque conjunctus cum omissione culpabili, est peccatum quia potest actus aliquis merè per accidens & concomitanter se habere ad omissionem: ita ut non sit ullo modo ejus causa vel occasio: eo autem casu non est unde talis actus participet malitiam ab omissione. Exemplum est in eo, qui nolens ire ad sacrum, domi recitat rosarium, tunc enim recitatio rosarii non est peccatum.

Actus seu opus causans omissionem participat ejus malitiã.

Omne opus, quod est aliquo modo causa omissionis malae est peccatum. Vnde si quis omittat sacrum ut studeat ludat &c. Patet; quia talis actus vitiatur circumstantia mali effectus, eo modo, quo actus etiam de se bonus efficitur malus propter scandalum. Contrahit autem ejusmodi opus malitiam omissio.

missionis; quia hic & nunc malus est propter repugnantiam, quam habet cum præcepto affirmativo præcipiente actum, qui culpabiliter omittitur.

Opus quodcumque incompossibile cum impletione præcepti non est peccatum, quando assumitur posterius natura ad voluntatem efficacem omittendi, seu merè ex suppositione omissionis jam efficaciter volitæ. Prob. quia tale opus non potest contrahere malitiam omissionis nisi quatenus est aliquo modo ejus causa; sed in nostro casu nullo modo est causa omissionis, saltem ut est moralis & libera: cùm ipsa omissio censeatur jam existere vi prioris causæ sufficientis & inimpedibilis, id est vi volitionis efficacis hic & nunc omittendi, ergo &c.

Confir. quia alioqui sequeretur eum qui statuit ob aliquam causam non audire sacrum, si domi devotè oret peccare. 2. Quia actus concomitans actionem peccaminosam, ab ea nullam contrahit malitiam: ergo nec consequenter, aut concomitanter se habens ad omissionem peccaminosam.

Secus illam non omittam aut natura consequens.

171. Dices 1. Actus ex quo sequitur peccatum est peccatum. R. peccatum omissionis in nostro casu non sequi ex tali opere sequela physica aut morali: cùm, ut patet ex nostris probationibus, non ponatur vi ejus; sed solùm sequela Logica, sc. bonæ illationis, quę universaliter non sufficit ad peccatum, unde in casu nostræ conclusionis opus incompossibile cum actu præcepto est quidem causa sufficiens omissionis, sed solùm in actu 1. & quantum est de se, in actu 2.

Omissio antecedenter determinata sequitur ex opere in compossibili concomitante sequela logica non physica, & ideo illud non est peccatum.

Dices 2. ergo navigans, qui supposita voluntate non legendi horas, proiicit breviarium in mare, non peccat. R. N. seq. & dico talem peccare, non quia ponit actionem incompossibilem cum actu præcepto in præsenti, sed quia reddit sibi impossibilem impletionem præcepti in posterum, etiamsi voluntatem mutet. Vnde ponit causam omissionis prout in posterum continuandæ per longum tempus, cujus non potest esse causa voluntas non legendi horas, quam habuit quando abjecit breviarium: cùm nulla volitio possit naturaliter voluntatem ad longum tempus ita efficaciter, & constanter determinare, ut vi

illius præteritæ, & non sæpius repetitæ voluntas toto illo tempore non sit obnoxia mutabilitati.

Vt est abjectio breviarii, quia impletionem præcepti reddit impossibilem in posterum.

Dices 3. Qui vult aliquid incompossibile cum opere præcepto, eo ipso vult non ponere opus præceptum. R. si ejus omissio non supponatur efficaciciter determinata priùs natura, C. si secus N. similiter qui transfigit cor hominis, quem prius natura scit mortuum vi vulneris ab alio inflicti non est causa ejus mortis, licet ponat actionem de se sufficientem ad eam causandam, & consequenter non peccat peccato homicidii.

Imperans auditionem sacri prohibet quidquid est incompossibile in iis circumstantiis, in quibus esset causa non auditionis sacri: non verò in iis circumstantiis, quibus non esset ejus causa, ut in nostro casu.

Qui consulit malum alteri, antecedenter ex se ad illud absolutè, & firmiter determinato, peccat, 1. Quia eo ipso afficitur ad malum. 2. Quia consilium ex rei natura habet se antecedenter. 3. Quia de se est firmativum voluntatis in malo; quæ & similia non habent locum in nostro casu omissionis.

Quando ponitur liberè causa futuræ omissionis peccaminosa peccatur peccato omissionis incompleta.

177. Certum est cont. Marsil. hominem tunc peccare quando cum advertentia ponit causam futuræ omissionis peccaminosæ. 1. Quia tunc ponit libere causam omissionis, eamque vult saltem interpretativè, quod sufficit ad peccatum. 2. Quia tota malitia peccati in hoc casu consistit in volitione actus, ex quo prævidetur certò secutura omissio; ergo &c. 3. Quia alioqui sequeretur malitiam omissionis, v. g. legendi horas, vel nunquam contrahi, vel tunc primum contrahi cùm homo dormit eo tempore, quo urget præceptum, adeoque ipsum amittere gratiam inter dormiendum; quod est absurdum.

Etiam certum est illud peccatum habere malitiam omissionis: licet fortè non debeat dici peccatum omissionis simpliciter & sine addito, sed omissionis incompletæ: quia peccatum omissionis simpliciter significat peccatum completum seu complexum ex morali omissionis & ex ipsa omissione

physica, quæ in nostro casu necdum habetur. Ratio hujus conclusionis est, quòd istud peccatum habeat veram malitiam, nec aliam, quàm omissionis, ergo &c.

Hinc qui sciens & volens posuit causam omissionis ejusve periculo se exposuit, quamvis deinde ipsa omissio non sequatur, contraxit totam malitiam formalem omissionis, gravem aut levem pro ratione periculi, advertentiæ, obligationis, &c. de qua proinde debet se accusare in confessione.

Secus si urgente præcepto causa omissionis non sit amplius in potestate hominis.

Quando urgente præcepto est in potestate hominis desistere ab opere incompossibili & præceptum implere omissio ex tali opere sequens est formaliter peccatum, ita omnes. Patet quia tunc est libera extrinsecè & denominativè, eo modo, quo actus externus potest esse liber. Ergo nihil ei deest ad rationem peccati formalis.

Tunc enim omissio non est libera nequidem extrinsecè dum exercetur, adeoque nec peccatum formaliter.

173. Omissio quæ non est in se formaliter libera, sed solùm in causa, quæ non est ampliùs in potestate hominis, cùm sequitur omissio, v.g. lectionis horarum in ebrio, aut dormiente dum urget præceptum, non est formaliter peccatum, sed effectus peccati, seu extrinsecum ejus complementum; ita Adria. Ma. Vasq. Azor. Laym. contra Cajet. Sot. Valent. Becan. Prob. Quia istius modi omissio, dum reipsa exercetur, non est libera, nequidem extrinsecè seu ratione actus interni, quo hic & nunc censeatur informari: atqui ad peccatum requiritur, ut cùm exercetur, sit liberum, saltem extrinsecè, ratione alicujus actus interni intrinsecè liberi, à quo causetur, ut fit in actu externo; ergo &c. 2. Quia alioqui sequeretur hominem jam existentem in gratia, formaliter peccare, si nempe contingat effectum sequi postquam ipsum pœnituit sui peccati, volendo ejus causam commissi, & gratiam recuperavit, imò & existentem in cœlo, si solùm tunc sequatur effectus, ut mors inimici, post venenum ab aliquo tempore ipsi propinatum.

Nec satisfit dicendo omissionem aut effectum secutum iis casibus non esse peccatum. quia facta prioris voluntatis retractatione, non sunt amplius

voluntaria moraliter, sed reddita per istam retractationem involuntaria: contra est enim, quòd talis omissio, aut effectus per hoc sint voluntaria quod sequantur vi prioris voluntatis tanquam ejus effectus: quod non minùs illis convenit posita retractatione, quia hac non obstante æquè sequuntur vi prioris voluntatis, quâ liberè volita est eorum causa.

Alioqui justus imo beatus posset peccare in sensu composito.

Dices S. Thom. docet contrarium 2. 2. q. 79. art. 1. his verbis: *Cùm aliquis de sero se inebriavit & non potest surgere ad matutinas ut debet, dicunt quidam quod tunc incepit peccatum omissionis quando aliquis se occupat ad actum illicitum & incompossibilem cum illo actu ad quem tenetur; sed hoc non videtur verum; quia dato quod excitaretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Vnde patet quod præcedens inebriatio non fuit omissio, sed omissionis causa; unde dicendum est, quòd omissio incipit ei imputari ad culpam quando fuit tempus operandi; tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* R. ista verba quidem esse difficilia, sed ab omnibus esse explicanda, cùm videantur significare hominem non peccare peccato habente malitiam omissionis, quando liberè ponit causam ex qua prævidet omissionem certò secuturam, quòd contra Marsil. passim reiicitur ut falsum, unde dicendum est S. Th. loqui directè de ipsa actuali omissione, quam dicit tunc primum imputari ad culpam, quando est tempus ponendi actum præceptum; quia tunc primum incipit esse omissio, eaque culpabilis, non in se formaliter, sed in sua causa. Vndè etiam non poterat antea homo dici simpliciter omisisse, aut pœnas proprias omissionis incurrisse.

S. Thom. videtur adversari, explicandus est de peccato omissionis completæ alias consentiret Marsilio passim rejecto.

174. Omissio actus præcepti quæ fit in somno, non est mala formaliter; est tamen mala objectivè & materialiter, & ideò ejus volitio est formaliter mala, & contra præceptum, quod imperans actum indirectè prohibet formalem, & interpretativam ejus nolitionem.

Omissio in somno est mala objectivè; ejus volitio formaliter.

Talis omissio punitur, non quia est culpabilis in se, sed in sua causa: deinde non tam punitur, ipsa quàm peccatum commissionis per illam consummatum.

Actus

Actus externus repugnans præcepto est formaliter peccatum, quando ab interno actu libero ita procedit, ut eo instanti quo exercetur, sit in potestate voluntatis illum non ponere: secus sit tunc non sit in voluntatis potestate, ut omissio in nostro casu. Qui propinat inimico venenum post aliquot dies, aut hebdomadas mortem illaturum peccat peccato homicidii, quando veneno propinatur, non quando mors causatur, licet tunc solùm incurrat pœnas homicidii. Vnde si ante mortem sequutam Deo reconcilietur per confessionem, & absolutionem sacramentalem, per se loquendo non tenebitur illud iterum confiteri morte secuta.

Propinans venenum est homicida eo instanti quo illud propinat.

§. III.

Formalis peccati commissionis, & finita peccati mortalis malitia.

175. FOrmalis malitia peccati commissionis non consistit, ut volunt Richar. Valen. Suarez & alii, in privatione rectitudinis debitæ inesse actui peccaminoso, quia actus per se malus, ut odium Dei, est incapax omnis rectitudinis, saltem secundùm suam rationem specificam (ut fatentur adversarii) ergò cum privatio sit carentia formæ in subjecto capaci, actui per se malo, saltem spectato secundùm suam rationem specificam, secundùm quam constat esse malum, non potest inesse ulla privatio rectitudinis, adeoque nec per hanc constitui in esse mali formaliter.

Malitia cõmissionis nõ consistit in privatione rectitudinis in actu, cujus est incapax odium Dei, saltem secũdũm suam rationem specificam secundùm quam malum.

Quod verò tali actui, præcisè spectato secundùm rationem genericam non repugnet rectitudo, non sufficit ut simpliciter dicatur habere illius capacitatem & privationem; alioqui enim dici posset bruto inesse privatio rationis substantiæ creatæ privatio deitatis, quod nemo admiserit nec admisit Aristot. 2. Metaph. ubi quidem in talpa agnoscit privationem visus; sed non ex eo præcisè quòd secundùm rationem genericam sit illius capax; sed quia,

cùm habeat principia organorum visus, videtur solùm per accidens eo carere ob continuam habitationem subterraneam.

176. Neque consistit, ut volunt Gabr. Mol: Salas & alii, in privatione rectitudinis debitæ inesse ipsi potentiæ seu voluntati.

1. Quia alioqui peccatum commissionis, v.g. odii Dei quo ad formale non distingueretur à peccato omissionis, v.g. amoris Dei, urgente præcepto, quia utriusque formalis malitia sita esset in privatione ejusdem rectitudinis: hoc autem dici non posse manifestum est, ex eo quod constet gravius esse Deum odisse, quàm amorem Dei præceptum omittere.

Neque in privatione rectitudinis in potentia alioqui omissio & cómissio non differrent malitia.

2. Quia odium Dei elicitum eo instanti, quo nulla est obligatio eliciendi actum charitatis, aut alterius virtutis, non privat voluntatem ulla rectitudine ei debita absolutè, cùm nullus actus rectus sit, illi pro eo instanti absolutè præceptus, aut debitus; nec etiam rectitudine ei debita ex hypothesi quod in Deum tendat, cùm in ea hypothesi non teneatur tendere in Deum actu amoris potiùs, quàm timoris, aut honesto, potiùs quàm indifferenti, sed præcisè non tendere in Deum modò disconvenienti. Vndè istius actus formalis malitia non est privatio tendentiæ convenientis hic & nunc debitæ, sed positiva tendentia disconveniens.

Deinde non est talis privatio, & si sit non est formaliter libera.

3. Denique, quia posito quod Deus (ut potest, cùm in eo nulla appareat repugnantia) neget concursum ad omnem alium actum, aut prohibeat omnem alium actum, adhuc odium Dei liberè elicitum erit formaliter malum, nec tamen per privationem ullius rectitudinis sibi, aut voluntati debitæ, cùm eo casu nulla futura sit possibilis.

Adde quod ista privatio rectitudinis, si detur, non sit in se immediatè & formaliter libera, sed solùm denominativè mediante actu, ex quo necessariò resultat, adeoque non possit esse formaliter mala, consequenter nec formalis malitia.

177. Quare dicenda est formaliter consistere in positivo; & quidem sumpta incompletè in positiva tendentia actus in suum objectum modo dis-

con-

convenienti regulis morum; completè verò in aggregato ex dicta tendentia, & connotatis intrinſecis, extrinſecis, poſitivis, negativis &c. ad libertatem actus in eſſe phyſico & morali neceſſariò requiſitis; ita Vaſq. Ovied. citantes Mayr. Capre. Cajet. & permultos ac doctiſſimos recentiores præſertim Hiſpanos, apud quos hæc ſententia, inquit Herice 1. p. tom. 3. diſp. 27. omnium ferè approbatione nunc eſt recepta, & teſte Lorca, inter Salmanticenſes, ita communis, ut videatur tota ferè ſchola in eam iuraſſe.

Conſiſtit in poſitivo ac libera tendentia actus in objectum modo diſconvenienti.

Et ratio eſt, quod hæc, ſecluſo quocumque alio ſuperaddito, ſive poſitivo, ſive negativo, ad formalem peccati malitiam abundè ſufficiat: cùm actus odii Dei, eo ipſo præcisè, quo elicitur liberè, & cum advertentia ad ejus difformitatem cum lege naturali & divina ſit formaliter & neceſſariò objectum divinæ averſionis, ac divinæ bonitati ita per ſe repugnans, ut præcisè, qua talis, non poſſit eſſe à Deo ut authore; ſeu ut cauſa morali liberè ejus exiſtentiam intendente, aut determinante, illum ſc. ponendo ex propria determinatione, nec poſſit à creatura intellectuali ullo caſu honeſtè intendi aut in proprio ſuppoſito permitti.

178. Huic doctrinæ etiam favent PP. Chryſoſt. & Aug. lib. de nat. & grat. c. 64. ubi Pelagio alleganti: *Ioannes Conſtantinopol. Epiſcop. dicit peccatum non eſſe ſubſtantiam ſed actum malignum*. Reſp. Auguſt. *quis hoc negat?* Ex quibus patet Chryſoſt. & Auguſt. ſolùm negare peccatum commiſſionis eſſe ſubſtantiam, non verò negare, ſed aſſerere eſſe actum poſitivum. Quod alibi ſæpiùs apertè tradit Aug. lib. de perfectione juſtitiæ cap. 2. ratiocinat. 4. Vbi, *quid eſt* (inquit Celeſtius) *peccatum, actus, an res? Reſpondemus quidem peccatum actum dici, & eſſe, non rem ſicut claudicatio* (Quam conſtat æquè eſſe quid poſitivum ac inceſſus rectus) *eſt actus non res*, lib. 1. cont. Iul. cap. 8. ubi reſpondens Manich. Vnde ſit malum ait: *Quæ mala licet intelligamus non eſſe naturas, ſed vitia naturarum, tamen ſimul intelligimus ea, niſi ex aliquibus & in aliquibus naturis*

Ea enim præcisè poſita habetur malitia odii Dei.

ris esse non posse. Vbi ly *ex* & *in* important immanentiam actus positivi lib. 12. conf. cap. 11. *Hoc solùm à te non est quod non est, motusque voluntatis à te, qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est*. Quibus clarè significat motum voluntatis inordinatum distingui ab eo quod non est esse peccatum, & non esse à Deo, nempe ut causa morali operante ex propria determinatione. Item Hier l. 1. in Amos: *Nequius est odisse justitiam, quàm non fecisse*. Vbi admittit malitiam positivam à privativa distinctam eaque majorem, uti & Cassiodor. apud Arriag.

Favent Chrys. Aug. aliique PP. docētes peccatum non esse substantiam, sed actum positivum.

179. Et quamvis negari non possit Aug. variis locis aliisque PP. favere oppositæ sententiæ, propterea etiam valde probabili: possunt tamen ita explicari ut nobis non adversentur.

Cùm enim generaliter dicunt malum esse nihil, non ens, privationem boni, mali nullam esse essentiam & similia; possunt intelligi de malo absoluto & in se, id est, quòd in se caret debita perfectione, cujus formale ut patet est privatio, cum quo stat malum respectivum (quale est calor respectu aquæ, error respectu intellectus, actus inhonestus respectu naturæ rationalis) consistere in positivo. Vel certè dicendi sunt solùm velle contra Manich. nullam naturam substantialem esse de se malam, quo sensu Athan. orat. contra idola, dicit: *Esse hæreticum dogma, malo tribuere essentiam*.

Cum dicunt esse non ens loquuntur de malo absoluto, non de respectivo.

Eadem & præsertim priori sensu verificari potest illud Dionys. de divin. nomin. cap. 4. *Non igitur malum est aliquid, nec in iis quæ sunt malum est. Nusquam enim malum est quatenus, malum: nec quod malum sit hoc à potestate proficiscitur, sed ab imbecillitate*.

Vel de natura qua sit per se mala.

180. Dum vero agentes de peccato, dicunt peccatum, aut malum aliud non esse quàm boni privationem, commodè explicari possunt.

1. De peccato habituali, quod nihil dicit in anima physicè, aut quasi physicè permanenter existens præter gratiæ privationem, de qua intelligi debet Damasc. 2. de fide, cap. 4. ubi de diabolo ita

Vel de peccato habituali, quod nihil est in anima, nisi privatio justitiæ.

ita loquitur: *Primus à bono abſcedens in malum incidit: neque enim aliud quidquam eſt malum, quàm boni privatio, haud ſecus nimirum ac tenebræ aliud nihil ſunt, quàm luminis orbitas. Bonum quippe ſpirituale lumen eſt, quemadmodum contra malum caligo ſpiritualis. Lux ergo à creatore conditus, bonuſque procreatus, libera voluntate caligo factus eſt*: Id eſt, per actum liberum, utique perverſum, ſuæ voluntatis, privatus eſt ſplendore juſtitiæ, & gratiæ in quo creatus fuerat.

Apertè eodem ſenſu loquitur Anſelm. lib. de caſu diaboli cap. 9. *Cùm voluntas avertit ſe ab eo quod debuit, non ſtetit in originali, ut ita dicam, rectitudine, in qua facta eſt: quam cùm deſeruit magnum aliquid perdidit, & nihil pro eo niſi privationem ejus, quæ nullam habet eſſentiam, quam injuſtitiam nominamus, ſuſcepit.*

2. De peccato actuali commiſſionis (quod etſi ejus malitia conſiſtat in poſitivo) rectè dicitur nihil, non ens, mera privatio boni, juſtitiæ &c. Non formaliter & in ſe, ſed cauſaliter & conſecutivè, nempè in ſuo effectu (ſc. privatione gratiæ) à quo, ex uſu paſſim recepto, denominatur, ut cùm dicitur mors animæ, quæ tamen, cùm propriè ſita ſit in privatione gratiæ, diſtinguitur à peccato actuali in quocumque ponatur ejus formalis malitia. Similiter intemperantia dicitur everſio valetudinis, fortunarum, &c.

Vel de actuali, quod eſt privatio gratiæ, non formaliter, ſed cauſaliter, ſicut eſt mors animæ.

3. De ipſa formali malitia completè ſumpta, quæ licet non conſiſtat in privatione rectitudinis, bono tamen ſenſu dicitur eſſe nihil, non ens &c. quia non eſt aliquid in ipſo actu, ſive ipſi actui, de ſe ad malitiam formalem, uti ad libertatem, indifferenti intrinſecè ſuperadditum: ſed ut ſic eſt denominatio extrinſeca orta ex eo quod procedat à creatura intellectuali ex propria determinatione advertenter operante contra legem ſibi ab authore naturę datam, atque ita moraliter deficiente, ſeu recedente à regulis morum ſibi præſcriptis. Vnde ut ſic, eſt non ens hoc ſenſu, quod non ſit aliquid per ſe producibile in genere cauſæ efficientis, ſed ſolùm cauſabile in genere cauſæ formalis per denominationem extrinſecam à voluntate ut moraliter deficiente Ex his.

Vel de malitia formali cõpletè ſumpta, quæ ut ſic non eſt aliquid actui ſuperadditũ, per ſe cauſabile in genere cauſæ efficientis.

Sed solùm in genere causæ formalis per denominationem extrinsecam à voluntate moraliter deficiente.

181. Colliges 1. Deum, etsi suo concursu immediatè attingat totam entitatem actus mali, non propterea esse causam ejus malitiæ, quamvis hanc statuamus in positivo: quia nempe hæc malitia non est aliquid physicum in actu, aut quod sit per se efficienter producibile, seu quod terminet aliquam actionem, ad quam Deus concurrat, sed est aliquid morale, resultans per modum effectus formalis ex modo procedendi à voluntate creata, ut moraliter deficiente. Quod indicat August. l. 12. de civit. cap. 7. *Nemo ergo quærat causam efficientem malæ voluntatis, non enim est efficiens, sed deficiens.* Quia nempe voluntas mala, ut sic non est à causa efficiente ut efficiente, sed à voluntate creata ut moraliter deficiente, id est ut liberè, seu ex propria determinatione actum ponente contra dictamen rectæ rationis.

Vndè ut sic non est à Deo.

Vnde actus malus formaliter ut malus, est actus spectatus præcisè ut est à voluntate creata liberè se ipsam determinante ad operandum contra dictamen rationis sub qua reduplicatione, & formalitate morali non est à Deo, licet ab illo procedat secundùm suum totum esse physicum. Quare actus malus formaliter quà malus, non est imitatio ideæ, nec participatio divinæ essentiæ.

Idque præcisè (in quocumque ponatur consistere) quia Deus non est causa moralis & determinativa actus inhonesti.

Coll. 2. Quod dicunt PP. Deum non esse causam peccati, quia est nihil, seu non ens &c. verificari, non eo quod malitia formalis sita sit in privatione, illius enim foret causa, quamvis in privatione consisteret ejus malitia; si esset causa moralis & determinativa actus inhonesti liberè eliciti, ex quo ista privatio juxta suos authores necessariò resultat: sed eo quòd ut sic non sit ens factibile in genere causæ efficientis, ac proinde nihil aut non ens à Deo efficienter producibile.

182. Coll. 3. Actum malum ut sic (in quocumque ponatur ejus formalis malitia, sive in positivo, sive in negativo) ideò præcisè non esse à Deo, quia Deus non concurrit ad actum malum, ut causa moralis ex propria determinatione sed ut causa universalis ex determinatione creaturæ.

Coll. 4.

Coll. 4. Peccatum seu actum malignum à PP. rectè dici esse ex nihilo, sc. remote, quia ut sic est à creatura ut moraliter defectibili, quæ defectibilitas cùm non sit potentia, sed impotentia; creaturæ non convenit quatenus est à Deo ut principio productivo, sed quatenus est ex nihilo, ut termino à quo, hoc vult Aug. l. 14. de civit. c. 13. *Ut natura sit, ex eo habet à quo de nihilo facta: ut autem, ab eo à quo facta est deficiat, ex hoc quod de nihilo facta est*, & l. 1. cont. Iul c. 8. *naturarum spontaneus defectus à bono non indicat, à quo facta sunt, sed unde facta sunt, & penitùs nihil est*. Eodem sensu l. 2. de lib. arb. c. 20. dicit: *Motus ergo ille aversionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectivus motus est: omnis autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat, &* (ut habet editio Lovaniensis & aliæ correctiores) *ad Deum non pertinere ne dubites*. Quædam mendosæ editiones ut Parisiensis an. 1555. habent: *ad Deum pertinere non dubites*. Quibus decepti nonnulli prædeterminatores Aug. erroneè citarunt tanquam suæ prædeterminationi ad materiale peccati hoc loco maximè faventem, cùm tamen, ut patet ex vera ejus editione, ei manifestè adversetur, cùm ibi neget motum defectivum, utique materialem, esse à Deo, nempe ut causa morali.

Peccatum juxta PP. est ex nihilo quia est à creatura ut defectibilitate ipsi conveniente quatenus est ex nihilo ut termino a quo.

Coll. 5. S. Thom. hic q. 71. a 6. ubi ait: *Habet actus quod sit malus ex eo quod caret debita commensuratione* q. 78. a. 1. *nihil est aliud malum, quàm privatio alicujus boni*, & q. 79. a. 1. ad 3. *in ipsa privatione consistit ratio mali*, posse explicari uno ex sensibus sup. allatis, cùm nobis faveat 1. 2. q. 29 a. 1. ad 1. *Ens in quantum ens non habet rationem repugnantis; sed magis convenientis, quia omnia conveniunt in ente, sed in quantum est hoc ens, determinatam habet rationem repugnantis ad aliquod ens determinatum, & secundùm hoc unum ens est odibile alteri, & malum etsi non in se, tamen per comparationem ad alterum*. Quibus verbis apertè docet malum respectivum, quale est peccatum, posse esse, & sæpè de facto esse aliquid positivum.

Non à Deo prædeterminante.

185. Pec-

Peccata differunt per repugnantiam cum præceptis diversis.

183. Peccata distinguuntur per ordinem ad præcepta specie diversa: quia ab illis debent desumere distinctionem specificam, ratione quorum sunt formaliter peccata; atqui sunt formaliter peccata ratione præceptorum quibus repugnant ergo &c.

Præcepta autem sunt ejusdem speciei, quæ actionem ejusdem speciei præcipiunt aut prohibent sub eodem motivo, & contra diversæ speciei, quæ actiones diversæ speciei præcipiunt aut prohibent, vel actiones ejusdem speciei sub diversis motivis.

Censentur legislatores habere idem motivum quando volunt fieri actionem ejusdem virtutis, ita ut qui peccat; peccet contra istam virtutem. Vnde lex civilis & divina prohibentes furtum quia est contra justitiam, sunt ejusdem speciei.

Non omnia sunt æqualia quia non repugnant æqualiter rationi & logi à qua potest magis, & minus recedi.

184. Fide certum est cont. Stoicos & Iovinianum omnia peccata non esse paria. Prob. 1. ex Script. Ioan.19. ubi Christus loquens Pilato ait: *Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*. Ieremiæ 7. *& pejus operati sunt quàm patres eorum* 2. Quædam peccata magis repugnant naturæ rationali quam alia, tum quia multiplici honestati repugnant, ut adulterium, quod castitati & justitiæ adversatur; tum quia nobiliori honestati ac virtuti opponuntur.

Hinc peccatum non consistit in indivisibili, quia repugnat legi divisibili, & est transgressio rectitudinis, quæ est multiplex, & à qua potest magis & minus recedi: sicut a veritate magis recedit qui mentiendo dicit se vidisse centum lupos, cùm nullum viderit, quàm qui unum.

Nulla tamen sunt contemnenda ut parva. Basil.

S. Basilius in regulis brevior. Respons. ad interrogationem 239. dicit differentiam majorum & minorum peccatorum nusquam in novo testamento reperiri. Hoc nempe sensu quòd aliqua sint diligenter cavenda tanquam majora: alia verò non sint sollicitè cavenda tanquam exigui aut nullius momenti.

Per se loquendo gravius peccato occidens fœminam quàm illam inducens ad fornicationem: quia licet peccatum fornicationis sit malum gravius & superioris ordinis quàm mors, est tamen magis repara-

parabile, & magis voluntarium fœminæ quæ absolutè potest non consentire.

185. Nocumentum sequens ex peccato auget ejus malitiam quamvis non intendatur per se & directè, modo sit aliquo modo in se vel in sua causa, saltem confusè, prævisum: hoc enim requiritur & sufficit, ut sit aliquo modo, saltem interpretativ voluntarium, & consequenter, supposita obligatione illud vitandi peccatum.

Nocumentum ex peccato saltem confusè prævisum, illud aggravat.

Cum S.Thom. hic q. 37. a. 8. docet nocumentum per se secutum ex peccato illud aggravare, quamvis nec intendatur nec prævideatur; intelligendus est de prævisione distincta & determinata, non autem de confusa, quæ præsumitur semper adesse cum culpabili defectu ulterioris considerationis, quando nocumentum sequitur per se.

Quando nocumentum speciale sequitur ex actione per se & ex natura rei, seu independenter ab alterius libertate, tunc actio contrahit malitiam, quam effectus de se natus est tribuere per modum objecti directe voliti. Hinc jaculatio inconsiderata ex qua sequitur homicidium æque contrahit malitiam homicidii ac si ex scientia & intentione operantis esset ordinata ad homicidium: quia talis effectus est sufficienter voluntarius in causa per se.

Gravitate quam causare potest effectus per modum objecti.

Vt actio contrahat ex nocumento malitiam odii erga personam, cui infertur nocumentum, non sufficit quod ipsum nocumentum sit interpretative aut etiam formaliter volitum, sed requiritur ut sit volitum formaliter, ut est malum alteri ex displicentia ipsius personæ: quia malitia odii non desumitur ex solo objecto, sed ex tali modo tendendi in illud.

Et gravitate odii, si sit volitum ut alteri malū.

Efficax inductio ad peccatum v. g. per imperium, suasionem &c. Participat malitiam peccati ad quod inducit: quia est ejus causa moralis.

Quando ex actione Titii sequitur nocumentum Cajo merè per accidens mediante Caij libertate, sic ut Titius sit tantùm illius occasio, causa autem sit propria Caij malitia; actio Titii non contrahit malitiam, quam habet effectus reipsa positus, sed malitiam oppositam illi virtuti, quæ Titium

Actio merè per accidens dans occasionem nocumenti, non participat ejus malitiam.

Titium obligat ad non dandam Cajo istam occasionem. Hinc qui sine causa petit mutuum ab usurario solùm peccat contra charitatem, non contra justitiam, quamvis contra hanc peccet ipse usurarius.

Inducere ad veniale quà peccatum, est mortale.

Peccatum quod gravius nocet, cæteris paribus est gravius; quia est causa gravioris mali. Subindè tamen peccatum nulli nocens ex objecto solo gravius est, quàm aliud cum suo nocumento, ut blasphemia, odium Dei &c.

Qui alium inducit ad peccatum veniale v. g. ad mendacium jocosum, intendendo illud non ut sibi commodum vel delectabile, sed formaliter ut spirituale damnum alterius, peccat mortaliter: quia bonum spirituale, cujus amissio formaliter intenditur est majus quovis corporali. Deinde non videtur posse intendi, ut est damnum spirituale proximi, nisi virtualiter intendatur, ut est offensa Dei; cùm non possit aliter causare damnum spirituale proximi: atqui illud intendere, ut est offensa Dei, est certò mortale ergo, ita Vasq. contra varios.

Est de fide dari peccata mortalia & venialia.

186. Fide certum est peccatorum alia esse mortalia, quæ adferunt mortem animæ eam privando gratia & amicitia Dei, ac dignam reddendo pœna æterna: alia venialia quæ quidem Deum offendunt, sed non usque ad dissolutionem amicitiæ, ac proinde stant cùm gratia animæ vita. 1. pars sumitur ex Iac. 1. *Peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem*. Et ex Trid. sess. 6. c. 11. 12. & can. 23. 2. pars ex proverb. 24. *Septies enim cadet justus*. Iac. 3. *In multis offendimus omnes*. Quod intelligi de justis constat ex Milevit. c. 7. ubi dicitur: *Sanctus enim & justus erat Iacobus cùm dixit in multis &c.* Item ex Trid. sup. c. 11.

Quæ differunt non ratione subjecti, reprobi aut prædestinati, nec ratione decreti Dei quibusdam.

Discrimen inter mortalia & venialia non petitur ex parte subjecti seu peccantis, cui omnia sint mortalia, si sit infidelis aut reprobus; omnia venialia si fidelis aut prædestinatus, ut volunt VVicles. & Lut. aliique hæretici: neque ex sola Dei misericordia quædam nolentis punire morte æterna, licet de se omnia sint ea justè punibilia, ut olim docuerunt Gers.

Gers. Almai. sed ex natura rei sic ut ex suis intrinsecis quædam sint gravia & mortalia, quædam levia & venialia. Quod nunc certum est non solùm ex communi omnium Doctorum consensu, sed & ex definitione Pontificum Pii V. & Greg. XIII. damnantium hanc 21. Baij propositionem *nullum est peccatum ex natura sua veniale : sed omne peccatum meretur mortem æternam*. Idem interprete Hier. significat Script. Matth. 7. v. 3. quædam peccata comparans trabi, alia festucæ. Deinde videtur lumine naturæ notum odium Dei natura sua, & independenter ab omni Dei decreto esse peccatum grave & repugnans divinæ amicitiæ, contra verò verbum otiosum esse natura sua leve.

decernentis pœnam æternam, aliis non; sed ex suis intrinsecis.

Confir. 1. Specialiter contra hæreticos: Adamus, David, & Petrus fuerunt fideles, justi ac prædestinati, & tamen certum est ipsorum peccatum fuisse mortale. Quod patet ex Aug. tract. 66. in Ioan. de Petro sic loquente; *Mortuus est negando & revixit plorando*. 2. cont. Gers. quia inter quoscumque amicos dantur leves offensæ, quæ non dissolvunt amicitiam, ergo etiam inter hominem & Deum, cùm nulla sit ratio id negandi.

187. Hoc autem discrimen ex natura rei inter mortale & veniale non consistit in eo quòd mortale sit contra præceptum, veniale autem contra consilium; alioqui enim veniale non esset peccatum; cùm, teste Apost. Rom. 4. *Vbi non est lex, nec prævaricatio*: neque in eo quòd mortale sit circa finem, & veniale circa media; quandoquidem circa finem seu Deum, dentur venialia saltem ob imperfectionem deliberationis, ut motus infidelitatis, aut desperationis non plenè deliberati, & mortalia circa media, seu creaturas, ut furtum, fornicatio: neque in eo quòd mortale rationi, seu naturæ rationali quà tali graviter repugnet, veniale verò solùm leviter, sed in eo præcisè & formaliter, quòd mortale includat Dei contemptum, saltem virtualem, quatenus illud committens ita afficitur, ut præ eo quod ei inordinatè libitum est, Dei amicitiam negligat; veniale verò, cùm divinæ amicitiæ non repu-

Per hoc quod mortale includat Dei ejusque amicitiæ contemptum saltem virtualem, venerunt.

repugnet, hujusmodi contemptum non importet, ab hoc enim contemptu habet peccatum grave, quòd æternam animæ mortem inferat, à quo effectu mortalis appellationem accipit; veniale verò non, quia talem Deo injuriam non infert.

Patet ex Scrip. & PP. Aug. Greg. isti contemptui malitiam mortalis tribuentibus.

188. In ejusmodi contemptu sitam esse specialem peccati mortalis gravitatem, apertè indicat Script. 1. Reg. 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles*. Levit. 6. *Anima qua peccaverit, & contempto Domino &c.* & Matth. 10. *qui amat patrem aut matrem plusquam me.* Idem etiam apertiùs docent PP. August. lib. 3. de liber. arb. cap. 24. *Vndè hac aversio, nisi dum ille, cui bonus est Deus, sibi ipsi vult esse bonum suum, sicut sibi est Deus*. Greg. apud S. Tho. hic, q. 87. art. 3. ad 1. *justum est, quòd qui in suo æterno peccavit contra Deum*, id est, interprete S. Th. qui in creatura sibi ultimum finem constituit, *in æterno Dei puniatur*.

Et venialia nuspiam negantibus.

Matth. 5. his verbis: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus* (id est nullus) *vocabitur in regno cœlorum*, non significatur, ut volunt hæretici, nulla peccata esse venialia: non enim dicitur qui violaverit, sed *qui solverit & docuerit sic*, id est falsa interpretatione (quod faciebant Scribæ & Pharisæi) quod est peccatum grave.

De solo mortali (quod venit nomine peccati simpliciter) intelligitur illud Rom. 6. *Stipendium peccati mors*. Idem istud Iac. 2. *qui offenderit in uno factus est omnium reus*.

August. lib. de vera & falsa pœnitent. cap. 8. dicit peccata venialia esse tantùm levia ex misericordia Dei, hoc sensu quòd ex misericordia Dei (ut ibidem se explicat) habeant quod ulterius non impediant gratias necessarias ad vitanda majora peccata. Hier. Epist. 14. dicit: sanè nescio, *an possimus leve aliquod peccatum dicere*: scil. comparativè ad alia mala naturalia, quæ malitia longè superat peccatum veniale.

Quæ solùm merentur le-

Omne peccatum est dignum Dei odio vel inimicitia si sit mortale, vel solùm aliqua displicentia, stante

stante cum amicitia, si sit veniale: quod quidem est offensa Dei, ut DD. communius contra Bonavent. sed solùm levis & secundum, quid. Vnde est majus malum, hoc est superioris ordinis ac proinde magis fugiendum quàm quodlibet malum pœnæ: non tamen hoc sensu, quòd in suo ordine plures contineat gradus malitiæ & dignitatis pœnæ, quàm sint gradus pœnalitatis in quavis pœna etiam in infinitum crescente.

nem Dei displicentiam.

Tenetur itaque homo potiùs amplecti quodlibet malum pœnæ quàm quodlibet peccatum veniale, non ex eo quòd peccatum veniale sit dignum qualibet pœna, sed ex eo quod sit malum alterius rationis, sc. intrinsece repugnans rectæ rationi, sic ut nullo modo possit esse licitum; nullum autem malum pœnæ de se sit illicitum, cùm possit esse materia virtutis.

Licet, eo quòd sint mala superioris ordinis, sint magis fugienda, quàm quælibet mala pœna, adeoque sint infinita fugibilitatis secundùm quid.

Hinc ex eo quòd veniale sit infinitæ fugibilitatis, respective & secundùm quid, id est magis fugibile, quàm quodlibet malum pœnæ etiam crescens in infinitum, non sequitur quòd sit infinitæ imputabilitatis, seu punibilitatis, quia non reddit dignum infinita Dei aversione.

Pœna temporalis debita venialibus etiam in hac vita non remissis quoad culpam, non fit in damnatis æterna ratione status. Ita Scot. Gabr. Almai. Navarr. contra Riccard. Cajet. Sotus, Valen. Suar. prob. 1. quia veniale de se non est dignum pœna æterna; nec est ratio cur illa dignum fiat propter conjunctionem cum mortali, cùm per hoc non mutetur ejus natura aut vis demeritoria. 2. Quia ad extinguendum debitum pœnæ non requiritur status gratiæ, nec ullus Dei favor, sed sufficit, ut solvatur pœna ab ipso decreta, ut patet tum in humanis, tum etiam in divinis, damnati enim condigne solvunt pœnam æternam sibi propter mortalia impositam, ergo &c. 3. quia alioqui sequeretur pœnam sensus pluribus venialibus respondentem posse tum intensione, tum duratione æquare imò superare pœnam debitam mortali, quod est absurdum.

Pœna venialium non fit æterna in damnatis

Sed absque ulla redemptione per satispassionem extinguitur ejus dignitas formalis, non radicalis sita in culpa qua non remittitur.

In inferno nulla est redemptio hoc sensu, quod nullus inde liberetur: est tamen subinde aliqua pœnæ diminutio per satispassionem; licet non per remissionem, aut satisfactionem proprie dictam, id est per opus, quod in compensationem pœnæ debitæ ab offenso gratis acceptetur.

Culpa est dignitas pœnæ radicalis & remota, non formalis & proxima, quæ consistit in eo, quòd est peccasse & pœnam impositam non esse remissam nec persolutam, hæc pœnæ dignitas est culpæ proprietas moralis, non physica, cùm possit remanere culpa deleta, & tolli per solutionem pœnæ, culpa permanente. Vnde in damnato, qui persolvit pœnam temporalem v. g. unius aut alterius anni suis venialibus non remissis debitam, solùm remanet remota dignitas pœnæ jam persolutæ, non ulterius persolvendæ.

Peccato mortali non debetur pœna æterna, quia in damnato est actualiter perpetuum: sed quia de se est æternum & irreparabile; cùm tollat omne principium reparationis, gratiam nempe & charitatem, & suum subjectum reddat indignum gratiis actualibus quibus ad pœnitentiam excitetur, sic ut proinde reparari non possit, nisi Deus ex clementia mere extrinseca misericorditer subveniat indigno & immerenti: Quod venialibus non convenit.

Damnati peccant sine demerito.

Damnati semper sibi complacent in suis peccatis etiam remissis, quæ complacentia est peccatum, quod tamen non punitur, cùm jam sint in termino extrinseco meriti & demeriti.

Pœna non ordinatur ad peccati commissi emendationem seu diletionem ac sublationem: sed ad deterrendum à futuris eorumque vitationem.

Deus non potest damnare innocentem.

Deus non potest etiam de potentia absoluta innocentem addicere flammis æternis ut contra Suar. Vasq. Bellar. docent Scot. Marsil. cum August. l. 5. contr. Iul. c. 18. his verbis: *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.*

Tho-

Thomistæ cum S. Thom. hic q. 89. a. 6. communiter docent peccatum veniale non posse esse in aliquo cum solo originali: quia, inquiunt, tenetur homo ubi primum attigit usum rationis ordinare se ad Deum ut ultimum finem per actum charitatis, quod si faciat deletur originale, si non faciat peccat mortaliter ergo &c. Verùm communiùs & probabiliùs id negant cæteri scholastici: quia non est ratio sufficiens asserendæ tantæ obligationis pro 1. instanti usus rationis, moraliter, imò & physice servatu impossibilis, cùm nemo hominum advertat nec moraliter advertere possit quandonam præcisè perveniat ad usum rationis.

Potest esse veniale cum solo originali.

189. Hinc peccatum quantumvis graviter rationi repugnans, commissum ab invincibiliter ignorante, aut non advertente Deum esse, aut peccatis offendi, non est mortale; cùm enim nullum etiam virtualem & implicitum Dei contemptum includat, stare potest cum charitate perfecta, & amicitia divina. Vnde tale peccatum esset quidem grave gravitate philosophica, præcisè sita in repugnantia cum natura rationali qua tali, cujus consideratio pertinet ad philosophum moralem, non tamen Theologica, consistente in repugnantia cum lege & bonitate divina: hæc enim peccati malitia, licet sumpta fundamentaliter sit prior Dei prohibitione, ejusque cognitione, sumpta tamen formaliter posterior.

Peccatum cum invincibili ignorantia Dei, non est mortale.

Est grave gravitate philosophica non Theologica.

190. Malitia cujuslibet peccati mortalis est infinita secundùm quid, seu, ut loquitur S. Thom. 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. *Habet infinitatem quamdam*; tum quia est contra Deum infinite bonum, tum quia est adeo grave malum, ut nullum alterius generis malum, quantumvis crescens in infinitum, ei possit adæquari.

Malitia peccati mortalis est infinita secundum quid non simpliciter.

Nullius tamen mortalis malitia est simpliciter infinita: quia malum simpliciter infinitum in ratione mali debet ita, sive eminenter, sive formaliter continere omnem malitiam, ut non possit dari majus; cum infinitum in perfectione aut quasi perfectione constituatur per carentiam termini

Cum quolibet peccata possit dari gravius.

extrinseci, ut patet in Deo & quolibet Christi meritò, ideò præcisè simpliciter infinitis, quia illis, in ea ratione, in qua infinitatem participant, nihil potest dari majus: atqui quolibet peccato dari potest majus, nempe cum majori semper ac majori Dei cognitione commissum: igitur nullius malitia potest esse simpliciter infinita.

Crescit eadem proportione qua dignitas persona offensa, si hac sit cognita adæquate, secus si, ut hic sit cognita inadæquate.

191. Nec refert, quòd persona Dei peccato offensi, sit infinite digna; non enim crescit malitia peccati eadem proportione, quæ personæ offensæ dignitas, nisi hæc cognoscatur cognitione perfecta & sibi adæquata; si enim persona offensa non cognoscatur cognitione adæquata suæ dignitati, sed cognitione eo imperfectiore & inadæquatiore, quo major est ejus dignitas adeoque infinite distante ab ejus adequatione, si dignitas sit infinita (ut contingit in nostro casu) crescit quidem malitia offensæ ex dignitate personæ quæ offenditur; at non cum proportione certa, sed incremento proportionaliter decrescente, sic ut proinde ex dignitate infinita personæ offensæ solum sequatur malitia superioris ordinis, malitias offensarum contra creaturas, aut peccatorum venialium etiam in infinitum crescentes indivisibiliter excedens: ac eminenter continens: non verò simpliciter infinita, quæ alias infra se possibiles in infinitum crescentes divisibiliter excedat aut per æquivalentiam formalem contineat.

Pœna æterna non est simpliciter infinita, quia potest dari major.

Vnde licet mereatur pœnam æternam, non tamen meretur simpliciter infinitam; non enim pœna duratione infinita, est simpliciter infinita in ratione pœnæ, cùm major dari possit, & alioqui etiam æterna Dei visio dicenda esset simpliciter infinita in ratione præmii & consequenter meritum illius condignum simpliciter infinitum, quod falsum est.

Similiter pœna damni non est simpliciter infinita in ratione pœnæ, quia licet sit privatio boni infiniti, non tamen ut infinite, sed solùm ut finite possidendi: jam autem quantitas malitiæ privationis non est pensanda ex bonitate objecti aut finis, quo

so-

solùm mediate privat, sed ex bonitate possessionis illius, qua privat immediate; imò non solùm ex bonitate, sed etiam ex illius indigentia ad felicitatem obtinendam, aut miseriam pellendam: hinc privatio infinitorum graduum gratiæ possibilium, non est tam mala, quàm unici in eo, qui unicum habet.

Pœna damni est privatio boni infiniti, sed solùm finite possidendi.

§. IV.

Deus peccatum non causat, nec ejus entitatem prædeterminat.

192. IMpium est & hæreticum, cum Luth. Calv. aliisque sectariis asserere Deum, ita impellere ad peccatum ut simpliciter illius causa & author dici possit. In hanc blasphemiam Arausic. 2. can. 25. & Trid. sess. 6. can. 6. Anathema dixit, & merito: *quoniam non Deus, volens iniquitatem tu es*. Psalm. 5. *Odio sunt Deo impius; & impietas eius*. Sap. 14. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*. Iac. 1. rationem adfert Fulg. l. 1. ad monim. ca. 22. his verbis: *Deus non potest esse amator ejus, cujus est ultor: justitia enim justa non erit, si puniendum reum non invenisse, sed fecisse dicatur. Major verò erit injustitia, si lapso Deus retribuit pœnam quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam*. Vnde, quando Script. videtur significare quædam peccata ex Dei consilio, & decreto facta esse, ut peccatum, quo à fratribus venditus est Ioseph Gen. 45. v. 8. quo Christus à Iudæis interemptus est Act. 2. v. 23. non significat Deum ex determinatione propria, ante prævisum humanæ libertatis exercitium, habuisse aliquod directum & absolutum decretum de peccato à creatura patrando, sed solùm habuisse aliquod consequens de aliquo bono effectu ex mala peccantium voluntate ab ipso permissa & prævia, eliciendo.

Deus non est peccati author, nec præ definitor.
Est de fide ex Scriptura quæ in Deo circa peccata solùm agnoscit decreta permissive, aut consequentia de aliquo bono effectu ex iis eliciendo.

Et juxta Damasc. solet Dei permissionem vocare ejus actionem, & dicere causaliter quæ debent intelligi secundum eventum.

193 Cùm verò Script. 2. Reg. 12. dicit: *Ego suscitabo super te malum*, & 16. *Dominus præcepit Semei ut malediceret David*; intelligenda est de permissione, ut rectè advertit Damasc. l. 4. de fide c. 20. his verbis: *opera pretium est agnoscere, moris esse divinæ scripturæ permissionem Dei actionem ejus vocare*, ubi addit, *etiam esse morem scripturæ quædam, quæ secundùm eventum debent intelligi, causaliter dicere*: ut Exod. 9. cùm Deus Pharaoni dicit: *idcircò posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam*: ubi juxta varios ly *idcircò* non sumitur causaliter sed consecutive.

Deus indurat peccatores permissive & negative, non dando gratiam.

Similiter de permissione intelligenda sunt varia Scripturæ loca, quibus Exod. 9. v. 16. ad Rom. 1. v. 28. & alibi dicitur Deus quosdam *indurare, excæcare, tradere in reprobum sensum*. *Non enim*, inquit August. Epist. 105. *Indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*. *Nec*, ut habet l. 1. ad Simpl. qu. 2. *ab illo irrogatur aliquid, quo homo fiat deterior, sed tantùm quo sit melior non erogatur*.

Et positive occasionaliter & improprie faciendo aliqua ex quibus prævidet peccaturos. Idem paratum ad unum peccatum inclinando ad aliud æquale aut minus.

Potest tamen etiam dici Deus peccatorem indurare non solùm permissive, sed etiam aliquo modo positive, non quidem directè & proprie, sed occasionaliter & improprie, nempe absque ulla voluntate peccati intentiva, in pœnam peccatorum præcedentium: varia circa ipsum faciendo, ex quibus prævidet illum pro sua malitia sumpturum occasionem peccata peccatis cumulandi: quod solùm vult August. l. 5. contra Iul. c. 3. docens impios suis desideriis tradi, non solùm per divinam patientiam, sed etiam per potentiam: & l. de grat. & lib. arb. c. 21. ubi congestis pluribus Scripturæ testimoniis sic concludit: *satis, quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia sive ad mala pro meritis eorum*.

Adde non repugnare Deo etiam directè voluntatem, ad unum peccatum paratam, ad aliud æquale, aut ad minùs inclinare, quo sensu, ibidem

dem August. c. 20. asserit: *Deus voluntatem Semei proprio vitio suo malam in peccatum maledictionis inclinasse*. Ex his facile explicabis illud S. Thom. l. 3. in c. 9. ad Roman. *Instinctu quodam interiori moventur homines à Deo, & ad bonum, & ad malum:* Hoc solum volunt Aug. & S.Th.

194. Deus non prædefinivit ab æterno, nec in tempore physice prædeterminat actum materialem peccati, ut advertenter & libere ponendum à creatura iis circumstantiis, quibus non potest non esse malus. Divinæ enim bonitati & justitiæ repugnat, æterna prædefinitione ac physica præmotione, & quidem adeò efficaci, ut ei in sensu composito resisti non possit, Deum impellere ad id, quod directe prohibet, sed quod directe prohibet est ipse actus physicus libere exercitus iis circumstantiis, quibus malitiam non potest non habere sibi annexam. Deus non prædefinit nec prædeterminat ad materiale peccati.

I. Quia verba divinæ prohibitionis Exod. 20. *Non occides: non mœchaberis*, aperte designant actionem physicam & materialem occidendi, &c. tanquam objectum directe prohibitum. 2. quia vel prohibet ne ita ponatur actus, ut ex eo necessariò resultet malitia, vel certè ne cum actu sic posito conjungitur malitia: non secundum, cùm hoc sit impossibile: ergo primum, ac proinde illud non prædefinivit, nec physice prædeterminat; alioqui enim occulta voluntate procuraret ut fiat, quod aperta vetat: atque ita exteriùs diceret Angelo v. g. nolo ut actum superbiæ elicias, quem tibi sub pœna damnationis prohibeo; interiùs verò apud se diceret: volo (& quidem voluntate antecedente omnem Angelicæ libertatis determinationem, eamque efficaciter prædeterminante) ut actum superbiæ advertenter & libere elicias iis circumstantiis; quibus implicat non esse malum & damnabilem. Quod cum divina bonitate ac justitia stare non posse, docuit Prosp. Resp. 12. ad cap. Gal. *Si Deus hominem bene currentem cadere facit, ergo pro bonis mala retribuit, & injuste punit, quòd ut fiat, impellit.* 1. Quia illud directe prohibet, non enim prohibet resultantiam malitiæ ex actu libere posito, cum sit impossibile eam impedire, ergo &c.

195. Deinde, certum est ex Sap. 12. *Quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant*. Isaiæ 66. *Quæ nolui elegistis*, aliisque Scripturis, Deum mala non velle, nec operari ex propria determinatione, seu proprie & per se, sed ut definivit Trident. sess. 6. can. 6. solùm *permittere*: igitur etiam certum est Deum illa non prædefinire, nec physice prædeterminare, ut ponenda iis circumstantiis, quibus non possunt non esse formaliter mala: quia alioqui Deus illa non solùm permitteret: *quod enim à Deo permitti dicitur, quasi de invita venit voluntate*. Tertull. Exhor. ad castit. sed ex propria animi inductione illa directe & positive vellet sic poni, ut ex iis necessariò resultet malitia; adeoque esset author & causa per se determinativa actus mali ut advertenter & libere eliciti iis circumstantiis, quibus est necessariò malus formaliter, & consequenter etiam actus ut mali formaliter, seu ipsius malitiæ: quandoquidem velle ex determinatione propria iis circumstantiis actum poni, quibus inimpedibiliter est malus, sit velle actum ut malum, seu ipsam malitiam, saltem virtualiter & interpretative; qua solùm ratione peccantes ordinarie eam volunt. Declaratur hoc simili: non potest Deus absolute & efficaciter velle actum humanum ita elici, ut necessariò sit vitalis, liber, & bonus; quin eo ipso illum velit ut vitalem ut liberum, & bonum: ergo similiter in nostro casu &c. Item non potest velle ut paries sit niger, quin velit ut sit dissimilis parieti albo existenti, ergo nec potest velle ut libere eliciatur actus odii Dei, quin velit ut eliciatur actus formaliter difformis legi æternæ & rectæ rationi: cùm sit æque impossibile actum odii Dei liberum non esse difformem rectæ rationi, quam parietem nigrum non esse dissimilem albo.

2. Quia alioqui contra Script. CC. & PP.

Deus mala non solùm permitteret sed vellet ex propria determinatione ac ita poni, ut ex eo inimpedibiliter resultet malitia, quod est velle malitiam ex modo, quo peccatores.

Confir. 1. ex S. Thom. 1. p. q. 49. art. 2. O. *dictum est, quod aliquid agens, in quantum sua virtute producit aliquam formam, ad quam sequitur corruptio & defectus, causat sua virtute illam corruptionem & defectum*: ergo ex mente S. Thom. Deus

Conf. ex S. Th. docente defectum causari à causante formam ex qua sequitur defectus.

Deus esset causa mali formaliter, seu malitiæ; si influxu prævio ac physicè prædeterminatiuo causaret entitatem actus mali liberè eliciti, ex qua necessariò sequitur formalis malitia.

196. Meritò igitur Augustin. de spir. & lit. cap. 31. dicit: *Nusquam legimus, non est voluntas nisi à Deo, & rectè non scriptum est, alioqui enim peccatorum, quod absit, author est Deus, si non est voluntas nisi ab illo.* Quibus verbis negat esse à Deo ut causa determinativa non solùm formalitatem malitiæ, sed & ipsum actum voluntatis secundùm suam entitatem, ita productum ut per illum homo constituatur liberè volens: quandoquidem ex mente Augustin. Bern. S. Thom. &c. sup. num. 47. & communi omnium sensu, actum voluntatis sic acceptum significet hæc vox, *voluntas* simpliciter posita, non formalitatem malitiæ, aut bonitatis. Eodem sensu voluntatem accipit l. 5. de ciuit. cap. 8. *à Deo sunt omnes potestates, quamvis ab illo non sint omnium voluntates*, & cap. 9. *sicut omnium naturarum est creator, ita omnium potestatum est dator non voluntatum.* Quibus docet voluntatem malam non esse à Deo, sicut potestas ad malum est à Deo: atqui potestas ad malum solùm est à Deo sumpta materialiter & non reduplicatiue ut est ad malum: cùm enim ut sic non sit potentia, sed impotentia; non est à Deo, sed ex ipsa naturæ imperfectione, quæ quatenus ex nihilo est, ex se habet posse deficere, quod præclarè expressit August. lib. 14. de civit. cap. 13. *ut natura sit, ex eo habet quod à Deo facta est: ut autem ab eo à quo facta est deficiat, ex hoc quod de nihilo est*, & l. 1. cont. Iul. cap. 8. *naturarum spontaneus defectus à bono, non indicat à quo facta sunt, sed undè facta sunt, & hoc non est aliquid.* Ergo sup. negat actum voluntatis malum, etiam sumptum materialiter, esse à Deo ut causa antecedenter determinante. *Ad malum quippe eius*, (scilicet hominis) *prior est voluntas eius, ad bonum, verò eius, prior est voluntas creatoris eius* lib. 15. de civit. cap. 15.

Deus, ex August. esset author peccatorum, si omnis voluntas esset à Deo determinante.

Vbi voluntatem accipit materialiter, sicut potestatem, quam asserit omnem esse à Deo.

Actus peccati juxta Aug. fit ex voluntate Dei permissiva, non intentiua.

197 Dices August. Enchir. cap. 100. ait, *Miro & ineffabili modo non fieri præter Dei voluntatem, quod contra eius voluntatem*. R. solùm vult, peccata fieri ex Dei voluntate, non ea ullo modo antecedenter intendente, sed solùm permittente, & non impediente cum possit. Quod manifestum est ex his quæ subiungit: *quia non fieret, si non sineret, nec utique no'ens sinit sed volens*. Deus itaque, vt docet Apost. ad Ephes. 1. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*, vel antecedens & intentivum, ut bona, vel solùm consequens & permissivum, ut mala.

Dices 2. S.Tho. quodlib. 12. q. 4. a. 4. dicit, *Quod à providentia Dei omnia sunt prædeterminata, & ordinata*. R. decreto intentivo. N. decreto partim intentivo, partim permissivo. C. & dico quòd Dei decretum sic acceptum bono sensu dici possit prædeterminatio & prædefinitio omnium aliquando producendorum, cùm ab illo tanquam à primo determinante, vel positiuè per modum causæ; vel negativè per modum removentis prohibens, dependeat absoluta omnium creaturarum existentia.

Hoc solum vult S. Tho. asserens omnia esse prædeterminata à Dei providentia.

198 Hoc autem solûm voluisse S. Tho. videtur manifestum ex iis quæ habet hic qu. 80. a. 1. ad 3. *Deus est universale principium omnis interioris motus humani* (nempè quatenus voluntati præbet virtutem operandi, eamque per concursum simultaneum, tanquam per conditionem sine qua non, applicat ad operandum) *sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humana, & diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis*. Vbi, ut patet, agitur de determinatione ad malum materialiter, ad hoc enim solum movent appetibilia in 2. dist. 37. qu. 2. a. 1. ad 1. *Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum & in malum; inclinat siquidem voluntatem in bonum administrando virtutem agendi, & directè movendo ad bonum; sed ad malum dicitur inclinare in quantum gratiam non præbet, per*

Qui docet. 1. determinationem ad malum materialiter.

quam

quam quis à malo retrahatur; & non, quòd directè voluntatem in malum ordinet: quod faceret per præmotionem physicam ad actum iis circumstantiis, quibus non potest non esse malus l. 3. cont. Gent. cap. 162. *Deus ad peccatum non inducit*. Et infra; *impossibile est quod Deo agente, aliqui avertantur ab ultimo fine, qui est Deus. Impossibile igitur est quod Deus aliquos peccare faciat*: quod planè videretur facere per physicam præmotionem ad actum ita eliciendum, ut ab eo non possit abesse malitia.

Ad quod solùm mouent appetibilia esse à voluntate.

2. Deum inclinare ad malum negando gratiam, non ordinando ad illud seu avertendo à fine quod ait esse impossibile.

199. Dices 3. S. D. in 3. dist. 37. qu. 2. art. 2. dicit. *Quidquid est in actu deficiente*, scilicet peccato, *de ratione actus & entis, & boni, totum à primo agente*, scilicet Deo, *procedit mediante voluntate, sed ipse defectus, qui est in actu, hoc modo est à voluntate: quod à Deo non procedit*. R. Non vult entitatem actus mali esse à Deo ut physicè prædeterminante, sed ut influente per concursum simultaneum, idque mediante voluntate, ut liberè seipsam & simul Deum ad talem actum determinante; sic ut iste actus sit soli voluntati creatæ proximè liber, ac proindè ejus defectus procedat à sola voluntate ut moraliter deficiente.

200 Porrò hanc esse mentem S D. Patet, ex eo, quòd ibi sententiam oppositam reiiciat, ut proximam duplici errori; nempe & statuenti, duo prima principia: *hoc enim*, inquit, *est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis, & influentia eius*; & neganti Deum esse causam uniuersalem: quia ut habet ibidem *si actiones peccati à Deo non sunt, aliquod ens essentiam habens à Deo non esset*. Quod constat solùm posse intelligi de sententia Deo negante influxum in effectus causarum secundarum 2. ex eo, quòd habet 2. ad Annib. dist. 37. qu. unica art. 1. *Hæreticum est dicere aliquod ens, inquantum ens, non esse à Deo; nec solùm fidei contrarium sed etiam rationi*.

Alibi solùm vult entitatem actus esse à Deo per influxum simultaneum ex determinatione voluntatis, creatæ, cui proinde soli tribuitur defectus.

Quæ censura certò falsa esset & erronea si intelligeretur de sententia negante omne ens esse à Deo ut physicè prædeterminante; nec solùm falsa, sed &

aper-

aperte contraria iis, quæ ipsemet habet tum locis sup. citatis, tum hic quæst. 9. art. 6. ad 3. his verbis: *dicendum quod Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud bonum, quod est verè bonum vel apparens bonum: sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, sicut in his quos movet per gratiam.* Adde quod ibidem comparet motionem qua Deus movet voluntatem, motioni, qua ut dicitur 8. physic. *Generans movet secundùm locum gravia & levia* sc. non per præmotionem physicam, sed per dationem virtutis motiuæ sursum vel deorsum.

Pat. 2. quia ibi dicit oppositum esse proximum duplici errori, quod solùm convenit sentent. Durandi, non nostra.

201. His accedit validissima confirmatio ex pluribus locis, quibus S. Thom. uniuersaliter reiicit prædeterminationem physicam ut libertatis euersiuam apud Henr. de Cerf. in controversia de mente S. Thomæ circa prædeterm. physic. cap. 4. ubi n. 91. referuntur hæc S. D. verba ex 2. dist. 28. qu. 1. art. 1 O. *Non enim homo esset liberi arbitrii, nisi ad eam determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc aut illud*, quibus (ut rectè de Cerf.) ad libertatem manifestè requirit, ut agens liberum non aliundè determinatum, seipsum determinet, quod necessarium est ut absolutè ad ipsum, & non ad alterum, *operis sui determinatio pertineat*, & ut simpliciter dici possit *ex proprio judicio*, id est, non ex alterius præuisa determinatione, *eligere hoc aut illud.* Nihil clarius à me, aut quouis alio pro nostra sententia cōtra prædeterminationem physicam dici potest.

B. quia dicit quod voluntas non foret libera, si non determinaret seipsam.

Loco jam citato ad libertatem requirit S. D. ut voluntas determinet seipsam; aliis apud eumdem de Cerf. ibidem & nu. 98. ac seqq. manifestè requirit ut non determinetur ab alio. Q. 3. de Malo a. 3. ad 5. *Voluntas, cùm sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, sc. per consilium rationis, neque oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* 2. *Ipsa enim potentia voluntatis quantum in se est, indifferens*

rens

vens est ad plura : sed quòd determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinatè, vel, (quod ad rem nostram clariùs facit, licet non multo efficaciùs) *non est ab alio determinante ; sed ab ipsa voluntate*. Vbi ly *non ab alio determinante*, non est textus Doctoris Angelici depravatio (ut hic non ita pridem minus considerate censuit & adversariis physicæ prædeterminationis temere objecit quidam prædeterminator) sed correctissima, & menti S. Doctoris convenientissima citatio. Quod constat, tum ex antiquissimis codicibus manu scriptis (cujusmodi asservatur unus Leodii in Monasterio S. Iacobi, scriptus, ut creditur, tempore S. Thomæ) in quibus habetur ly *determinante ;* ut etiam legit Angelicæ mentis indagator accuratissimus Pet. à S. Ioseph ; tum ex novissima & emendatissima editione Parisiensi operum S. Thomæ an. 1659. ab eximio ac Rever. adm. Patre Ioanne Nicolai, ordinis S Dominici Doctore Sorbonensi recognita ac notis illustrata, in qua sublato ly *determinate*, ut mendoso, repositum est ly, *determinante*, tamquam verus ac sincerus S. Doctoris textus.

1. Quia decet actum voluntatis liberè operantis non esse ab alio determinante.

202. Hæc autem verba, quibus S. Doctor nostram doctrinam tradit, & omnem ab alio determinationem antecedentem, adeoque ipsam physicam prædeterminationem excludit tam expressè & clare, ut a nobis non possit expressius & clariùs, nonnulli ex adversariis eludere conantur veriùs, quàm solvere, dicendo S. Doctorem à cit. docere peccatum esse in voluntate, ac proinde verbis relatis loqui de actu peccati ut sic, sub qua ratione non est à Deo determinante, sed à sola voluntate.

Quibus adeo clarè præ. determ. rejicit, ut nemo possit clariùs,

203. Verùm hanc evasionem præcludunt antecedentia & consequentia, ex quibus constat S. Thomam istic loqui de voluntate, ut est actus (abstrahendo à bonitate aut malitia) quam in eo distinguit à voluntate, ut est potentia, quòd hæc *à nobis non sit ; sed à Deo* : & ideo ipsa *in nobis non possit esse peccatum* ; sed solùm *actus ejus, qui à nobis est*, non solùm secundùm substantiam actus ; sed etiam *secundùm determinationem voluntatis ad actum ;*

Non satisfit dicendo S. Th. loqui de actu ut est peccatum cùm ut pat. ex adjunctis agat de actu ut actus est.

actum, qui eam ob causam *est propriè in ejus potestate*. Et infra. *Vnde si aliquis defectus sit in actu ejus, ipsi voluntati in culpam & peccatum imputatur*.

Ex quibus liquet S. Tho. ibi docere actum liberum secundùm se spectatum esse à sola voluntate ut determinante, non à Deo; eaque de causa ejus effectus morales (si quis sint) soli voluntati debere tribui, non Deo, cui æque aut magis, quàm voluntati deberent tribui, imò ipsi soli & non voluntati, si actus, ut libere exercetur iis circumstantiis, quibus advertitur non posse non esse malus, foret à Deo ut priori & principali determinante, ipsam voluntatem ita movente, ut voluntas non possit formaliter & in sensu composito resistere, hoc est componendo non actum cum divina motione ac determinatione ad actum.

204. Meritò igitur Eximius P. F. Ioannes Nicolai, advertens hujus responsionis apertam nullitatem, in margine ad verba citata aliam adfert, quòd nempe S. Th. solùm neget esse *ab alio determinante* creato, naturali, ad idem genus vel eundem ordinem pertinente, quod non excludit esse à Deo ut primo agente determinante voluntatem creatam sibi subordinatam determinatione conformi ejus connaturali exigentiæ, hoc est, non necessitante, sed efficiente ut infallibiliter agat libere, qualem solùm admittunt Thomistæ.

Neque dicendo quod solùm venit non esse ab alio determinante creato, cùm loquatur universaliter.

Verùm, neque hæc solutio satisfacit 1. Quia determinationi voluntatis à seipsa ad libertatem requisitæ repugnat quælibet absoluta determinatio antecedens ab alio sive creato, sive increato; cùm quoad hoc utriusque par ratio 2. Quia S. Th. universaliter negat esse *ab alio determinante*: ergo etiam ab alio superioris ordinis & increato; cùm nulla sit ratio in universali ejus locutione admittendi aliquam exceptionem. 3. Quia determinatio absolutè antecedens, cum qua non possit componi non actus, non potest non necessitare, proindeque non magis potest esse conformis exigentiæ & modo operandi potentiæ liberæ, quàm frigus exi-

exigentiæ ignis aut cæcitas exigentiæ potentiæ visivæ.

205. Hanc porrò esse mentem S. Thomæ evincunt similia ejus verba sæpiùs repetita: in 2. dist. 25. q. 1. a. 2. O. *Voluntas libera manet, in hoc solo determinationem habens, quod fœlicitatem naturaliter appetit.* dist. 39. q. 1. a. 2. O. *ratio enim culpa in actu deformi est ex hoc, quòd procedit ab eo, qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundùm illam potentiam, qua ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur, nisi ex seipsa; quod tantùm voluntati convenit.* q. 22. de verit. a. 6. O. *unde cùm voluntas indeterminatè se habeat respectu multorum, non habet respectu omnium necessitatem, sed respectu eorum tantùm, ad qua naturali inclinatione determinatur.* Et infra: *ideò oportet, quòd id ad quod voluntas est determinata, sit principium appetendi ea, ad qua non est determinata, & hoc est finis ultimus.* Quæ iterum inculcat ad 1. *dicendum quod esse anima non est determinatum à seipsa, sed ab alio? sed ipsa anima determinat sibi suum velle; & ideo quamvis esse sit immutabile, tamen velle indeterminatum est* (sc. ab alio) & *per hoc* (quod nempe non sit determinatum ab alio) *est in diversa flexibile*, seu liberum.

Et quævis antecedens determinatio ab alio ex mente S. Th. repugnet liberæ determinationi à seipsa.

206. Ob hæc aliaque plurima apud Exim. D. de Cerf. Divi Thomæ testimonia physicæ prædeterminationi repugnantia, non pauci ex illustri Prædicatorum ordine, iique Magistri virtute & doctrina clari, relicta Bannezii aliorumque recentium Thomistarum sententia nobiscum prædeterminationem physicam universaliter aut saltem quoad materiale peccati fortissime reijciunt, e multis pauci hic producuntur.

His & aliis ejusmodi D. Angeli. testimoniis convicti Bannezianam præmotionem fortissimè rejiciunt insignes Thomistæ.

Primus sit Ioan. Vincentius, de quo & aliis quibusdam innominatis Basilius Legionensis 1. p. variar. disp. q. 9. expositiva, c. 5. fin pag. 399. sic loquitur: *licet nonnulli ex familia S. Dominici obstinati prædeterm. illam voluntatis ex physica Dei motione, aut qualitate pervenientem, qua ita ad unam partem determinaret antè consensum voluntatis, ut deinceps non*

esset

esset electionis humana illi posita motioni Dei aut obtemperare aut refragari , docuerint : excitavit tamen Deus olim doctissimum virum Ioan. Vincentium ex eadem familia , qui eam docendi rationem validissimè impugnauit & morales tantùm prædeterminationes per excitationes , qua sunt actus intellectus & voluntatis induxit, legit , dictauit in Salmantino Theologorum gymnasio me , & spectante , & audiente , & postea alii ex eadem familia , ab illa propositione cum laude & fructu discesserunt .

Ioan. Vincentius , Basil. Verdu, abhorrent à prædeterm. ad malum.

207. Secundus Basilius Verdu in relectione de auxil. pag. 54. conc. 12. ubi ait: *probabilius tamen dicitur aliquod opus morale bonum ordinis supernaturalis fieri posse sine physica prædeterminatione , sed satis erit simultaneus concursus . Hanc Doctrinam videtur indicare Apostol. Rom. 6. ut optimè sapientissimus Mag. Raymundus Pasqualius filius nostri conventus . Idem habet S. Thom.*

Hi duo prædeterminationem ad materiale peccati specialiter aversantur: siquidem Vincentius, ut apud Paul. Leonardi 1. p. nu. 50. pag. 64. refert. Franciscus Cornejo profess. Salmant. testis oculatus & auritus. *Vincentius lectura in 1. p. q. 19. art. 8. palam professus est Deum materiale peccati neutiquam prædefinire : ajens ab hac sententia so a Ecclesia authoritate se posse dimoveri*: Quibus similia de eodem habentur apud Ledesm. tract. de auxil. a. 8. §. *in hac difficultate*. Concordat Verdu relect. contra scient. med. p. 2. conclus. 13. ubi *oppositum dicere censet impium , & blasphemum*; has tamen censuras non probo sed absolutè rejicio tanquam falsas & justissimis Pontificum decretis contrarias.

Similiter Gonzal. alii licet eam admittant ad bonum.

208. Idem tenent Gonzalez in 1. p. disp. 59. sect. 2. num. 13. adstruens *expressum esse sensum S. Th. & discipulorum ejus* , Vvanguas . Mondragon , & alii apud Leonard. p. 1. num. 46. & 52. p. 2. num. 13. & 46. qui licet prædeterminationem admittant ad actus bonos & indifferentes, eam tamen negant ad entitatem actuum malorum, de qua inquit Navarret. apud Leonard. part. 3. sec. 4. *nec in Script. nec in CC. vel Doctrina PP. invenitur verbum aliquod*

Per

Per hanc autem inconsequentiam prædeterminationis reiectæ ad actus malos, & admissæ ad bonos evertunt generalia ac præcipua prædeterminationis physicæ fundamenta, sita in indifferentia causæ secundæ eiusque subordinatione ad primam ac essentiali dependentia ab hujus motione & applicatione ad agendum.

Iis adiungi potest Ioan. Nicolai ex eodem Prædicatorum Ordine D. Sorbon. in 2. dist. 37. qu. 2 art. 2. in nota marginali, littera T. & ad 5. litt. B. ubi censet in sententia Ioan. à S Thoma, Goneti, & aliorum Thomistarum apud Hispanos communissima, formalem peccati malitiam constituente in positivo, Deum non posse prædeterminare actum peccati, quin sit causa peccati, & sub finem addit. *vah malè feriatos, qui & portentum illud pro Thomistico jactent*, & ad 5. *nec Thomista putatur esse, qui hac monstra non credat? aut assentiatur fingentibus? ò calumniam cæcam?*

Consentit Ioan. Nicolai.

209. Tertius Francisc. Aravio Episc Segobiensis tom. 2. in 1. 2. qu. 2. a. 5. dub. 6. in editione an. 1646. Typis Melchioris Sanchez, ubi nostris argumentis acriter impugnat prædeterminationes physicas, & nu. 41. vers. *sed accedat* ait (apud Henao Empyreologiæ praeloq. qu 9. nu. 35.) *mirùm planè est, quod quidam novitii Theologi, quorum multi absque ullo examine suorum magistrorum sectantur placita, tantam sibi fidem velint haberi, ut indubitanter posteri Theologi credere teneamur hunc Dei physicum humanæ voluntatis prædeterminativum concursum, cuius nec Concilia nec SS. PP. aliquando meminerunt, sed ab eis fuit quodam fallaci discursu confictus*. Quod confirmat idem. Aravio litteris datis ad P. Henao an. 1663. 12. Decemb. ubi ait. *Respondeo, quod fuerim in juventute mea nutritus in prædeterminationibus physicis, sed posteà ætate magis provectus, conformavi me R. P. Magistri Fr. Ioan. Vincen. moralibus* (scilicet prædeterminationibus) *pono tamen illas efficaces & independentes à scientia med. ita ut nec sim prædeterminans physicus, nec prævidens futurorum conditionatorum ante decretum. Et ita poterit V. paternit. in suo*

Francisc. Aravio rejectis prædeterm. physicis ad morales transiit, ut convincit Henao.

novo tomo ponere defensionem ut visum fuerit, vide pro his Henao. in scien. med. historicè propugnata secundò edita, ubi has litteras invenies Notarij publici Syngrapha confirmatas, aliaque permulta scitu digna ad rem præsentem pertinentia.

Ioseph. de Vita Dominic. physicam prædeterm. reiicit ut novissimū Bannezii inventum.

210. Quartus & ultimus sit vir eruditissimus, & in magistri sui Aquinatis doctrina versatissimus P. Iosephus de Vita Siculus. Tom. 1. *de proprio, & per se principio unde provenit peccatum in actionibus voluntariis*, tota disputatione secunda, in qua prolixe, clare & solidè prædeterminationem physicam generaliter reiicit, ut nouissimum Bannezii inuentum, libertatis eversivum, & doctrinæ S. Thomę planè contrarium. Quod efficacissimè, & (ut ipse quidem arbitratur) demonstrativè probat verbis Divi Thom. disput. citata fusè productis, & accuratè expensis, ac præcipue ₰. 4. his ex 2. dist. 25. qu. unica art. 1. desumptis. *Liberum arbitrium non invenitur, in illis agentibus quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam aliis caussis prioribus*: quibus ₰. 5. subjungit sequentia ex lib. 2. contr. Gent. cap. 47. ratio. 4. *forma quæ non est ab ipso agente per formam, causat operationem, cujus agens non est Dominus, si quæ verò fuerit forma, quæ sit ab eo, qui per ipsam operatur, etiam consequentis operationis dominum habebit*. Atque his, & aliis eiusmodi D. Angelici testimoniis generaliter omnem recentium physicam prædeterminationem reiicit, ut à doctrina verè Thomistica prorsus alienam.

Libertatis eversivum.

Repugnans D. Th. Aug. & Deo; quem facit autorem peccati.

211. At verò prædeterminationem ad actum materialem peccati liberè elicitum eo modo, iisque circumstantiis, quibus non potest non esse peccatum disp. 1. pag. 31. ₰. 5. & seqq. acriter refellit ut repugnantem S. Thomæ D. Augustino, imo & ipsi Deo, qui per ejusmodi prædeterminationem deciperet, & esset causa peccati, quod, inquit, *est opus diaboli*. Hæc & plura in eundem sensum vide apud Iosephum locis citatis, & specialiter pag. 62. ₰. 15. cui ponit hunc titulum: *Vindicatur doctrina Augustini ab imposturis recentiorum*: quod si ejus libri

copia

copia desit, hanc ejus doctrinam reperies in fideli extracto ex primo ejus tomo à me Duaci an. 1673. in lucem emisso ad studentium commune bonum, & ad confirmationem nostræ, & aliorum hodie sat communis sententiæ reprobantis prædeterminationem physicam ut libertati repugnantem, ac duobus primis Theologiæ Magistris Augustino, & Thomæ contrariam.

SS.Th. Aug. vendicat, ab imposturis recentium.

22. Iosepho subscribunt insignes ex eodem Ordine ejus doctrinæ Censores R. P. Mr. Passerinus Procurator Generalis totius ordinis Prædicatorum; R. P. Candura Provincialis Trinacriæ. R. P. Mr. Iosephus Gigante Regens studii generalis Panormi. R. P. Mr. Thomas Ancona Regens ibidem, qui P. Iosephi doctrinam non solùm approbant ut *bonam & Thomisticam*, sed tanquam *necessariam ut doceatur in Ordine, ac dignissimam, ut è cunctorum Divi Thomæ assectarum manibus, ore, & corde haud unquam corruat*: ita enim loquuntur in suis approbationibus in meo extractu ad verbum relatis. Ex quibus patet quam inique juniores quidam Thomistæ oscitantiæ, hebetudinis, aut pertinaciæ eos calumnientur, qui physicæ prædeterminationi S. Thomam opponunt cùm suis in thesibus & libellis Duaci editis præfidenter asserunt illos *S. Thomam non legisse, vel non intellexisse aut intelligere noluisse*. Plus, ut reor, deferent viris è suo ordine dignitatibus, pietate, & doctrina illustribus nobis hoc in puncto consentientibus, quàm ut eos adeò turpi calumnia infament.

P. Iosepho suffragantur alii perillustres Dominicani.

213. Hunc quidem authorem acriter perstringit, eique omnem authoritatem ac eruditionis famam adimere nititur eius confrater P. F. Franc. Iansens S. Theol. Licentiatus in suo libello cui titulus, VERITAS MANIFESTATA pag. 28. & sqq. ubi P. Iosephus sapientissimorum sui operis Censorum judicio eruditissimus & in S. Th. versatissimus, dicitur Thomista spurius, cerebri parum firmi, contumax, refractarius, ineruditus, præsumptuosus, author libri absurdi, insulsi, ineptiis & ineptissimis paradoxis pleni, publico conspectu plane indigni,

Illum acriter perstringit, ac deprimit P. Iansens sed frustra.

nulla pollens authoritate vel eruditionis fama, & neglectu potiùs, quàm operosa refutatione dignus.

Hæc Epitheta ſanè acerba (quæ omnia habentur loco cit. licet non eodem ordine) & alia ejuſmodi aſpera religioſæ manſuetudini, & charitatis fraternæ ſuavitati non ſatis conſentanea ei authoritatem Eximij S. Thomæ diſcipuli & in ejus doctrina verſatiſſimi nunquam detrahent apud ſapientes, qui animo ſedato, & ab omni affectionum perturbatione libero, legent ejus librum, quem non *in ſuum dedecus ac ignominiam parturiit*, ut ait Ianſens; ſed in D. Thom. honorem & ejus Doctrinæ commendationem, ad commune bonum feliciter edidit.

Ei nunquam eripient præclarè Thomiſtæ laudem, quam ei merito tribuit Henr. à S. Ignatio.

214. Hoc mecum agnoſcit eruditiſſimus P. Henricus à S. Ignatio Carmelita Calceatus tom. 1. *de Deo uno & Trino* ubi P. Ioſephii doctrinam amplectitur, laudibus ornat, novis, ex ſuo ſubtili ingenio depromptis probationibus firmat, & ſtudioſè ſequitur in explicanda gratiæ efficacia & divinæ providentiæ infallibili certitudine independenter à ſcientia media & prædeterminatione phyſica, quam alienam eſſe à mente S. Thomæ fusè & doctè probat diſt. 10. qu. 3. art. 1. reſol. 1. pag. 674 & ſeqq. nu. 140. & ſeqq. art. 3. pag 718 nu. 294. & ſeqq. item diſt 8. q 6. a. 13. pag. 560. n. 800. & ſeqq. Vbi plurimos ex quovis Ordine, & quidem illuſtriſſimos ex Ordine, S. Dominici Magiſtros producit pro ſua & P. Ioſephi ſententia; qui omnes, ut confido, me facilè abſolvent à culpa zeli indiſcreti, cujus me arguit bonus P. Ianſens: quia nempè typis Duacenis vulgavi doctrinam P. Ioſephi phyſicè prædeterminationi contrariam, quàm maximis extulerunt laudibus ſapientiſſimi eius cenſores ex ordine S. Dominici, quos in *Authoritate contra phyſicam prædeterminationem novis ex ipſo ſacro ordine FF. Præd. petitis ſuffragiis, ſtabilita* appellaui fideliſſimè relatis eorum verbis P. Ioſephi doctrinam mirè extollentibus. Fruſtra igitur Ianſens, aliique eam deprimere conantur; merita laudum encomia nihil unquam imminuent ejus aduerſarii, niſi eadem evidentia, qua ipſe demonſtrat ſuam doctrinam eſſe ipſiſſi-

fissimam S. Thomæ sententiam, probent esse ut passim clamant, ab Angelici Doctoris mente alienissimam: quod nullus hactenus fecit, nec meo quidem judicio, nullus unquam facturus est.

215. His meritò adjungitur R.P.F. Emanuel Maignan Minimus; qui licet non sit ex ordine Prædicatorum, se tamen Thomistam profitetur; is autem in sua philosophia Sacra ann. 1672. Lugduni edita parte 2. cap. 39. pag. 591. prolixe & nervosè prædeterminationem physicam reiicitur *rationi D. Thomæ, & Augustino contrariam, & quatenus attingit materiale peccati, ut repugnantem divinæ bonitati, benignitati, sanctitati, fidelitati, iustitiæ, imo & immutabilitati*. Vnde propositione 14. num. 7. pag. 636. ait: *si Deus ad materiale peccati physicè prædeterminat, magis est causa magisque author malitiæ formalis, quàm sit diabolus: quia hunc etiam ipse ad tentandum prædeterminat physicè, ne fortè in eo ipso, qui est actus Diaboli tentantis, desit id, quod esse dicitur de iure primi liberi, & primæ causæ.* Hunc consulant ii, qui pro sua prædeterminatione physica uniuersum ordinem Minimorum inconsulte producunt, & ex hoc uno suam in citandis authoribus temeritatem agnoscant, & corrigant.

P. Maignan. Minim. prædeterm. reiicit, ut repugnantem iustitiæ Dei.

216. Neque hic author, dicendo prædeterminationem *repugnare divinæ bonitati, iustitiæ &c.* adversarios (ut quidem in similibus minùs benigne interpretantur) impietatis aut hæreseos arguit: non enim impius est aut hæreticus, qui doctrinam tuetur, ex qua, disputandi causa, adversarii probabiliter inferunt aliquid impium aut hæreticum, quamdiu, ipse probabiliter tuetur ista non sequi, & paratus est suam potiùs deserere sententiam, quàm talem admittere consequentiam: at ille solùm impius est aut hæreticus, qui sententiam, quam novit ab Ecclesia damnatam ut impiam vel hæreticam, contempta Ecclesiæ authoritate ac censura, pertinaciter sustinet. Hoc enim ad hæresim formalem requirit Aug. lib. 4. de bapt. cap. 16. his verbis: *nondum illud hæreticum dico, nisi manifesta sibi doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat elegerit.*

Quod non est convitiari, sed ab absurdis argumentari, quod fit cum ab adversariis dicimur Dei primatum tollere, seu negare quod est hæreticum & blasphemū.

Itaque sicut nullam nobis faciunt injuriam adversarii, dum ex nostra doctrina prædeterminationi contraria contendunt sequi eversionem causæ primæ, libertatis humanæ ac divinæ & alia ejusmodi ad hæresim, blasphemiam, & atheismum reducibilia; ita neque nos iis sumus injurii dum similes ex eorum prædeterminatione consequentias trahimus: illa enim accipi solent & debent ut argumenta ab absurdo inquirendæ veritati plurimum servientia, non ut convitia.

S. Thomas nobis non adversatur.

217. Notandum pro solutione objectionum ex S. Tho. loquutiones D. Angelici, aliorumque DD. præmotione antiquiorum, in quibus Bannes aliique ejus sequaces fundant suam præmotionem, nullo modo eam indicare; cùm ea seclusa facillimè possint explicari, idque ad mentem S. Th. ut eas explicant Suar. in sua Metaph. Petrus à S. Ioseph. in sua defensione S. Thomæ & recentius D. Cerf. in sua *controversia de mente S. Th.* c. 2. §. 1 ubi sequentes loquutiones prædeterminatoribus familiares ex ipso S. Th. clarè ac erudite explicatas invenies sensu à prædeterminationibus valde alieno.

218. Prima loquutio ex S. Thom. 1. p. q. 2. a. O. Deus movet causas secundas ad agendum.

Deus ex S. Th. causas 2. movet eis assidue dando esse, vim agendi, & actionem ipsam concurrendo finaliter & efficienter.

1. Quia ipsis dat, & assidue conservat esse & virtutem operandi idque ut operentur: hic enim continuus influxus ipsius esse, & virtutis activæ, est quædam continua motio, qua prima secundas movet ad esse (fieri enim, juxta S. Th. 3. contra gentes c 65. n. 4. est moveri ad esse) ac posse operari, & consequenter ad ipsum operari ad quod illas ordinat.

2. Quia, ipsis dando ac conservando esse, & virtutem activam causat, & quidem ut causa principalis ipsarum actiones, juxta illud: *qui dat formam, dat consequentia ad illam*. Quo sensu ab Arist. 8. Physic. text. 29. 30. & S. Thom. 1 p. q. 105. a. 5. O. & alibi sæpiùs *generans dicitur causa motus gravium & levium*.

3. Quia est finis omnis actionis creaturarum & consequenter primum ejus principium quo sensu *Deus* inquit S. Thom. 1. p. q. 105. ar. 5. O. *in*, seu cum, quo-

quolibet operante operatur, primò quidem secundùm rationem finis.

4. Quia Deus causas secundas liberas specialiter movet ad bonos actus lib ros per prævias illustrationes & inspirationes. Vt recte S. Thom. 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3.

5. Denique quia simultanee concurrendo una cum causa 2. producit actionem, qua causa 2. movetur à Deo simul & à seipsa. De hac motione Cajet. 1. p qu. 19. a. 8 §. *ad primum autem* loquitur, eamque solam requirit his verbis: *Non enim oportet, cùm aliquis vult aliquid seu cùm sol illuminat, primam causam prævia motione cooperari, sed sufficit & exigitur eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi motione scilicet cooperativa intrinsece propria actioni.*

Ex dictis patet variis titulis posse Deum, ex S. Thoma, bono sensu dici præmovere causas secundas etiam liberas ad operandum, quamvis eas non prædeterminet physice ad sensum Bannezianorum. Quia omnes motiones quibus causa prima, modis jam explicatis, secundas movet ad agendum sunt vel physice, ut quatuor primæ, vel logice, ut quinta, natura priores actionibus causarum secundarum adeoque præmotiones.

219. Secunda locutio ex S.Tho. 3. cont. gent. c. 67. n. 4. & 1. p. q. 105. a. 5. O. Deus applicat causas secundas ad operandum. Applicat in actu per concursum in actu 1. &

1. In actu primo, quia illis præbet omnia requisita ut sint proxime expeditæ ad operandum, quod, ut patet, est causa secundas esse in actu 1. applicatas ad operandum, cùm ad hujusmodi applicationem aliud non possit desiderari. Hac ratione admovens activa passivis illa applicat ad agendum in his.

2. In actu secundo quia facit, ut actualiter agant; quod præstat præbendo illis concursum in actu 2. qui non est aliud, quàm ipsa actio causæ secundæ, quæ, prout est à causa 2. est id, quo causa secunda se ipsam in actu 2. applicat ad agendum, seu agendo, & consequenter prout est à Deo, est id, quo Deus illam ex parte sua applicat ad operandum, in actu 2. per concurs. in actu 2.

seu quo iuxta Caiet. 1. p. qu. 19. art. 8. §. *& si quidem* Deus facit ut causa 2. reipsa coniungatur suæ operationi & suo effectui, id est ut actualiter operetur.

Causa ex S. Th. agunt in virtute primæ, id est virtute ab hac accepta & eius concursu natura.

220. TERTIA loquutio *ex S. Thom. 1. par. quæst. 105. art. 5.* Causæ secundæ agunt in virtute causæ primæ.

1. Quia agunt per virtutem participatam, hoc est, acceptam & assidue conservatam à causa prima: *ex hoc enim*, inquit S. Thom. cont. Gent. cap. 66. *manifestum est, quod omnia inferiora agentia non dant esse, nisi in quantum agunt in virtute divina. Quia nihil dat esse, nisi in quantum est actu: Deus autem conservat res in esse per suam providentiam.*

2. Quia agunt per virtutem eius immediato concursu, à quo essentialiter pendent in operando, in omnibus adiutam, sic ut proinde omnis virtus causæ secundæ operetur in virtute causæ primæ, id est, dependenter à virtute Dei ipsam producente, conservante, adiuvante, atque ita ad agendum applicante. Hoc sensu suum Magistrum exponit Caiet. 1. par. qu. 19. art. 8. §. *& si quidem* ubi dicit quod huius propositiones *causa secunda nihil agit, nisi in virtute causa prima, non est sensus, quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi prima, sed quod ipsa secunda nullum effectum producit, nisi virtute prima concurrente & coniungente virtutem secunda suo effectui: quoniam prima omnia attingit immediatè immediatione virtutis*, nempe suo concursu simultaneo; non prævio, cum per hunc, iuxta eius Authores, non attingat effectus causarum secundarum, sed ipsas dumtaxat causas 2. nec concurrat, sed præcurrat.

Sunt impropriè instrumenta Dei, quia Deus per illas agẽdo, ut causa principalis obtinet fines à se intentos.

221. QVARTA loquutio: *ex S. Th. de potent. qu. 3. a 7. O. de verit. q. 24. a. 1. ad 5.* Creaturæ sunt instrumenta causæ primæ.

1. Quia Deus per illas & cum illis producit earum effectus, per quos obtinet fines à se intentos. Ergo illis utitur, tanquam suæ providentiæ instrumen-

mentis; juxta illud S. Th. 3. cont. Gent. c. 64. num. 4. *Quicumque facit aliquid propter finem, utitur illo ad finem, omnia autem, quæ habent esse quocumque modo, sunt effectus Dei, & Deus omnia facit propter finem, qui est ipse. Igitur ipse utitur omnibus dirigendo ea ad finem*. Et consequenter ut habet eodem lib. c. 100. num. 2. omnia sunt quasi quædam instrumenta ipsius.

2. Quia causæ secundæ omnem suam entitatem & agendi vim à Deo omnium effectuum causa principali assidue accipiunt, sic, ut ipsæ cum omni sua virtute non tam sint suæ, quam Dei illis pro libitu utentis.

3. Quia causæ 2. per concursum simultaneum quodam modo elevantur à Deo ad effectum sibi proprium, nempe ad dandum esse, qui est effectus in re quacumque communissimus ac proinde causæ universalissimæ proprius.

222. Quinta loquutio ex S. Thom. in 2. dist. 37. qu. 1. art. 2. ad 5 & qu. 2. art. 2. O. & ad 2. Deus causis secundis non solùm dat posse, sed etiam agere.

Deus illis dat operari, præbendo ipsis concursum simultaneum identificatum actioni, qua constituantur operantes.

1. Quia illis dat, & assiduo influxu conservat virtutem agendi, eamque ad operandum proxime complet per concursum in actu primo ipsi exhibitum. Quod ex dictis supra abunde sufficit ut ex mente S. Tho. Deus simpliciter dicatur causas secundas movere & applicare ad operandum, & consequenter iis dare ipsum operari; ista enim ex usu S. Th. sunt synonima.

2. Et præcipuè, quia illis præbet concursum simultaneum, sine quo impossibile est ipsos actualiter agere, &, quo præcise posito, actualiter agunt dependenter à Deo. Cùm enim hic concursus sit realiter identificatus actioni causæ secundæ, hunc illis præbendo, eis dat actionem, qua constituuntur formaliter agentes, & consequenter eis etiam dat ipsum agere, non à se, sed dependenter à primo agente, à quo accipiunt esse & posse.

223. Ex his facile solves omnia, quæ ex S. Thoma nobis possunt objici: omnia enim hacte-

ctenus objecta, & in posterum obijcibilia fundantur in aliqua existis loquutionibus sancto Th. aliisque DD. antiquis, familiaribus; quæ, ut patet ex dictis, non indicant prædeterminationem physicam: cum Gabriel Pennottus, Petrus à S. Ioseph, Iosephus de Vita, & alii prædeterminationis physicæ hostes jurati illas admittant; imo, ut videre est in Iosepho de Vita, etiam has: *Deus præmovet : Deus prædeterminat*. Nempe sensu a nobis explicato sup. n. 218.

S. Th. alii, que antiqui nunquam dixerunt Deum movere motione antecedente necessario connexa cum effectu.

Vnde nihil contra nos efficiunt adversarii S. Thomam aliosve antiquos nobis opponentes, quandiu ex iis nulla proferunt loca; in quibus diserte asserant Deum movere, seu præmovere causas secundas etiam liberas motione omninò antecedente, & tanta necessitate connexa cum effectu: ut impossibile sit istam Dei motionem existere & effectum non poni, ut volunt prædeterminatores, qui tamen hactenus nihil tale in Divo Tho. aut alio, qui ante Bannezium scripserit, nec in Bellar. Azor. Perer. aliove ex AA. Societatis, quos nobis opponunt, reperire potuerunt; nec umquam reperient, saltem in S. Tho. ut recte Turcus apud Henao, de quo infra in tractatu de gratia.

§. V.

Motus concupiscentiæ, delectatio morosa & ignorantia legis naturæ.

Non potest esse peccatum in sensualitate.

2. NOn potest esse peccatum formale in appetitu sensitivo spectato secundùm se, seu absque ordine ad voluntatem, ejus motibus positive, aut permissive ita consentientem, ut ei sint voluntarii. Est communis & certa cont. Cajet qui in appetitu sensitivo admittit libertatem imperfectam sufficientem ad veniale.

Pat. 1. ex Trid. Aug. S. Th.

Prob. 1. ex Trid. sess. 5. in decreto de originali §. 5. *concupiscentia nocere non potest non consentibus*. 2. ex Aug. l. 1. retract. c. 9. ubi ait: *voluntas est qua pecca.*

peccatur & bene vivitur, 3. ex S. Th. 1. 2. q 74. art. 2. ad 1. ubi universaliter dicit: *non peccatur nisi voluntate*, & in 2 dist. 24. qu. 3. a. 2. ubi docet nullum motum poni in genere moris, nisi habita comparatione ad voluntatem; 4. ratione, quia quamvis in appetitu sensitivo daretur aliqua libertas, non posset tamen se extendere ad bonum, & malum rationis, quod à phantasia, qua dirigitur, apprehendi non potest: hinc in appetitu sensitivo dari non possunt virtutes proprie dictæ, quæ debent spectare objectum suum sub ratione honesti ut sic, quod sensualitati convenire non potest, sed solùm habitus aliqui, qui improprie dicuntur virtutes, eo quòd inclinent aliquo modo ad objecta virtutum; easque juvent in operando.

a. Ex eo quod appetitus sensitivus non sit liber, nec possit attingere bonum rationis

225. Cum S. Th. videtur favere Cajet. & admittere peccatum veniale in sensualitate, loquitur de sensualitate ut subest voluntati permissive se habenti ex semiplena advertentia rationis sufficienti ad veniale. Quod colligitur ex his ejus verbis q. 6 de malo, a. 7 ad 4. *quando in peccato invenitur aliquis actus voluntatis, & rationis, tunc directe tribuitur voluntati, & rationi tanquam 1. principio, & 1. subjecto: sed quando non est ibi aliquis actus voluntatis, & rationis* (scilicet cum plena advertentia) *sed solus actus sensualitatis, qui dicitur peccatum, quia potest prohiberi per rationem, & voluntatem; tunc peccatum tribuitur sensualitati*, licet ei non conveniat formaliter, sed solùm materialiter.

S. Thom. in sensualitate ut subest consensus voluntatis interpretativo non plane deliberato admittit veniale & libertatem imperfectam & passivam.

226. Subindè S. D. agnoscit in sensualitate libertatem imperfectam, sed solùm passivam, seu indifferentiam ad diversa objecta, & quidem majorem quàm in brutis, non tamen libertatem activam ad rationem peccati requisitam. Quod patet ex his ejus verbis q. 74. a. 2. ad 1. *& per hunc modum etiam appetitus sensitivus in nobis præ aliis animalibus habet quandam excellentiam sc. quòd natus sit obedire rationi; & quantum ad hoc potest esse principium actus voluntarii, & per consequens subjectum peccati.*

227. Concupiscentiæ motus indeliberati, non sunt peccata in renatis, neque in non renatis: est de fide quoad

Motus concupiscentiæ indeliberati non sunt peccata.

quoad utramque partem cont. Luth. & Calv. à quibus nihil aut parum distat Iansf. l. 2. de stat. nat. lapsæ c. 25. col. 14. ubi ait: *per præceptum non concupisces ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi*. Item c. 2. l. 2. c. 14. col. 844. & seqq usque ad 849. ubi dicit *motus concupiscentiæ non sunt aliud quàm quædam desideria peccatorum*, & infra *sed desideria peccatorum non tantùm deliberata, sed etiam talia, quæ rationem antevertunt, sunt mala, turpia, illicita*. Vnde in ejus indice ad tom. 2. expressè ponitur *concupiscentiæ motus indeliberati sunt peccata*.

Est de fide cont. Iansf. ex Tridentin. Innoc. X. & Bajanis propos. damnatis, ratio est quia non sunt voluntarii.

228. 1. Pars habetur definita in Trid. sess. 5. decr. de pecc. orig. §. 5. ubi ex illo Apost. ad Rom. 8. *nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo*, dicitur anathema ei *qui asserit in baptismate non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet*; & de concupiscentia in baptizatis remanente additur: *quæ, cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter repugnantibus non valet*.

2. Pars constat ex decret. Innocent. X. propos. 3. definientis ad demerendum necessariam esse libertatem à necessitate, quæ non convenit motibus indeliberatis.

229. Confir. pro utraque parte: 1. hac ratione, quia ad peccatum requiritur voluntarium seu liberum, alioquienim sequeretur in dormientibus, amentibus, & aliis usu rationis carentibus esse peccata actualia, quod per se absurdum est: atqui motus concupiscentiæ indeliberati non sunt voluntarii seu liberi ergo &c. 2. quia hæ propositiones Bajanæ damnatæ sunt à duobus Pontificibus, quinquagesima: *prava desideria quibus ratio non consentit & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto non concupisces* quinquagesima prima: *concupiscentia sive lex membrorum & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia*.

230. Certum est pro utraque parte stare August. de vera relig. c. 14. *Nunc verò usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*: de duabus animabus c. 11.

pec-

peccati reum teneri aliquem, quia non fecit quod facere non potuit, summa iniquitatis est & insania; Et epist. 200. *quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati: si nulli eorum adhiberemus assensum, non esset unde diceremus Patri nostro, qui est in Cœlis, dimitte nobis debita nostra*; de nupt. & concup. c. 13. ubi explicans quo sensu concupiscentia ad Rom. 6. n.7. dicatur peccatum, ait, *sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, sicut vocatur lingua loquutio quam facit lingua. Itemque vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit*, quibus similia habet, l.3. de lib. arbit. c.19.

Immeritò Bajani pro se citant Aug. cùm passim doceat peccatum essentialiter esse voluntarium.

231. Dices Aug. l.5. contra Iul. c.3. ait: *concupiscentia carnis adversus quam concupiscit bonus spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientis & causa peccati defectione consentientis*. R. cùm dicit esse peccatum, loquitur vel de motibus non omninò indeliberatis, sed aliquo modo voluntariis saltem in causa, aut negligentia illos reprimendi, vel de peccato & inobedientia materiali objectivè malis, & odio dignis, juxta illud ad Rom.7. *si autem quod odi malum, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*.

Alibi solum vult esse peccata materialiter & objectivè vel formaliter supposito consensu & concupiscentiam dici peccatum, quia est ex peccato & illud causat.

232 Vnde Aug. de spir. & litt. c. ult. propter istos motus quamvis involuntarios, dicit non posse in hac vita impleri legem, *non concupisces*. Nempe quoad ultimam perfectionem & finem ad quem tendit, qui est illos non sentire, unde non vult istos motus, secluso omni consensu etiam interpretativo, esse legis transgressiones proprie, sed solùm materialiter & impropriè sicut homicidium ab amente aut dormiente patratum, quod licet non sit formaliter peccatum, est tamen ita objectivè malum, ut non possit esse objectum honesti effectus prosecutionis aut complacentiæ.

Quod est peccatum materialiter, imo & formaliter potest justè infligi in pœnam alterius peccati.

Vnde male inferebat Iulian. cont. Aug. concupiscentiam esse dignam laude & amore si sit pœna peccati: non enim quidquid infligitur ut justa pœna est justum & amandum, cùm possit Deus juste punire peccata præcedentia permissione sequentium etiam formalium, ut in obduratis.

Deus

Deus juxta Aug. in Psalm. 35. in renatis odit fomitem peccati quatenus est à peccato & ad illud inclinat, ac proinde odio in personam non redundante.

S. Th. in 2. d. 24. q. 1. a. 2. solùm vult motus concupiscentiæ ortos ex imaginatione objecti delectabilis frequenter esse peccata, quia sæpè sunt voluntarii indirectè quatenus voluntas negligit imaginationem aliò avertere, quod non contingit in ortis ex alteratione organi, quæ nullo modo subest voluntati.

Delectatio morosa seu deliberata de illicitis est ex Aug. illicita, & quidem graviter, si objectum sit graviter illicitum, leniter, si sit leniter illicitum.

233. Delectatio morosa est, quæ concipitur vel continuatur post sufficientem advertentiam rationis circa rem illicitam. Dicitur morosa non ex mora temporis, cùm de se possit esse instantanea; sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoretur.

Certum est delectationem morosam, etiam separatam à consensu in opus, posse esse peccatum mortale, ita docent PP. Chrysost. Hil. Greg. Bern. & alii apud Vasq. disp. 109. c. 30. & quidem Aug. clarissime 12. de Trin. cap. 12. *neque sanè cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longe minus quàm si opere statuatur implendum & ideò de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectus percutiendum atque dicendum dimitte nobis debita nostra.*

234. Ratio est quod voluntaria delectatio de re graviter mala sit graviter mala: cùm enim delectatio sit actus prosecutionis, includit aliquem amorem, saltem inefficacem sui objecti; adeoque amorem mali, si objectum sit malum; amor verò mali non potest non esse malus, & consequenter amor gravis mali non potest non esse graviter malus.

Confir. 1. quia est disconveniens naturæ rationali qua tali amare malum etiam solo affectu simplicis complacentiæ; sicut ei disconvenit odisse bonum; utrumque enim dictat recta ratio esse fugiendum 2. Quia actus prosecutionis malus suam præcipue malitiam accipit ab objecto malo, in quod tendit, adeo-

adeoque gravem si objectum, sit graviter malum, levem si leviter. Vnde delectatio morosa est offensa mortalis, si ejus objectum sit mortale; venialis, si veniale.

Cogitatio de obscoenis in ordine ad docendum, instruendum in concionibus, confessionibus &c Est Bona; ex curiositate, est mala solùm venialiter, si absit periculum consensus in rem aut delectationem turpem, quod raro abest in iis, qui frequenter in rebus venereis peccant mortaliter.

Hinc non solùm in materia venerea, sed etiam in aliis delectatio seu complacentia de objecto illicito potest esse peccatum mortale, si nempe objectum sit secundùm se gravitèr illicitum & voluntas in illud feratur sub ea ratione, secundùm quam ei annexa est malitia. Vnde sic delectari de occisione inimici, de occupatione urbium, de deletione exercitus hostilis per proditiones, fraudes aliasve artes graviter illicitas, ibi sistendo est mortale, similiter delectatio de ebrietate, furto, falso testimonio &c. ibi sistendo est mortale.

Culpabilis delectatio morosa est de quavis re illicita, non tamen de prohibitis solo jure positivo.

Delectatio de ipsa cogitatione actionis malæ, per se loquendo, non est mala: quia non est de re per se mala, licet sit de re versante circa malum. Similiter, delectatio de modo male operandi v. g. de modo ingeniosè clependi bursas, de se non est mala, quia non est de malo. Potest tamen esse mala per accidens ut si adsit periculum ne affectus complacentiæ erga cogitationem, & modum actionis malæ se extendat in ipsam actionem malam.

Delectatio morosa de rebus solo jure positivo prohibitis, ut de esu carnium cogitato diebus jejunii, non est illicita; nisi sit de re ut prohibita: quia cùm lex non prohibeat cogitationem esus carnium, sed solùm esum, non est de re prohibita & mala.

235. Vt delectatio morosa sit peccatum mortale tria requiruntur. 1. gravitas materiæ. 2. advertentia, plena & perfecta ex parte intellectus. 3. consensus ex parte voluntatis.

Ad delectationem mortalem requiritur 1. gravitas materiæ.

Advertentia semiplena sufficiens ad veniale, non ad mor-

2. Advertentia perfecta, ut est in semiebriis solùm sufficit ad veniale.

mortale, est cognitio malitiæ actus, sed ita imperfecta ut sit similis illi, quæ invenitur in semidormientibus, semiebriis &c. sicut enim ille, qui nondum est plene excitatus à somno ob sensus ex parte impeditos & ligatos, non habet perfectum iudicium rationis, nec plene advertit ad bonitatē vel malitiam sui operis, ita fieri potest & sæpe fit ut etiam in vigilia, ob subitam & vehementem aliquam passionem, aut distractionem ad res alias, vel alium similem ob causam, homo non sat plene advertat ad malitiam actus sui præsertim interni, sed sit similis semidormienti, sic proinde ut ejus advertentia non sufficiat ad peccatum mortale, quod cùm sit malum gravissimum, non est censendum incurri, nisi sit plene voluntarium & perfecte liberum, quod non stat cum advertentia adeò imperfecta & semisopita.

3. Consensus saltem interpretativus in positione causæ sine iusta ratione, vel in negatione resistentiæ positivæ absque iusta causa.

236. Consensus directus & formalis non requiritur ad delectationem mortalem, sed sufficit interpretativus, quo voluntas negative se habet, motioni seu delectationi ex urgenti, neque positive consentiendo, neque positive resistendo: etiam sufficit virtualis, seu interpretativus in causa, quo absque justa ratione, ponitur actio, ex qua prævidetur secutura turpis motio & sensitiva delectatio: tales enim consensus sufficiunt ad rationem voluntarii, & consequenter ad gravem malitiam, si objectum sit graviter malum.

Dixi *absque justa causa*: quia tunc solùm habetur consensus interpretativus quando voluntas potest & debet motus pravos reprimere, non debet autem voluntas tales motus reprimere; seu impellere per cessationem ab actione honesta quando habet justam causam illam ponendi.

237. Cajet. & alii sentiunt non esse mortale in his habere se negative, modo id non fiat ex delectationis complacentia & absit periculum consensus formalis.

Negat Vasquez sententiam Cajet. reijciens ut improbabilem, quia absque justa causa non resistere positive, saltem per actum internum displicentiæ est ex nimia sui confidentia; & præsumptione virtu-

tis

tis, exponere se periculo consensus positivi, formaliter & graviter peccaminosi, quod est peccatum graves juxta illud *qui amat periculum, peribit in eo*.

Laym censet utramq; sententiam esse probabilem: verùm quidquid sit de speculativa probabilitate opinionis Cajet. in praxi sequenda sententia est Vasq. quia est longe probabilior ac tutior & altera nimis periculosa, ut possit absq; peccato in praxim deduci. **Resistentia positiva est moraliter necessaria ad non consentiendum.**

238. Ex his 1. mortaliter peccat qui absque causa rationabili ponit actionem, ex qua ut dispositione proxima (quales; sunt tactus, aspectus, lectiones turpes) prævidet secuturos motus venereos, idque quamvis illos non intendat, imo aversetur & statuat reprimere: ratio est quod ad mortale in aliis materiis sufficiat hujusmodi voluntarium in causa. **Ad mortale enim sufficit voluntarium in causa proxima, etiam in remota absque honesto fine posita.**

2. Si actio sit solùm causa remota motuum inordinatorum non est mortale imo nec veniale illā ponere propter aliquam ejus utilitatē aliamve justam causam, modò non intendatur delectatio, & absit periculum consensus formalis, cùm enim ejusmodi motus facillime excitentur, non censentur hoc casu sufficienter voluntarii in causa remota, alioqui abstinendum esset à plurimis actionibus utilibus: si tamen nulla sit causa rationabilis ejusmodi actionem exercendi erit peccatum veniale, non mortale. Ita Laym.

3. In praxi tamen ad vitandos scrupulos & periculum consensus; necessarium est, ut, posita advertentia delectationis statim eliciatur aliqua ejus displicentia, qua seclusa voluntas, propter sympathiam cum appetitu sensitivo, ægre abstinebit à formali consensu in delectationem.

239. Complacentiæ seu delectationes aliquo modo efficaces; seu habentes rationem desiderii, quamvis non absolute efficacis circa obscœna, non solùm contrahunt malitiam substantiæ operis, circa quod directe versantur; sed etiam circumstantiarum ei annexarum, seu tenentium se ex parte objecti: quia cùm actus efficax, etiam solùm conditionate, tendat ad reale operis positionem implicite vult & amplectitur omnia, sine quibus poni non potest à parte rei: secùs huiusmodi **Delectationes inefficaces non contrahunt malitiam circumstantiarum, secus si sine aliquo modo efficaces.**

delectationes sint complacentię simplices omninò inefficaces; tunc enim nullo modo feruntur in circũstantias operis ut à parte rei existentis; hinc simplices delectationes venereæ, circa actus luxuriæ naturalis, juxta varios, sunt omnes ejusdem speciei; secus si objectum sit peccatum contra naturam ut Sodomia, bestialitas &c. Tunc enim constat ejusmodi delectationes esse eo ipso specie diversas; cùm habeant objectum specie diuersum, quod nullo casu potest esse honestum & licitum.

Delectatio spiritualis sub conditione licita de se non est illicita.

240. Delectatio morosa merè spiritualis, hoc est solius voluntatis, non appetitus sensitiui, de actu carnali, sub ea ratione, seu conditione, secundùm quam non est inordinatus, ut inter conjuges, de se non est peccatum, cùm non sit de objecto illicito: per accidens tamen regulariter loquendo, est peccatum ratione venereæ delectationis sensitiuæ, quæ moraliter non potest non excitari in eo, qui voluntariè & cum delectatione rationali immoratur repræsentationi actus adeò turpis, ex qua naturaliter sequitur commotio & delectatio carnalis.

Hinc voluntariæ delectationes de præterito actu conjugali in viduis, & de futuro in sponsis, licet versentur circa objectum licitum; regulariter tamen sunt peccatum & quidem graue; ratione præsentis commotionis & delectationis venereæ ipsis in eo statu grauiter illicitæ, quæ moraliter non potest non oriri ex ejusmodi voluntaria turpis obiecti repræsentatione.

Pollutio est contra finem naturę adeoque intrinsecè mala mortaliter.

241. Pollutio voluntaria est intrinsecè mala, & peccatum mortale contra naturam, ac proindè quouis casu illicita. Prob. 1. ex 1. ad Cor. 6. *Molles* (id est juxta Anselm. & alios communius, qui se voluntaria seminis effusione polluunt) *Regnum Dei non possidebunt*. 2. Quia semen humanum natura sua ordinatur ad generationem humanam & speciei conseruationem, contra quem finem grauiter peccatur quando semen effunditur, extra actum naturalis concubitus, hoc enim directè repugnat fini generationis.

Adde quod si vel uno casu liceret, facilè ista licentia ob delectationem ad alios casus extenderetur

tur contra bonum speciei, quod cùm prævaleat bono cujusuis indiuidui, etiam pro vita tuenda nunquam licet sibi directè pollutionem procurare.

Cùm tamen medici judicant semen transiisse in materiam venenosam, licitum est medicamentis eam expellere, quamuis, præter intentionem, præuideatur inde, per accidens secutura aliqua veri seminis emissio. Ita Fill. Trul.

242. Licet justa de causa exercere actionem utilem ac honestam & consequenter de se licitam, quãuis ex illa, ut causa remota præuideatur secutura pollutio, modò nulla ratione intendatur, nec sit ullũ periculum consensus in delectationem: secùs, si experientia lapsuum præteritorum deprehendatur periculum ejusmodi consensus, hoc enim casu, non verò priori, est obligatio abstinendi à tali actione v. g. à studio casuum turpium, auditione confessionum, exercitio Chirurgiæ circa partes inhonestas personæ ejusdem vel diuersi sexus. Licet tamen justam ob causam ponere actionem ex qua per accidens prævidetur secutura.

243. Est peccatum mortale ponere causam proximam pollutionis (ut sunt tactus, aspectus, & sermones, seu lectiones valde turpes) absque causa justa, & aliquo modo necessaria. Ita omnes: quia tali casu pollutio est perfectè voluntaria. Secus si sit causa valde urgens talium actionum, qualis est in chirurgo causa medendi graui morbo aut vulneri circa verenda, ex quo sequeretur mors, aut aliud graue incommodum infirmi, cum alius non sit, qui remedium adhibere possit. Secus si ex ea sequatur proximè, & per se.

244 Probabile est quod docent. Nauar. & alii cont. Sotum, secluso affectu libidinoso & consensus periculo, licitum esse ob sanitatem aliamue causam honestam; affectu simplici desiderare pollutionem inuoluntariam, v g. in somno, & similiter de ejus euentu gaudere, uti & de quouis effectu bono & honesto ex mala actione secuto. Ratio est, quod pollutio ex causis naturalibus proueniens non sit in se peccatum, & finis ob quem optatur, sit de se honestus. Similiter licitum est optare bonam mortem naturalem personæ perniciosæ reipublicæ, quamuis non licet eam procurare: unde nulla est Licet ob sanitatem optare pollutionem inuoluntariam.

obligatio impediendi pollutionem sponte sua evenientem, aut jam ceptam (v. g. in somno) reprimendi, sed licitum est, sanitatis causa, ad eam habere se permissive, quia hoc non est eam procurare, sed pati. Excipe nisi adsit periculum consensus in delectationem, quod rarò abest, si nulla fiat resistentia saltem per actus internos displicentiæ, quos plane expedit elicere, saltem ad tollendos scrupulos. Sanch.

Pollutio in somno est mortale, 1. quando ex ejus intentione, ante somnum posita est illius causa: nec fuit retractata, 2. quando post somnum est approbata propter delectationem Veneream; alias non est peccatum; ideoque non est obligatio eam confitendi. Fill. Pollutio mutua inter personas ejusdem sexus procurata ex solo affectu ad delectationem veneream, absque concubitu, est solùm mollities; si fiat ex affectu ad personam ejusdem sexus, præsertim cum aliqua conjunctione & commixtione corporum, participat malitiam sodomiæ. Fill.

245. Distillatio est fluxus humoris quasi medii inter urinam, & semen. Quando fit cum sensu delectationis carnalis & commotione spirituum generationi servientium, de ea, quoad rationem peccati, loquendum est sicut de pollutione: cùm autem fit sine ulla commotione spirituum & absque omni sensu carnali, de ea non est magis curandum, quàm de sternutatione. Cajet. Sanch.

Oscula, tactus &c. Ex affectu venereo, sunt mortalia inter solutos.

246. Amplexus, oscula, tactus, aspectus, verba turpia & similia inter solutos sunt mortalia, quando fiunt animo venereo; id est propter delectationem carnalem, quæ ex talibus oriri potest, etiam secluso affectu, ad actum ulteriorem. Item quando fiunt ex alio motivo cum notabili periculo formalis consensus in talem delectationem, patet ex dicendis num. 249. & ex motu proprio Clementis VIII. & Pauli V. quo severissime prohibetur opinio docens non esse mortalia.

S. Thom. 2. 2. q. 134. a. 4. ad 1. solum vult ista habere rationem peccati quatenus ordinantur ad fornicationem, sc. ex fine intrinseco ipsius operis, quam-

quamvis subinde non ex intentione; saltem formali, operantis.

247. Quando oscula, amplexus, tactus, & aspectus partium non inhonestarum, fiunt ex urbanitate juxta consuetudinem patriæ, absque affectu in delectationem carnalem, & sine ejus periculo, non sunt peccatum, neque excedunt malitiam venialem, cùm fiunt joco, ex levitate, curiositate, vel ob solam delectationem organicam, quæ oritur ex certa proportione tactilis cum tactu, modo absit affectus libidinosus, ejusque periculum. Secus sine tali affectu ex causa rationabili.

Amplexus, oscula, tactus, cùm sint quædam realis conjunctio, & magis propinquum præambulum ad copulam, sunt ejusdem speciei, cujus esset copula cum tali persona vel animali; adeoque confitenda sunt cum omnibus suis circumstantiis. Aspectus verò & sermones turpes sequuntur naturam delectationis cum qua fiunt.

Amplexus, tactus & oscula, inter conjuges sunt mortalia, si fiant cum periculo pollutionis extra actum conjugalem; secus secluso hoc periculo. Licent conjugibus si debite fiant.

248. Sunt tamen venialia, si fiant propter solam voluptatem, quia sic non ordinantur ad finem debitum, quæ inordinatio non est gravis, ut patet à simili in comestione ob solam delectationem; adeoque non est sufficiens ad mortale.

Si verò isti actus ordinentur ad finem debitum, v.g. ad actum conjugalem tanquam præparationes ad illum legitime exercendum, vel ad vitationem incontinentiæ, non sunt illiciti: quia honestantur per statum conjugii, qui, cùm actum principalem conjugibus reddat licitum, consequenter etiam licitos reddit actus illi prævios & subservientes.

249. Dari in re venerea parvitatem materiæ excusantem à mortali, affirmant Iac. Marchantius, Caramuel, & alii apud Dian. pro eadem sent. Sanchez citat. Armil. verbo *impudicitia* num. 1. Navar. capit. si cui *de pœnit* dist. 1. num. ult. Sotum *de doctrina christiana* fol. 26. eam censent speculative probabilem, quamvis in praxi reiiciendam Malder. Ior. & alii.

ob leuitatem materiæ, à graui peccato non excusantem, unde hic est specialis ratio negandi paruitatem materiæ, quæ in ebrietate, furto aliisque peccatis, locum non habet.

251. Dantur tamen delectationes venereæ etiam in solutis, solùm veniales, non ob levitatem materiæ, sed ob defectum aduertentiæ aut consensus; & inter conjugatos etiam ob solam materiæ leuitatem patet ex dictis nu. 235. 247.

252. Vir doctus qui se accusat de venereis tanquam de peccatis sua opinione (quam non vult deserere) solùm venialibus ob leuitatem materię (non obstante decreto sup. cit. nu. 249.) à confessario Societatis absolui potest & debet. Ita Reuisores Romani Societatis Iesu, nomine R. P. Generalis responderunt ad Prouinciam Gallo-Belgicam 15 Ian. 1659. Ratio est, quod hoc non sit sententiam affirmantem ullo modo approbare, aut secundùm illam consilium dare, sed supposita probabilitate saltem extrinseca, quam variorum DD. judicio, Ecclesia non improbante, possidet, pœnitenti benè disposito dare absolutionem, ad quam, præmissa confessione legitima, jus habet; quam proinde sine injuria ei negare non potest confessarius, quamuis ejus opinionem censeat esse improbabilem & falsam.

Potest confessarius Societatis absolverę virum doctum, qui in praxi tenet contrariam sententiam.

253. Ignorantia vincibilis eorum, quæ quis potest & debet scire, qualis est in eo, cui venit in mentem dubitare de obligatione aliquid sciendi, faciendi, aut omittendi, & de ea inquirere negligit, est culpabilis; cùm sit voluntaria in sua causa, sc. in voluntaria inquirendi negligentia: ac proinde non excusat à peccato formali, cùm ejus malitiam non reddat involuntariam; sed voluntariam interpretatiuè, seu virtualiter in causa.

Ignorantia vincibilis non excusat à culpa.

254. Datur, in quibusdam usum rationis habentibus, ignorantia inuincibilis juris diuini positiui, etiam ad salutem necessarii, & facti ejusmodi juribus implexi. Ita Vasq. in 1. 2. disp. 220. cap. 3. Syluius in 1. 2. q. 76. a. 3. qla. 2. concl. 5. Schildere de principiis conscientiæ tract. 2. n. 9. & 10 & alii communissimè contra Guilelmum Parisien. Alens. Hug. à

Datur ignorantia vincibilis Divini iuris positivi, etiam ad salutem necessarii, & factorum isti iuri contrariorum.

fisset regnum Dei ante homines, faciendo viam Domini arctiorem, quàm sit, sua doctrina falsa.

256. Quod verò ejusmodi ignorantia etiam se extendat ad ea,quæ sunt ad salutem scitu necessaria.

Prob.1.ex D.Th 2.2.qu.10.art.1.ubi habet: si infidelitas *accipiatur secundùm negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœna: quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est, qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata; quæ sine fide remitti non possunt: non autem propter infidelitatis peccatum.*

Est S. Th. favente Aug. etiam respectu necessariorum ad salutem, quorum notitia non est ad vitam æternam necessaria nisi paulò ante mortem.

2. Quia mysteria Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis & alia ejusmodi,quæ non possunt agnosci ex creatione mundi,possunt juxta Aug. tract. 89. in Ioan. & Epist.105. sine culpa ignorari, & tamen eorum notitia est juxta DD.communiter ad salutem necessaria, & quidem necessitate medii.

Dices cum Alensi, Corduba, Adria, & aliis antiquis: Deus (qui 1. Tim. 2. *vult omnes salvos fieri*) facienti per gratiam quod in se est bene vivendo, orando,lachrymando,&c. dat, sive per se internis illustrationibus, sive Angelorum aut hominum ministerio, notitiam seu fidem necessariorum ad salutem: ergo homo non potest illa ignorare invincibiliter, sed solùm vincibiliter & culpabiliter, seu voluntarie in causa, sc. in negligentia faciendi quod potest. R 1. notitiam Dei ejusque præceptorum, ac misteriorum fidei non esse necessariam ad salutem, nisi paulo ante mortem, quo tempore pius latro illam accepit,& salutem obtinuit. Ac proinde quantum est ex vi istius argumenti, posse hominem illa invincibiliter ignorare ferè per totam vitam. 2. licet Deus velit, quantùm est de se (modo explicato 1. p. c.4. §. n 259.) omnes salvare: non tamen vult tollere omnia salutis impedimenta, quæ à causis 2. possunt obiici & iis divinorum notitia variis hominibus reddi impossibilis, ut educatis inter barbaros, qui non diu post usum rationis moriuntur, vel incidunt in amentiam, priusquam illis naturaliter in mentem venire potuerit ulla cogitatio de Deo.

257. Hæc

Hæc ignorantia excusat à peccato formali; hoc juxta interpretationem Aug. Bernar. traditur Io. 9.

257. Hæc juris & facti ignorantia excusat à peccato formali. Prob. 1. ex Script. Io. 9. v. 41. *Si cæci essetis non haberetis peccatum* & c. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Quæ explicans August. tract. 89. in Ioan. quærit: *utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo;* Et postea ait: *Respondeo illos habere excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Et infra iterum quærit, *utrum hi qui priusquam Christus veniret, & eius Evangelium audirent, sine huius vitæ præventi sunt, possint habere hanc excusationem*, & subdit, *possunt planè, sed non ideo possunt effugere damnationem, quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Quia nempè non sunt immunes ab originali & aliis peccatis, quæ propria voluntate admiserunt. His similia habet Epist. 105. Quibus clarè docet ignorantiam invincibilem fidei & legis Christi excusare à peccato infidelitatis & inobedientiæ.

Idem docet Bernard. in eadem Ioan. verba Epist. 77. ad Hug. de S. Vict. ubi habet, *si loquutus quidem fuisset Christus, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia nihilominus excusaret.* Hinc meritò damnata est à Pio 5. Baiana 68. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

Malitia actu agenti ignota, ei non potest esse voluntaria, adeoque nec imputari ad culpam, ut docent S. Th. Aug. & alii.

258 Prob. 2. Ratione: quia ut malitia actus alicui possit imputari debet ipsi esse voluntaria; cùm damnata sit hæc propositio Baian. 46. *ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Atqui malitia actus procedentis ex ignorantia invincibili non est voluntaria agenti; quia ad rationem voluntarii requiritur cognitio vel malitiæ inexistentis actui, quando actus est imperatus, vel malitiæ obiectivæ quando est elicitus, iuxta illud S. Tho. 1. 2. qu. 6. art. 1. *voluntarium dicitur esse secundùm definitionem Arist. & Greg. Nyssen. & Damasc. non solùm cuius principium est intra, sed cùm*

ad-

additione scientiæ: ergo peccatum imputari nequit invincibiliter ignoranti malitiam actus. Vt rectè S. Thomas qu. 3. de malo art. 8. *si in eodem actu aliquid sit ignoratum & scitum, potest esse voluntarium, quantum ad id, quod est scitum, semper tamen est involuntarium, quantum ad id, quod est ignoratum; sive ignoretur difformitas actus, puta cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum; sive ignoretur circumstantia actus, sicut cùm aliquis accedit ad mulierem, quam credit esse suam*. Quibus manifestè docet ignorantiam invincibilem tum juris, tum facti excusare à peccato formali.

Confir. ex Aug. Epist. 48. *certè nullius crimen maculat nescientem*, & infra: *hos ergo à crimine innocentes esse ipsa ignorantia satis ostendit* & lib. 2. contra Crescon. cap. 26. dicit de eo qui inscienter ab hæretico baptizatus est *conscientia ejus propterea lædi non potuit, quia nescivit*. Idem docet de eo, qui nesciens uxorem duxit alienam, si postmodum id resciens ab ea discesserit.

259. Hæc conclusio etiam vera est quando quis sua culpa incidit in statum ignorantiæ invincibilis: ut quando quis se inebriat non prævidens se homicidium in ebrietate commissurum; talis peccavit quidem se inebriando, non tamen in statu ebrietatis hominem interficiendo. Hoc docet. de Loth. lib. 22. contra Faust. cap. 44 ubi ait: *inebriaverunt eum* (sc. eius filię) *& se nescienti miscuerunt, quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa merebatur ebrietas*.

Etiam de ignorantia vuluntario in causa.

260. Non datur ignorantia invincibilis primorum ac universalissimorum principiorum juris naturæ & conclusionum immediatè & clarè ex illis deductarum, saltem ad longum tempus, in ullo habente usum rationis & subinde de illis cogitante.

Non datur invincibilis ignorantia principiorum & concl. evidentissimarum iuris naturæ cuiusmodi sunt iuxta Vasq. contenta in decalogo.

Prob. ex PP. Hier. Epist. ad Algasiam qu. 8. *nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Idcirco justum judicium Dei est scribentis in corde humani generis; Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris*,

Aug.

• Aug. in Pf. 118. Conc. 25. *Nullus est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit, & in hoc transgrediatur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id, quod facit, non vult pati.*

Confir. Quia dantur principia metaphysica prima ita evidentia, ut quemvis intellectum de se cogitantem necessitent ad assensum sui, & conclusionum ex ipsis evidenter deductarum, ergo etiam moralia. Sequela patet à pari eamque manifestat experientia, qua constat omnes agnoscere *bonum esse amplectendum; malum fugiendum &c.*

261. Omnia præcepta decalogi iuxta Vasquez Sylv. Amic. sunt ita clare connexa cum primis principiis juris naturalis, ut non possint diu invincibiliter ignorari, saltem ab iis, qui per affectus pravitatem & peccandi consuetudinem, non habent extinctum conscientiæ remorsum: hoc tamen negant. Tan. Præpositus & alii probabiliter; cùm ut ex dicendis inf. nu. 264. fornicationis simplicis malitia, attento solo jure naturæ, ægre possit certò cognosci.

Datur tamen de variis obscurioribus iuris naturæ præceptis.

262. Datur in multis usum rationis habentibus invincibilis ignorantia juris naturæ, quoad conclusiones ex principiis moralibus mediate & obscure deductis ita Albert. Mag. in 2. dist. 12. ar. 10. ubi ait: *ignorantia juris est duplex: quia quoddam est ius universale, quod omnibus imponitur ad sciendum: & quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium: & puto, quod prima est crassa & supina, non excusans. Secunda autem excusat vel à tanto vel à toto, si est casus multùm difficilis.* Magistro suo magno major discipulus S. Thomas consentit. 1. 2. qu. 94. art. 4. O. ubi ait *lex naturæ, quantùm ad prima principia communia, est eadem apud omnes, secundùm malitiam: sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes, ut in pluribus, secundùm notitiam: sed ut in paucioribus potest deficere, quantùm ad notitiam. Sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum; cùm tamen sit expressè contra legem naturæ.* Idem docent Vasq. Sylvius & aliis communiter, Contra Grat. Alensem, Alphonsum à Castro &c.

263. Ra-

263. Ratio est quod sint varia Legis naturæ præcepta ita obscura, ut vix possint etiam à viris fidelibus & doctis percipi. quale est prohibens fornicationem simplicem ex mutuo consensu cum adhibita prudenti cautione pro honesta educatione prolis si nascatur. Ægerrime enim probari potest quod fornicatio in casu proposito repugnat naturæ rationali quà tali, seu quod, seclusa prohibitione divina sit illicita.

Ita Albert. S. Tho. & Scholastici Communissimè.

264. Certe nemo hactenus pro illius naturali disconvenientia cum natura rationali (quam tamen hodie tenent omnes Catholici) proferre potuit ullum argumentum quod intellectum ita convincat, ut non possit plausibiliter solvi; imo plausibiliùs & intelligibiliùs, quàm hoc in contrarium: iste actus fornicationis, seu copulæ naturalis non est per se inhonestus, cùm inter conjuges sit licitus, & in casu proposito nulli est injuriosus, non enim illum exercentibus, quia mutuo consensu sibi invicem tribuunt jus in sua corpora in ordine ad istum actum, non etiam proli nascituræ, quia aliud jus habere nequit, quàm ad honestam sustentationem de qua illi prouidetur, non denique generi humano, quia talis actus ejus conservationi non nocet, sed potiùs prodest. Ergo non est jure naturæ illicitus.

Multæ sunt juris naturæ contraria, quorũ inordinatio naturalis ægrè probatur, & consequenter facilè ignoratur.

Similia formari possunt argumenta in speciem efficacia pro mendacio levi, præsertim ad bonum finem magni momenti ordinato, pro uxorum pluralitate, repudio uxoris adulteræ, lucro ex mutuo, pollutione præsertim quando est necessaria ad sanitatem vel vitam tuendam, & similibus communi DD. consensu jure naturæ prohibitis.

265. Vnde, teste Sylvio sup. num. 154. Cassianus, Marulus, & alii tradiderunt mendacium officiosum esse licitum. Durand. censuit fornicationem simplicem non esse peccatum mortale, stando in jure naturali. Ex quibus videtur certum multos, saltem infideles, per totam vitam invincibiliter ignorare varia præcepta legis naturæ, ea nempe, quæ actus humanos prohibent, quorum inordinatio naturalis (præsertim quando adsunt circumstantiæ apparenter

Vt fuerunt ignorata à Cass. Marul. Duran. & aliis.

renter

renter excusantes à peccato) vix à fidelibus etiam ingeniosis & doctis, deprehendi potest.

Multò facilius ignoratur ab infidelibus.

Dixi *Saltem infideles*, quia fideles, qui de virtutibus & vitiis à Parentibus, Magistris, & Concionatoribus frequenter instruuntur, non ita facilè possunt absque culpa ignorare, saltem diu, mala esse omnia, aut pleraque ex iis, quæ sunt lege naturæ prohibita, licet possint ignorare, imo plerique ex rudioribus ignorent esse contraria legi naturæ, cujus nullam habent notitiam; atque ita, hoc saltem sensu habeant ignorantiam inuincibilem legis naturæ & consequenter malitiæ inexistentis actui per repugnantiam cum ista lege.

Confir. 1. ex August. lib. 1. *De serm. Domini in monte* cap. 29. ubi non audet peccati damnare eum, qui ad euadendam mortem uxoris suæ usum alteri viro permiserat, judicans illud eo casu non esse illicitum.

Nec est cur homo non æque possit errare invincibiliter in iure naturæ, quam in physica aut mathesi.

266. 2. Quia homo potest errare inuincibiliter circa veritates metaphysicas: ergo etiam circa morales pertinentes ad jus naturæ; cùm nulla appareat ratio disparitatis, & experientia manifestet non rarò pueros & alios habentes usum rationis, varia committere contra legem naturæ, absque ulla apprehensione peccati, quamdiu à confessariis aut aliis non docentur esse peccata.

Iuris naturæ scientia non est ad salutem necessaria illud non violantibus, vel non nisi ignoranter.

3. Quia juris naturæ notitia non est ad justificationem & salutem necessaria iis, qui illud nunquam violant: cur enim ei, qui nunquam polluitur, ad justificationem & salutem necessarium esset scire pollutionem esse jure naturæ prohibitam. Ergo saltem in illis dari potest juris naturę ignorantia inuincibilis & inculpata. Similiter neque iis est necessaria, qui illud planè ignoranter violant; cùm enim eorum transgressiones non sint peccata formalia, sed solùm materialia, non potest per illa eorum salus impediri. Ergo non est cur etiam in illis non possit dari istius juris ignorantia inuincibilis & inculpata.

267. 4. Quia si omnis ignorantia juris naturæ esset vincibilis, sequeretur DD. Consiliarios, con-

fessa-

fessarios, & judices, qui aliquid docent, consulunt, resolvunt, aut judicant contra jus naturæ, vincibiliter errare, adeoque formaliter peccare; idque contra justitiam, cum obligatione restituendi, si eorum error versetur in materia justitiæ.

Vnde ulterius sequeretur eos, qui suscipiunt munus Doctoris, Confessarii & Iudicis peccare, quia cùm ejusmodi munia, moraliter loquendo, non possint obiri sine erroribus subinde contingentibus contra jus naturæ, ea suscipere esset exponere se euidenti periculo errandi vincibiliter, & consequenter peccandi formaliter: sic enim se exponere periculo est peccare.

Alioqui omnes qui post adhibitam moralem diligentiam errant circa ius naturæ, errarent vincibiliter & peccarent formaliter; Vnde semper peccarent DD. Consiliarii & quorumvis Bonorum possessores, quia exponerent se periculo violandi ius naturæ.

Deinde numquam possent absque peccato respondere ad quæsita pertinentia ad materiam justitiæ, nisi quando resolutio esset reuelata, aut per se euidens & certa: quia alioqui exponerent se periculo peccandi formaliter, nempe per errorem vincibilem dando responsum juri naturæ contrarium.

268. 5. Denique sequeretur (saltem in sententia Guilielmi Parisien. negantis ignorantiam inuincibilem non solùm juris, sed etiam facti) quòd, in omnibus non evidentibus, quilibet teneretur sequi quod est tutius; ac proindè nullus posset tuta conscientia possidere bona litigiosa etiam sibi per judicem adjudicata: quia, cùm judex potuerit errare, exponeret se periculo ex errore vincibili aliena retinendi. Vnde, eo casu, neuter litigantium posset bona litigiosa sibi usurpare, sed uterque teneretur illa relinquere applicanda causis piis, quod est tutius. Filii non possent adire hereditatem ejus quem credunt esse suum Patrem; quia fortè in eo errant vincibiliter & consequenter occupando ejus bona exponerent se periculo possidendi aliena contra jus naturæ.

269. Inuincibilis ignorantia juris naturæ æquè excusat à peccato formali ac ignorantia juris positiui, & facti. Ita S. Th. q. 3. De malo art. 8. sup. n. 258. & 1. 2. qu. 76. a. 3. ubi uniuersaliter docet quòd *ignorantia, quæ est causa actus, quia causat involuntarium, de se habet, quòd excuset à peccato, eò quòd volun-*

Ignorantia iuris naturæ excusat à peccato formali.

voluntarium est de ratione peccati. Idem docent Suar. Vasq. Sylvius, Malderus: è Dominicanis Caiet. Th. Leonardi, Sebille & cæteri communiter Scholastici contra Ianf. Ipren. l. 2. *de statu nat. lapsa* c. 2. 3. 4. 5. Sinnichium in *Saule Ex rege* l. 1. c. 96. nu. 358. & recentiores horum sequaces.

Ita Chrysost. requirens scientiam malitiæ ad peccatum.

270. Prob. 1 ex PP. Chrysost. homil. 13. in Epist. ad Rom. ubi universaliter requirit scientiam malitiæ ad rationem peccati in illud Apost. *quod enim ago, non intelligo*, sic loquens: *quid hoc est non intelligo, ignoro? & quando hoc accidit vides, quod? nisi cum diligenti circumspectione dictiones ipsas diligamus, & ad Apostoli scopum mentemque attentius respiciamus, fore ut hinc absurditates infinita consequantur. Nam si ignorantes illi peccavere, indigni quidem erant qui pœnas darent. Itaque, quemadmodum superius dixit: sine lege enim peccatum erat mortuum: non hoc indicans, qui peccassent, eos se peccavisse nesciisse, sed scivisse quidem, non tamen usque adeo exactè, itaque peccati quidem pœnas luebant, sed non tam graves*, & infra: *& hoc loco, non rerum prorsus omnium ignorantiam indicat cùm ait: quid enim ago, non intelligo*.

Consentit Aug. dicens peccatum ex ignorantia invinc. habere scientiam & voluntatem facti, non peccati, & requiri scientiam peccati, ut homini possit imputari.

271. Aug. l. 1. retract. cap. 25. ubi docet peccantem, ex ignorantia invincibili, peccare *voluntate facti*, id est materialiter, non *voluntate peccati*, id est formaliter: quod explicat his verbis: *nam & qui nesciens peccavit*, sc. materialiter, *non incongruenter nollens peccasse dici potest; quamvis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit*, (sc. formaliter) *nesciens esse peccatum, quod fecit ita nec tale peccatum* (sc. materiale) *sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quod tamen factum peccatum fuit* (sc. materiale) *hoc enim factum est, quod fieri non debuit*.

In Psal. 57. manifeste requirit scientiam legis naturæ, ut eius prævaricatores iudicari possint & damnari tamquam rei: hoc enim sensu dicit: *manus formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas*

scrip-

scripsit. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, unde indicarentur, & quibus lex non esset data.

Libro 3. *de lib. arb. cap.* 29. & *l. de nat. & grat. cap.* 67. docet peccata commissa per ignorantiam invincibilem non imputari ad culpam, sed solum commissa per vincibilem his verbis: *non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras;* quibus verbis non solum ignorantiam invincibilem vult *non deputari ad culpam* (ut quidam malè interpretantur) sed etiam peccata, quæ ex ista ignorantia fiunt, ut patet 1. quia ejusmodi peccatorum malitia est æque involuntaria, ac ipsa ignorantia. 2. quia August. eodem cap. 19. nu. seq. cit. dicit *illud quod ignorans quis non rectè facit* solùm improprie dici peccatum; nempe, quia de peccato Adæ originem ducit, &c. 18. eodem num. seq. addit *quædam per ignorantiam* facta improbari &c. ex quibus patet ipsum præcipue loqui de peccatis per ignorantiam factis, imputandis ad culpam.

Confir. ex his lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *an tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit; si ita est, nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem, caveri igitur potest.*

272. Dices 1. August. eodem cap. 18. ait: *& tamen per ignorantiam facta, quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis authoritatibus legimus. Ait enim Apostolus: misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci: ait & Propheta: Delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non potest: nam unde sunt ista voces: non enim, quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago:* ergo sentit peccata ex ignorantia invincibili procedentia esse imputabilia ad culpam.

Aug. dicit peccati ignorantia esse imputabilia ipsi Adamo ut causę privationis iustitiæ & malorum inde sequentium.

R. ipsi Adæ, qui peccato suo (per quod privati sumus donis justitiæ & scientiæ originalis) fuit

causa ipsius ignorantiæ, & consequenter aliquo modo peccatorum ex illa sequentium C. posteris ejus, qui invincibili ignorantia actus peccaminosi malitiam nescientes, eam cavere non possunt, N. idque ad mentem August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. ubi habet: *sed hæc omnia hominum sunt ex illa mortis damnatione venientium: nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Id est nulli sunt imputabilia: non enim Adæ, si non sint pœna ejus peccati; neque ejus posteris operantibus ex ignorantia, cùm non peccent formaliter. *Nam*, inquit ibidem cap. 19. *illud, quod ignorans quisque non rectè facit; & quòd rectè volens facere non potest; ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo libera voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est formam tenoremque verborum; secundùm quem modum dicitur alia lingua Græca, alia Latina: sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate & à sciente committitur: sed etiam illud, quod jam de huius supplicio consequatur, necesse est.*

Non eius posteris illa per ignorantiam committentibus, nisi ipsorum ignorantia, ex invincibili fiat in continuatione vincibilis.

273. Ideo autem August. peccata materialia per ignorantiam invincibilem patrata dicit esse formalia & imputabilia in causa seu ipsi Adamo, ut refellat Pelagianos, qui cùm negarent peccatum originale, consequenter negabant ignorantiam & concupiscentiam procedere ex peccato Adami, ut declarat August. *l. de Dono perseverantiæ* cap. 11. his verbis: *Dicunt Pelagiani ignorantiam & difficultatem, sine quibus homo non nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ*, & lib. 1. retract. cap. 9. *ad quam miseriam iusta damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur homo ab exordio nativitatis suæ, quam miseriam pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum.*

274. Adde ignorantiæ peccata ex mente Aug. esse

esse etiam ipsis Adæ posteris imputabilia, quando notantia in ipsis, absque eorum culpa; ex Adæ peccato orta incipit illis esse, quoad continuationem, culpabilis; quia cùm incipit eorum mentem pulsare aliqua cogitatio seu levis dubitatio de eorum malitia, negligunt de ea inquirere.

Hanc suam mentem explicat August. lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. ubi ait: *Hinc occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, dicentes, si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantia cœcitate, & cum difficultatis cruciatibus nasceremur, & primò erraremus nescientes quid nobis esset faciendum. Deinde, ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, non valeremus? quibus breviter respondetur, ut quiescant & adversus Deum murmurare desistent. Rectè enim fortasse quærerentur, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret: cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis, per creaturam sibi Domini servientem, aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras, neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis, ista tua propria peccata sunt. Nulli enim hominum ablatum est scire utiliter, quærere quod inutiliter ignorat.*

Aug. mentem suam, de factis per ignorantiam & concupiscentiam explicat juxt. nostrum sensum.

275. Vno ex sensibus jam explicatis intelligendus est August. dum variis locis docet peccata ignorantiæ esse homini imputabilia, nempe vel in causa sc. Adamo, vel etiam ipsi malè operanti ex ignorantia quando hæc incipit esse vincibilis & voluntaria in negligentia adhibendi media ad ejus expulsionem. Hoc sensu intelligendus est lib de peccat. meritis cap. 36. cùm dicit: *& si enim damnabiliora peccata sunt, quæ ab scientibus committuntur, tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hoc non legeremus: delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris*, & l. de adulterin. conjug. cap. 9. *illi, qui*

nescit bonum facere, & ideo non facit, utique peccatum est sed hoc gravius, si etiam sciat & non faciat. Nec illud ideo nullum, quia minus. Idem Ench. cap. 81. *peccatores eramus etiam cùm per ignorantiam peccabamus*; id est *peccatores eramus* materialiter, *cùm peccabamus per ignorantiam* invincibilem; formaliter, quando per vincibilem.

Quo intelligendus est, cum dicit facta per ignorantiam esse peccata, scil. solùm materialiter & in sua causa, quamdiu ignorantia est invincibilis.

Prob. 2. ratione, quia si inuincibilis ignorantia juris naturæ non excuset à peccato formali, sequitur omnes PP. ac DD. Ecclesiæ, qui ex ignorantia inuincibili docuerunt aliquid contra jus naturæ, peccasse formaliter: cùm enim constet esse peccatum formale, & quidem grave in materia graui, scienter docere errores, siue speculatiuos, siue practicos; hoc enim est voluntarie decipere & peccandi ansam dare; etiam constat esse peccatum formale docere ejusmodi errores ex ignorantia inuincibili, si hæc non excuset à peccato formali: ac proinde in ordine ad peccatum æquiualeat scientiæ; ut admittunt aduersarii in iis, qui blasphemant ex ignorantia inuincibili.

Formaliter erraſsent & peccaſsent SS. PP. & DD. cum docuerunt aliquid contra ius naturæ ex ignorantia invincibili, si hæc non excusat.

276. Vnde ulteriùs sequitur illos omnes qui ejusmodi errores ante mortem non retractarunt aut post mortem edi curarunt, mortuos esse in errore culpabili & peccato formali. Neque illos excusare potest protestatio, qua omnem suam doctrinam subjiciunt judicio Ecclesiæ, ista enim protestatio non est efficax, cùm, ea nihil obstante, voluntarie retineant suos errores, juxta aduersarios vincibiles saltem æquiualenter, & culpabiles. Similiter ab hæresi & peccato formali non excusat eum, qui suam Doctrinam submittit judicio Ecclesiæ, si non obstante ipsa submissione, suam retineat hæresim sciens, aut (quod juxta aduersarios, saltem in materia juris naturæ in ordine ad culpam idem est) inuincibiliter ignorans esse hæresim.

277. Hæc autem & alia ejusmodi, ex hypothesi, quòd ignorantia inuincibilis non excuset, euidenter sequentia sunt absurda, falsa, & sensui communi repugnantia: cùm communi sapientum judicio, erroris culpabilis non possint damnari illi DD. qui per igno-

ignorantiam inuincibilem errores contra jus naturæ docuerunt & typis mandarunt suam Doctrinam sincere submittentes judicio Ecclesiæ: alioqui enim damnandus esset Ians. Iprens. qui ex ignorantia (ut meritò præsumitur) inuincibili in suo Augustino doctrinam tradidit, & sua dogmata judicio Ecclesiæ subiiciens, suo testamento imprimi jussit, in qua continentur 5. propositiones à Pontificibus posteà damnatæ tanquam hæreticæ, inter quas hæc 3. *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: est contraria juri naturæ; seu lumini rationis dictanti nihil esse dignum laude & præmio, nec vituperatione & supplicio nisi sit simpliciter liberum seu immune ab omni necessitate antecedente, non potest tamen, nisi temere Iansenius censeri mortuus in errore formali; cùm Pontifices ejus Doctrinam hæreseos damnantes, nihil contra ejus personam decernant.

Nec eos purgaret submissio facta Ecclesiæ, quia esset inefficax; adeoq; damnandus esset Ians. Iprens. quod dici non potest absque temeritate.

278. Confir. 1. quia sequeretur omnes qui ex errore inuincibili contra jus naturæ aliquid docent, suadent, imperant, resoluunt, eligunt, & agunt, peccare formaliter & consequenter etiam eos, qui suscipiunt officia siue Ecclesiastica siue ciuilia, siue militaria quæ moraliter loquendo, exerceri non possunt absque euidenti periculo aliquid per ignorantia docendi aut agendi contra jus naturæ; cui periculo se exponere est peccatum formaliter; quæ & similia *jugum* Christi Matth. 11. *suave* redderent intolerabile. Neque eos excusaret major probabilitas, quia fieri potest ut sententia probabilior sit falsa, sic ut eam sequens, erret, & consequenter peccet formaliter, si versetur in materia juris naturæ.

2. Quia sequeretur, contra aduersarios, etiam ignorantiam inuincibilem juris naturæ, cujus scientia est præcepta, ut de colendo Deo, esse peccatum formale; quia de se est occasio & causa, tanquam remouens prohibens, actuum ex tali ignorantia procedentium, qui juxta aduersarios, sunt peccata formalia: ac proinde tenetur, & quidem

Invincib. ignorant. iuris nat. esset peccatum si ab eo non excusaret, uti & omnia facta, aut dicta cont. ius nat. & qui iudicaret sibi esse mentiendum necessitaretur ad peccatum.

sub mortali in materia gravi, qui ea laborat, eam tollere; licet non possit: tenetur enim quilibet tollere occasionem & causam peccati.

3. Sequeretur eum, qui ex ignorantia invincibili judicat hic & nunc esse mentiendum, v g. pro salute proximi, necessitatum esse ad peccandum: si enim non mentiatur aget contra conscientiam adeoque peccabit, quia omne *quod non est ex fide peccatum est. Rom.* 14. si verò mentiatur peccabit etiam formaliter; quia ignorantia non excusat: atqui hoc dici nequit; cùm damnata sit propositio Bajana 67. *homo etiam peccat damnabiliter in eo quod necessariò facit*, & hæc 3. Iansenistica. *ad merendum & demerendum* &c. ut sup. num. 288. damnata sit ut hæretica ex quibus certum est non posse hominem necessitari ad peccandum.

279. Dices 1. August lib. 1. *Operis imperfecti contra Julian.* cap. 107. dicit: *necesse enim est ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet facere, facit, de quo genere malorum Deus rogatur ubi dicitur: Delicta juventutis & ignorantia mea ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.* Et infra *necesse est ut peccet is, à quo ignoratur justitia*: ergò juxta August. peccata ignorantiæ etiam facta ex necessitate homini imputantur.

Juxta Aug. peccata ignorantiæ aliquo modo vincibilis, & necessaria necessitate conseq. homini imputantur.

R. dist. conseq. peccata ignorantiæ absolutè invincibilis facta ex necessitate omnino antecedente homini imputantur. N. peccata ignorantiæ aliquo modo vincibilis, facta ex necessitate consequente negligentiam, qua homo advertenter omisit per orationem à Deo petere & sibi impetrare gratiam illa vitanda C. & dico Aug. loqui de peccatis ignorantiæ, quæ homo vitare non potest sine gratia quam quidem non habet, habere tamen potest à Deo illam petendo per orationem, ad quam sufficientem habet gratiam.

Non ea, quæ per ignorantiam invincib. fiunt

280 Hanc suam esse mentem declarat Aug. l. de grat. & lib. arb. cap. 15 ubi ait: *fides non petita conceditur, uti ei petenti alia concedantur.* Et infra: *Spiritus gratia facit, ut habeamus fidem, ut per fidem im-*

impetremus orando, ut poſſimus facere, quæ jubemur. Tum addit: *Quod Lex jubet facere non valemus, niſi per fidem rogando impetremus ut facere valeamus.* Idem indicat Enchir. cap. 81. ubi habet: *duabus ex cauſis peccamus, aut non videndo, quid facere debeamus, aut non faciendo, quod deberi fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis, contra quæ quidem nos pugnare convenit, ſed profectò vincimur, niſi divinitùs adjuvemur.* Vndè inquit: *ille rogandus eſt, cui dicitur in Pſalmo: Dominus illuminatio mea & ſalus mea: ut illuminatio detrahat ignorantiam, ſalus infirmitatem.* Quibus & ſimilibus alibi ſæpius inculcatis ſignificat ignorantiam & neceſſitatem, ex quibus varia procedunt peccata, aliquo modo ſubeſſe noſtræ poteſtati, quatenus inſtructi prima gratia, aut fide gratis data poſſumus orando impetrare liberationem ab iſta neceſſitate & ignorantia. Vnde infert peccata ex illis manentia eſſe imputabilia; non tamen profecta ex ignorantia & neceſſitate abſoluta.

ex phyſica neceſſitate antecedente, de morali intelligi poteſt Aug.

Adde Aug. poſſe explicari de peccatis ex neceſſitate morali habendi in aliqua indeterminatè, ſita in impoſſibilitate vitandi omnia collectivè, cum qua ſtat potentia phyſica & libertas abſoluta vitandi ſingula in particulari, quod ſufficit ut peccata ex tali neceſſitate commiſſa, ſint nobis ſimpliciter libera & imputabilia.

281. Dices 2. de grat. & lib. arb. cap. 3. clarè docet peccata ex ignorantia invincibili facta imputari ad culpam & pœnam his verbis: *Dominus in Evangelio ait: ſervus, qui neſcit voluntatem domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit pauca; ſervus autem, qui ſcit voluntatem domini ſui, & facit digna plagis, vapulabit multa. Ecce ubi oſtendit gravius peccare hominem ſcientem, quàm neſcientem.* Et infra: *illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire nolunt* (id eſt vincibilis) *ſed eorum, qui tanquam ſimpliciter neſciunt,* (id eſt invincibilis) *neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credit, quia non audi-*

vit omnino, quòd crederet, sed fortasse ut mitiùs ardeat.

S. August. loquitur de ignorantia vincibili, dum ait ignorantem peccare, licet minus quàm scientem, cum loquitur de inuincibili legis Christi, solùm vult hanc non excusare à Damnationi propter peccata cont. legem nat.

R. 1. Aug. etiam esse explicandum à Iansf. ejusque Discipulus, cùm ibi agat de ignorantia facti & legis positiuæ, quam volunt excusare à peccato. 2. Aug. ibi non agere de ignorantia omnino inuincibili, cũ certum sit seruum, (cujus exemplo utitur) qui domini sui voluntatem non sciuit nec inquirendo scire potuit, inter homines ab omni culpa excusari, sed agere de ignorantia vincibili, si non per naturæ vires, saltem per gratiæ auxilium, quod orando potest homo impetrare. Hoc indicat dum ait se loqui de ignorantia eorum, qui *tanquam*, idest, quasi *simpliciter nesciunt*. 3. si loquatur de ignorantia omninò invincibili ut significare videntur hæc verba: *si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet*: intelligendum esse (ut manifestant verba iam citata) de inuincibili ignorantia legis Christi, quæ inuincibilitas faciet quidem ut homines non sint damnandi, proter legem Christi ignoratam & non seruatam, non tamen faciet ut non sint damnandi propter alia peccata contra legem naturæ commissa, quorum remissionem obtinere non possunt per Sacramenta, quorum nullam habeut notitiam.

282. Cum August. Epist. 154. dicit: *si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat. Et ea sunt peccata ignorantia, quando quis bene fieri putat, quod malè fit*: vel loquitur de ignorantia mali ex obligatione sciendi (quod indicat ly *hoc putando peccat*) adeoque de vincibili & culpabili in eo qui illud scire negligit: vel certe, si agat de ignorantia invincibili, loquitur de peccato materialiter. Idem dicere debent adversarii cùm August. ibi (ut & plerumque alibi) loquatur de ignorantia generaliter pro ut etiam se extendit ad factum & jus positivum, quæ iuxta ipsos, excusat.

283. Eodem sensu æque ab aduersariis ac à nobis explicandus est Hier. dum lib. 1. cap. 10. contra Pelag. generaliter dicit: *docere te volui peccare homi-*

nem

nem per ignorantiam, & pro peccato, ut in lege Hostias, ita & in Evangelio offerendam pœnitudinem. Ibi enim (ut patet ex contextu) docet peccata, sive ex ignorantia, sive ex concupiscentia, per necessitatem facta, esse formalia & imputabilia, quando quis culpabiliter non quærit, præcipue per orationem, medium quo ignorantia & concupiscentia vinci possit; alias solùm esse materialia.

284. Dices 3. S. Tho. qu. 3. de malo art. 7. O. ait ignorantia illa, qua quis ignorat ea, quæ tenetur scire non est absque peccato. R. ibi solùm vult tunc peccari per ignorantiam, quando est vincibilis & ignorans tenetur rem scire. Hoc declarat ibidem ad 7. his verbis: *ignorantia, quæ omninò involuntaria est, non est peccatum*, & in O. *ignorare ea, quæ quis non tenetur scire, absque culpa est.*

S. Hier. & S. Th. explicandi sunt, sicut August. de ignorantia vincibili vel de peccato materiali, & quidem etiam ab adversariis, cum loquatur sine discrimine tum de ignorantia facti & legis positive, quam naturæ.

Cùm verò 3. par. qu. 80. art. 4. ad 5. dicit *ignorantiam juris non excusare v. g. fornicatorem reputantem fornicationem simplicem non esse peccatum mortale: ignorantiam verò facti excusare v. g. accedentem ad non suam putando esse suam.* Tantum vult *ignorantiam juris* siue naturalis, siue positiui ex obligatione sciendi, non excusare: quia præsumitur vincibilis & voluntaria, ut quando ius facile sciri potest, ut de non fornicando, & nulla aut exigua adhibetur diligentia ad illud sciendum. Addit *ignorantiam facti* excusare, quia cùm facta facile ignorentur & eorum scientia, etiam adhibito diligenti studio, subinde non possit acquiri, aut saltem non nisi difficillime, præsumitur inuincibilis & inculpabilis, qualis ex communi DD. sensu fuit in Iacob Genes. 19. accedente ad Liam putando esse Rachelem, patet hunc esse ejus sensum ex art. 8. ubi ait: *ignorantia dicitur voluntaria indirectè, quia homo non adhibet studium ad cognoscendum, & hæc est ignorantia negligentiæ:* & infra: *unde ignorantia juris ad negligentiam reputatur.* Ceterum quòd inuincibilis ignorantia juris de non fornicando ex mente S. Thomæ excuset à peccato formali, manifestum est ex eius verbis eodem ar. à nobis sup. nu. 258. 259. relatis ad probationem nostræ doctrinæ.

285. Ea-

Aliæ quæ ex script. Aug. aliisque PP. obiiciuntur explicant sup. de ignoran. vincibili, vel culpabili, in causa, aut præsumptione fori externi vel de peccato materiali.

285. Eadem ratione explicandum est, quòd habet S. D. 1. 2. qu. 9. art. 6. *si ratio errans dicat quòd homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala; eo quod error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur*. Superius enim ibidem dixit: *si ratio vel conscientia erret errore voluntario, vel directè vel propter negligentiam, ex eo, quod aliquis non vult scire, quod scire tenetur, tunc talis error non excusat*.

Ex iis facilè solvens omnia, quæ adversarii opponunt ex August. S. Tho. aliisque PP. & DD. nempè dicendo ipsos loqui, vel de peccato materiali tantùm, vel de ignorantia vincibili, vel de invincibili quidem hic & nunc; in causa tamen ita culpabili ut peccata inde orta sint imputabilia; sicut *peccatum*, quod ex defectu auxilii gratiæ aliqui committunt, *eis imputatur ad culpam*, inquit S. Th. l. 3. cont. gent. cap. 160. *quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur*.

Regula juris est de foro externo.

286. Hæc regula juris 13. in 6. *ignorantia facti excusat, non iuris*: solùm valet in foro externo, in quo non præsumitur jus (cùm sciri debeat) invincibiliter ignorari; sicut factum, quod facilè & sæpè ignoratur ignorantia invincibili excusante etiam in foro interno V. Herincx.

Cap. In lectum 24. qu. 1. & 2. pœnitentia injungitur cuidam, qui ex ignorantia invincibili cognoverat non suam. R. hoc factum esse ad cautelam, vel ignorantiam in foro externo præsumptam non fuisse invincibilem, ut rectè Turrecremata. Idem dic in casu Cap. continebatur *de Homicidio* sc. Diaconum, qui punitur propter homicidium inadvertenter admissum, non habuisse ignorantiam invincibilem. V Malderum.

Cap. & syn. de ignor. vincibili.

PP. Synodi Palestinæ. qui teste August. l. de gestis Pelagij cap. 18. & 19. reprobarunt hanc propositionem Celsii asserentis, *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato; quoniam non secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem eveniunt*: etiam explicandi sunt ab adversariis, cùm loquantur gene-

generaliter adeoque etiam de ignorantia juris positivi & facti quæ juxta Iansf. excusat à peccato. Deinde loquuntur directè de ipsa oblivione & ignorantia eamque significant esse peccatum, quod negat Iansf. Vndè intelligendi sunt sicut Aug. sup. nu. 279. & seqq. de oblivione & ignorantia vincibili, & culpabili saltem in causa.

Stupiditas excusat à pecc.

287. Dices, si rusticus à suo Pastore, quem existimat probum & doctum, didicerit homicidium esse peccatum; non tamen ejus desiderium, peccabit desiderando occidere hominem, quia volet id, quod scit esse peccatum, quæ volitio non potest non esse peccatum; & tamen ignorabit invincibiliter istud desiderium esse peccatum, quia errore invincibili judicabit non esse peccatum. R. vix fieri posse ut quis non videat esse malum, velle efficaciter id, quod scitur esse malum seu ut credat voluntatem peccati non esse peccatum; si quis tamen sit tam stupidus, ut invincibiliter judicet, in casu proposito, desiderium homicidii non esse peccatum, non peccabit illud desiderando.

V. Annat Deschampf. Schildere ubi plura erudite explicata reperies.

288. Plura de invincibili juris naturæ ignorantia excusante à peccato V. apud Annatem in *Augustino à Baianis vindicato lib.* 6. Moraines in *Anti Iansenio disp.* 16 Stephanum Deschamsis in *Hæresi Iansenianæ* lib. 3. disp. 5. Ludovicum de Schildere *de principiis conscientiæ* tract. 2. cap. 1. Rhodes Tract. 2. disp. 2. *de peccatis* qu. 1. sect. 1. §. 2. Apud quos reperies hanc nostram & communissimam Scholasticorum sententiam fusè explicatam, ac solidè stabilitam, & omnia Bajanorum ac Iansenistarum argumenta ex Aug. præcipue petita accurate discussa & in fumum dissipata.

In omni peccato non intervenit ignorantia propriè sed solùm impropriè sumpta pro inconsideratione.

289 In omni peccato non intervenit error vel ignorantia proprie dicta. Ita Alb. Scot. Suar. cont. Thomist.s quibus favet. S. Th. hìc qu. 77. art. 1. & qu. 78. art. 1. ad 1. Prob. quia posita plena cognitione etiam particulari totius malitiæ objecti, potest voluntas pro suo libitu illud amplecti propter ratione boni delectabilis in illo repertitur enim id non posset, cùm sit libera libertate contrarietatis; adeoque

posi-

positis omnibus proxime prærequisitis ad actum virtutis, possit ponere actum peccati oppositi, ad quem ponendum ut est peccatum, prærequiritur notitia ejus malitiæ.

Interuenit tamen aliqua ignorantia improprie dicta seu defectus considerationis, quæ si adesset, non fieret peccatum. Quia si quis perfecte penetraret ex una parte boni delectabilis exiguitatem; & ex altera peccati turpitudinem ac summam malitiam, nunquam peccaret, imò nec moraliter peccare posset.

De qua intelligenda sunt script. peccata vocantes ignorantiam.

290. Scripturæ quibus peccata dicuntur ignorantiæ, & peccatores errare, ut Habacuc. 2. *oratio pro ignorantiis*, Proverb. 14. *errant qui operantur malum:* intelligendæ sunt de hac inconsideratione, vel de errore voluntatis eligentis minus bonum relicto meliori.

Voluntas peccans fertur in malum morale sub ratione boni delectabilis; in quo nullus est verus error; cùm talis delectabilitas vere insit objecto moraliter malo. Vnde illud Dionysii de Divinis nominibus c. 14. *nihil ad malum intuens operatur*: solùm significat formale motivum voluntatis semper esse aliquam rationem boni, qualis semper reperitur in quovis objecto quantumlibet repræsentato ut malo.

CA-

CAPVT IV.

Peccatum habituale, originale, B. Virginis immunitas ab originali, & parvulorum ab igne inferni.

§. I.

Peccatum Habituale.

291. PEccatum habituale est, quo actu peccati transacto homo permanenter constituitur peccator, de facto dari fide certum est ex Ioan. 8. *in peccato vestro moriemini*. Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa*, aliisque Scrip. ac PP. August. l. 1. de nup. & concup. cap. 25. *si à peccato desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc me moneret Scriptura sacra: fili peccasti; non adiicias iterum: non autem sufficit, sed addit, & de praeteritis deprecare ut tibi remittantur.*

Peccatum habituale est quod permanenter constituit peccatorem.

292. Non consistit praecise in actu peccati praeterito, alioqui enim, cùm ad praeteritum tollendum nulla detur potentia, semper maneret: neque in habitu vitioso aliave entitate positiva ex actu peccati relicta, cùm possit esse peccatum habituale sine illis, & contra: neque in reatu poenae saltem formali, quia non repugnat Deum remittere jus ad aversionem propter actum peccati praeteritum non remittendo jus ad poenam, & contra. Ergo de potentia absoluta possunt peccatum habituale & reatus poenae ab invicem separari, ut de facto separatur reatus poenae temporalis ordinarie remanens, remisso mortali quoad culpam.

Non consistit in peccato ut praeterito, neque ut constituente reatũ poenae velut gratia privante.

Dixi

Dixi *saltem formali*; quia dici potest consistere in reatu pœnæ sumpto radicaliter & remote, quo sensu non est aliud, quàm reatus culpæ.

Neque ut non retractato.

293. Non potest etiam dici consistere in peccato præterito non retractato; cùm de potentia absoluta possit per gratuitam Dei condonationem peccatum tolli, quamvis non retractetur, & contra remanere, quamvis sit retractatum etiam per contritionem; si nempe hàc non obstante Deus, ut absolute potest, illud non condonet: neque in forma morali positiva & intrinseca, cùm talis forma sit fictitia; nec denique in privatione gratiæ, nequidem partialiter, quod patet à simili de peccato originali inf. nu. 316.

Sed præcisè ut non condonato, atq; ita moraliter perseverante.

294. Restat itaque ut dicatur consistere in peccato moraliter perseuerante in ordine ad tribuendum Deo jus ad auersionem. Hæc autem perseverantia habetur præcise per non condonationem: Vnde peccatum habituale, est formaliter peccatum præteritum non condonatum.

Hinc cùm de lege ordinaria condonatio peccati mortalis, non fiat nisi per gratiam habitualem, in statu præsentis prouidentiæ, priuatio gratiæ pertinet ad peccatum habituale, non ut habens etiam partialiter rationem peccati seu formæ reddentis suum objectum Deo odibile, sed tanquam id per quod, ut remouens prohibens, peccatum actuale physice præteritum, æquiualenter perseuerat.

Et iuxta Aug. remanente in occultis Dei legibus.

295. Hæc doctrina est Aug. sup. ubi docet habere peccatum non esse aliud, quàm esse reum peccati, unde ait: *si quis fecerit adulterium; reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur*, & lib. 6. cont. Iul. cap. 8. ubi docet peccatum permanere habitualiter; eo quòd maneat *in occultis Dei legibus*, seu in Dei memoria, ut tribuens jus ad auersionem, & punitionem.

Macula peccati positiva est ipsum peccatum

296. Peccatum præteritum relinquit maculam in anima. Constat ex Script. Iosue 20. *usque in præsentem diem macula hu us sceleris in vobis manet*. Ierem. 2. *maculata es in iniquitate tua coram me*.

Alia

Alia est privativa, solùm negatiue & per accidens animam reddens Deo odibilem, quæ non est aliud, quàm privatio gratiæ, quatenus est privatio nitoris debiti inesse animæ eleuatæ ad finem supernaturalem.

habituale, privativa est gratiæ privatio, quæ tamen non est pars peccati.

Alia positiva, animam positive ac per se reddens Deo abominabilem, quæ non est aliud, quam peccatum habituale seu actuale præteritum ut moraliter perseverans; cùm enim actuale sit actualis macula Deo abominationem faciens, habituale est macula habitualis.

§. II.

Peccatum Originale.

297. PEccatum originale est peccàtum quod ab Adamo propagatione ita transfunditur, ut omnes ejus posteri sim. sua conceptione per illud constituantur in seipsis vere peccatores, Deo odibiles, & damnatione digni, donec per medicinalem Christi gratiam remittant.

Peccatum originale, ipsa origine contractum ab Adamo. Omnes eius posteros cōstituit verò peccatori.

Hoc peccatum dari docent Scripturæ. Iobi 14. *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es*. Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, ad Rom. 5. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo* (scil. Adamo,) *omnes homines peccaverunt*. ad Ephes. 2. *eramus natura filii iræ*, id est, digni ira Dei, *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*.

298. Catholicæ fidei veritas de peccati originalis existentia, quam impie negavit Pelagius, Augustino tanto momenti visa est, ut l. de pecc. originali cap. 24. apud Amic. sic loquatur: *in causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Christiana consistit*, & lib. 1. cont. Iul. cap. 2. dicat: *hoc ad ipsa fidei pertinet fundamenta*.

Est ex Augustini fundamentalis fidei veritas.

Quis.

Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est, 1. Cor. 15. *per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum &c. totum, quod in Christum credimus auferre molitur*.

299. Hanc fundamentalem fidei Christianæ veritatem numquam negavit, sed indubitanter tenuit Chrysost. hom. ad Neophytos: *venit semel Christus invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam, ille initium induxit debiti, nec fœnus auximus posterioribus peccatis*, & alibi constanter.

Quam constanter tenuit Chrysost. qui ut recte Augustinus, locis à Iulian. objectis solum vult parvulis non inesse peccata propria voluntate contracta.

Quod fuse & invicte demonstrat Aug. sup. ubi hæc loca Chrysost. hom. 10 in Epist. ad Rom. *quid igitur hoc loco verbum hoc, peccatores significat? mihi videtur tantundem significare quantum illud, supplecio obnoxii ac mortis rei*: Homil. ad Neophytos *infantulos baptizamus quamvis non sint inquinati peccato, ut eis addatur Sanctitas, adoptio, & fraternitas Christi*, & alia ejusmodi à Iul. objecta, in speciem difficilia explicat & ostendit esse intelligenda de peccatis propriis, seu proprio & personali actu contractis, & addit Chrysost. de hoc sensu exprimendo non fuisse sollicitum: *quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis* (nempe Pelagianis) *nondum litigantibus securiùs loquebatur*.

300. Illud Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris sui*, intelligendum est de peccato personali aliorum à primo parente, cujus solius, ut capitis moralis, prævaricatio in posteros transfunditur: de adultis verò illud 2. ad Cor. 5. *ante tribunal Christi unusquisque referet propria corpori sui; prout gessit sive bonum sive malum*.

Cùm Apost. ad Rom. 5. significat infantes *non peccasse in similitudinem prauaricationis Adæ*; non vult eos non peccasse in Adamo, sed non violasse voluntate propria legem Dei positivam, sicut Adamus, ac proinde non habere peccata actualia & personalia. Filii verò nati ex Patre vel Matre fideli ut docet 1. Cor. 7. sunt sancti non sanctitate pro-

priè

prie dicta peccatum pellente, sed improprie dicta & inchoata per dispositionem & occasionem conversionis ad Deum: quo sensu ibidem dicit *virum infidelem sanctificari per mulierem fidelem*.

301. Quod verò peccatum originale, prout habitualiter afficit posteros Adæ sit etiam eorum respectu vere & proprie peccatum, est communis & certa cont. Dur. tum ex Trid. sess. 5. decreto de originali. Vbi §. 2. dicit anathema *asserenti Adæ prævaricationem in omne genus humanum non transfudisse peccatum, quod mors est animæ*, & §. 5. *asserenti per Christi gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum peccati originalis non remitti, aut non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet*. Tum ex Script. & PP. peccatum originale simpliciter vocantibus *peccatum*: ad Rom. 5. v. 12. *iniquitatem* Ps. 50. *ecce in iniquitatibus conceptus sum* & docentibus per illud homines constitui *peccatores* ad Rom. 5. v. 19. *filios iræ* ad Ephes. 2. *eramus natura filii iræ*, illud appellantibus *maculam* Amb. in Apolog. David. c. 11. *antequam nascamur, maculamur*.

Quorum tamen respectu originale ut habituale, est vere peccatum.

302. Originale tamen prout est actuale non habet proprie rationem peccati respectu nostri: cùm non sit simpliciter & proprie nobis voluntarium aut à nobis admissum, sed solùm cum hoc addito, improprietatem significante; *voluntate aliena*, sc. primi parentis, in qua nostræ moraliter continebantur: cum quo stat habere rationem peccati habitualis, aut peccati, abstrahendo ab habituali & actuali, proprie & univoce, si peccatum spectetur præcisè prout est quoddam malum morale, reddens suum subjectum Deo odibile,

Non tamen ut est actuale, quia non est ab eorum voluntate propria, quo sensu juxta Aug. non constituit peccatores proprie seu personaliter sed originaliter.

Cùm Aug. l. 1. de civ. c. 27. ait: *si enim parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non proprie; sed originaliter peccatores*. Et l. 3. de lib. arb. c. 19 significat peccatum originale non esse proprie peccatum, loquitur de originali ut actuali, vel per peccatum proprie intelligit propria voluntate commissum & personale, quod solùm est reprehensibile & per pœnitentiam retractabile.

Omnes (excepta B. V.) peccaverunt in Adamo.

303. Certum est aliquo modo peccasse in Adamo omnes (excepta B. V.) qui ex ipso seminaliter descendunt: id enim euidenter docet Apost. ad Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt* , eoque sensu illum semper intellexerunt PP. Basil. de laudibus jejunii : *quia non jejunavimus*, scil. in primo parente, *ideo exulamus*, Amb. de fide resurrect. *lapsus sum in Adam, ejectus de paradiso in Adam*. August. lib. 1. de pec. mer. cap. 10 *manifestum est alia esse cuique peccata propria, in quibus hi tantum peccant , quorum peccata sunt , aliud hoc unum in quo omnes peccauerunt, in quo omnes illi unus homo fuerunt* , & lib. 3. cap. 7. *in Adam omnes tunc peccauerunt , quia omnes unus homo ille erat*.

304. Varii sentiunt hanc conclusionem esse de fide. Cajet. tamen Suar. Bel. & Tan. Volunt solùm esse fidei proximam, quia uniuersales Scripturæ & PP. locutiones, videntur posse admittere explicationem de solo debito contrahendi in omnes transmisso.

Quia continebantur in eo non solùm ut in Capite physico, sed ut in Capite morali.

Non peccaverunt in Adamo ex eo præcise, quod in illo peccante virtualiter continerentur, tanquam principio & capite physico, quatenus ab ipso per naturalem generationem propagantur: alioqui enim non solùm peccassent peccato inobedientiæ ; per esum pomi vetitum, sed omnibus aliis peccatis, etiam venialibus, nec solius Adami, sed & Euæ, imo & aliorum omnium progenitorum ; ex quibus descendunt.

305. Peccarunt igitur in Adamo, eo quod in ipso peccante continerentur, non solùm ut in capite physico, sed etiam ut in morali, quatenus virtute decreti seu pacti diuini omnes posterorum voluntates in ordine ad obseruationem, aut violationem præcepti de non edendo pomo vetito, in ipsius Adami voluntate erant ita constitutæ, ut obseruatio aut violatio istius præcepti eo ipso quo esset Adamo physice voluntaria, etiam censeretur ejus posteris voluntaria, non solùm physice voluntate aliena primi parentis, sed etiam moraliter & interpretatiue voluntatibus propriis.

Ratio est quia potuit Deus modo explicato volun-

luntates omnium hominum moraliter ponere in voluntate Adami in ordine ad actum, à quo voluit dependere transfusionem justitiæ aut injustitiæ originalis; ac proinde dicendus est de facto id fuisse, cum hoc non solùm juvet ad meliùs intelligendum hoc indubitatum fidei mysterium, *in quo omnes peccaverunt*, sed ad id videatur necessarium, sitque conformius PP. num. 303. cit. & communiori DD. sensui.

Virtute decreti quo Deus in voluntate Adami constituit voluntates omnium ejus posterorum, in ordine ad actum, à quo voluit dependere trãsfusionem justitiæ aut injustitiæ originalis.

306. Quod verò Deus hac ratione potuerit in primo parente posterorum voluntates collocare, patet ex eo quod Respub. & Princeps possint, in ordine ad certus actus aut effectus morales eorum jurisdictionem non excedentes, suorum subditorum etiam non consentientium voluntatem ita alligare voluntati alterius, ut quod hic physice voluerit, censeantur moraliter velle; sicut de facto voluntates minorum obligantur voluntati tutorum ex l. cum plures ff. *de administratione tutorum*: inde enim à fortiori sequitur Deum, qui, ratione supremi dominij in omnes creaturas, hominum voluntates magis habet in sua potestate quàm ipsi suas, posse in ordine ad quosvis effectus, & consequenter etiam in ordine ad consecutionem aut amissionem bonorum supernaturalium, voluntatem cujusvis hominis (saltem necdum sui juris per plenum rationis usum) alligare voluntati alterius.

Hujus mirabilis pacti Dei cum Adamo meminit August. lib 16. de ciuit. cap. 27 ubi in illud Gen. 17. v. 14. *delebitur anima illa*, nempè cujus caro non fuerit circumcisa, *quia pactum meum irritum fecit*, sic loquitur: *omnes in illo uno testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt*.

Hoc decretum pactum appellat Aug. sc. virtuale ad quod requisitus nõ fuit consensus Adami.

307. Veriùs videtur Deum constituisse voluntates posterorum in voluntate Adami per pactum virtuale tantùm, situm in decreto efficaciter obligante voluntates posterorum voluntati Adami independenter ab ipsius consensu, non per formale, ad quod requisitus fuisset consensus ipsius Adami, cùm hujusmodi pactum, sit duorum consensio.

Ratio est, quia potuit Deus tanquam supremus

omnium dominus, voluntates posterorum in ordine ad hunc effectum alligare voluntati Adami independenter ab ejus consensu: cùm ergo hoc magis deceat infinitam ejus majestatem ac supremum in creaturas dominium, dicendum est ita factum fuisse, nulla præsertim ratione contrarium suadente.

Cum ad eius effectum sufficiat voluntas Dei supremi omnium Domini.

308. Ad hujus pacti seu decreti efficaciam necessarium non fuit ut Adamo innotesceret, cùm Deus ratione sui supremi dominii, potuerit voluntati Adami etiam nescientis aut renitentis, posterorum voluntates alligare; de *facto* tamen videtur innotuisse & significatum fuisse Gen. 2. *in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: quibus verbis ex communi interpretum sensu, facta est comminatio mortis corporeæ & spiritualis Adamo pro se & posteris.

Fuit tamen declaratum Adamo Gen. 2.

309. Peccatum originale non transfunditur in Adæ posteros, per hoc quod eorum animæ propagentur ex traduce, de quo non parum dubitat Aug. Epist. 157 ad Optatum, & 28. ad Hier. quem super ea re consulit: sed per hoc quod præsupposito Dei decreto, seu pacto virtuali jam explicato, via ordinariæ generationis ex Adamo descendant gratia destituti ob violatum ab ipsis in suo capite præceptum, per cujus impletionem vi præsentis providentiæ justitiam originalem erant accepturi.

Originale transfunditur in Adæ posteros per hoc quod ex ipso via ordinaria descendant gratia destituti, patet ex Trid.

Hoc clare indicat. Trid. sess. 6. c. 3. his verbis: *sicut reverà homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cùm ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant: ita nisi ex Christo renascerentur &c.* Hoc sensu Aug. l. 5. contr. Iul. c. 3. dicit: *animam corpori infusam in vase vitiato corrumpi*: nempe moraliter, quatenus inficitur macula peccati originalis sita in eo, præcipue, & velut positivè, quod peccatum in Adamo commissum in illa perseveret, eamque reddat Deo abominabilem.

Originale non consistit in substantiali corruptione imaginis Dei.

310. Peccatum originale non consistit formaliter in substantiali corruptione imaginis Dei, transformatæ in substantialem imaginem diaboli, quod est Illyrici delirium, quod se sua patenti fatuitate suffocat.

focat. Neque in ipsa corruptione naturæ seu concupiscentia ut erronee senserunt Luth. & Calv. ad quos proximè accedit Ians. ut efficaciter probat Moraines disp. 15. nu 25. & seqq. & patet ex his Ians. verbis to. 2. l. 1. de statu naturæ lapsæ c. 6. colum. 209. *Peccatum originale per libidinem seu concupiscentiam, tanquam per veram causam transfusionis, atque ita ex natura rei propagatur, non secus* (ut habet c. 18. col. 245.) *ac subinde, cœcitas, podagra, aliaque parentum vitia, cùm affectuum, tum corporum transfunduntur* addit. c. 6. col. 210. *Nec verò aliter propagari potest ullo modo; nisi per libidinem & concupiscentiam.*

311. Hic error repugnat Apost. ad Rom. 8. *nihil ergo nunc damnationis est in iis, qui sunt in Christo*, quibus cùm constet inesse concupiscentiam, certum est ex mente Apostoli in ea non consistere rationem formalem peccati originalis: repugnat etiam Trid. sess. 5. decr. de orig. §. 5. definienti *per baptismum tolli quidquid habet rationem peccati*, & August. l. 1. de nupt. c. 23. *concupiscentia non est peccatum in regeneratis, sed peccatum vocatur, quia peccato facta est.*

Neque in concupiscentia cum remaneat in renatis, in quibus ex Trid. nihil remanet, damnationis.

312. Vnde quando l. 1. cont. 2. Epist. Pelag. c. 13. ait: *inest concupiscentia renatis non nocitura, quia reatus eius generatione tractus, regeneratione dimissus est;* non loquitur de reatu quo ipsa secundùm se reum faciat, sed quo ipsamet facta est, & cum quo in non renatis conjuncta eos non per se sc sed per accidens reos facit.

Illud verò quod habet l. 1. de nupt. c. 23. *Hæc concupiscentia quæ solo sacramento regenerationis expiatur* (nempe a reatu quo facta est) *profectò peccati vinculum generatione traijcit in posteros;* solùm verum est in sensu concomitante, quatenus nempe seminalis generatio, ex natura corrupta, qua mediante ut conditione sine qua non traijcitur originale, non fit etiam in Sanctissimis, absque motibus concupiscentiæ; & in sensu causali non physico, sed morali; quia, *ut Adamus gigneret meliores, quàm ipse esset, non erat æquitatis* l. 3. de lib. arb. c. 20.

Aug. in ea agnoscit reatum quo facta est, non quo ipsa reum faciat.

Neque in qualitate morbida, aut reatu pœnæ, qui est effectus peccati, non peccatū.

313. Qualitas morbida, in peccatorum originale posuit Gabriel, est fictitia, uti & entitas moralis à peccato Adami præterito, priuatione justitiæ originalis aliisque connotatis realiter distincta, unicuique posterorum Adæ intrinseca, pro peccato originali commodiùs exponendo ut cuique proprio, à quibusdam recentioribus excogitata.

314. Reatus pœnæ, in quo originale ponunt Rubion. Mayr. & alii, est quidem verus, at non formaliter peccatum, sed eius effectus de potentia absoluta ab eo separabilis: ut fieret, si remitteretur culpa, non pœna: neque de hoc reatu loquitur August. cum sup. numer. 312. & alibi sæpius in eo originale constituit, sed de reatu culpæ, quo sensu Exod. 32. dicuntur *filii Israel puniti pro reatu vituli*.

Neque in peccato Adami ejus posteris extrinsecè imputato.

315. Sententia Pighii & Cathar. docentium peccatum originale aliud non esse quàm peccatum primi parentis ut extrinsece eius posteris imputatum, sic ut (quòd diserte docent) sit unum & idem in omnibus, non unicuique proprium, meritò rejicitur; ut si non quoad rem ab iis intellectam, saltem quo ad modum loquendi directe repugnans Trid sess. 5. decr. de orig. §. 3. ubi dicit: *Adæ peccatum quod origine unum est, & propagatione non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium* & sess. 6. cap. 3. *homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti, cùm eâ propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.*

316. His rejectis duæ supersunt sententiæ, quarum prima peccatum originale constituit in priuatione gratiæ sanctificantis seu justitiæ originalis propter pecc. tū Adę ut capitis moralis omnium posterorum; altera verò in dicto peccato ut moraliter perseverante in posteris.

Neque in privatione gratiæ sanctificanti propter peccatum Adami.

Vtraque est valde probabilis, & prima quidem communior: secunda tamen nobis videtur præferenda, ut intelligibilior, & rationum fundamento firmior, cum qua proindè dicimus peccatum originale, sumptum formaliter, seu præcise pro eo, quo Adæ posteri constituuntur formaliter & propriè

pec-

peccatores, & Deo odibiles, non esse priuationem gratiæ debitæ haberi per obedientiam Adami, nequidem partialiter, sed esse peccatum ab omnibus in Adamo commissum, in iisque moraliter ita perseverans, ut quamvis actu & physice sit unum & idem omnibus extrinsecum, reatu tamen & moraliter sit multiplex, & singulis proprium; quia nempe singulos Adæ posteros æque reddit vere peccatores, & proprie Deo odibiles, ac si singulis physice inesset; & quidem singulos in se ipsis, prout ab Adamo & ab invicem personaliter distinguuntur, sic ut licet remissum sit respectu unius; non propterea remissum sit respectu alterius; unde fit ut meritò censeatur, & simpliciter dicatur unicuique proprium, moraliter scilicet & æquiualenter, sicut nobilitas aut infamia Patris inest unicuique filiorum propria, sicut si extinguatur seu desinat respectu unius, non propterea desinat respectu aliorum.

317. Vnde peccatum originale, non est peccatum primi parentis, ut extrinsece posteris imputatum, sic ut (quod videtur voluisse Phigius) propter peccatum alienum odio habeantur ac puniantur; quod refellens Augußt. lib. 3. de pecc. merit. cap. 8. ait *aliena quippè erant quando ij; qui ea propagata portarent, nondum erant; nunc verò carnali generatione eorum sunt, quibus nondum spirituali generatione dimissa sunt.*

318. Ideo autem negamus peccatum originale consistere in priuatione gratiæ sanctificantis etiam partialiter. 1. Quia privatio gratiæ, & quidem in æternum (nisi ponantur conditiones à Deo requisitæ ad illius reparationem) est pœna peccati ab omnibus in Adamo commissi, adeoque nullo modo, etiam partialiter peccatum originale ut actuale, & consequenter nec ut habituale, cùm ut sic non sit aliud, quàm actuale præteritum moraliter perseuerans, seu ut æquivalenter præsens in ordine ad reddendum suum subjectum Deo odibile. 1. Quia ista privatio est effectus peccati.

2. Quia est directè à Deo in ultionem peccati & consequenter bona, ac proinde non potest ullo modo esse id, quo parvuli formaliter redduntur Deo odi- 2. Quia est directè à Deo.

odibiles: hoc enim, cùm sit per se malum moraliter, non potest esse directè à Deo.

319. Neque his satisfit dicendo istam privationem pertinere ad formale peccato originalis, non prout est à Deo in ultionem peccati in Adamo commissi, sed prout est voluntaria in Adamo: vel enim ly *prout* reduplicat illam formam, à quo privatio dicitur voluntaria (quæ non est aliud quam actus peccati ab omnibus in Adamo commissi) ut rationem adæquatam peccati originalis, atque ita significatur, quod solus ille actus sit formaliter peccatum, sicut quod solus actus internus sit formaliter liber, cum externus dicitur liber prout subest interno: vel certè solùm denotat illam formam esse rationem inadæquatam peccati originalis, à qua privatio habeat quòd sit formaliter altera eius pars, atque ita petitur principium, gratis assumendo id, quod est in quæstione. Hic enim quæritur utrum privatio gratiæ Adami prævaricatione secuta sit pars formæ reddentis eius posteros Deo odibiles, & hoc ipsum sine probatione asseritur.

3. Quia potest tolli originale remanente ista privatione, & contra, ergo in ea non consistit ne quidem partialiter.

Adde quod eodem modo dici posset concupiscentia, imo & ipsa mors ut voluntaria in Adamo esse peccatum originale.

320. 3. Denique quia de potentia absoluta potest per condonationem extrinsecam tolli peccatum originale; sine infusione gratiæ, adeoque remanente eius privatione, & juxta varios ex adversariis, potest remanere peccatum originale cum gratia sanctificante. Hinc sequitur peccatum originale aliud non esse, quam peccatum in Adamo patratum, moraliter perseverans ad sensum Aug. l. 6. cont. Iul. c. 8. *manet quippe omnino donec remittatur, ubi ergo manet nisi in occultis Dei legibus &c.*

Sed in solo peccato commisso in Adamo ut moraliter perseverante.

321. Recte tamen dicitur privatio gratiæ ut habendæ per Christum pertinere ad peccatum originale, non quidem tanquam aliquid, quod ullo modo, etiam partialiter, sit obiectum divinæ aversionis per se posteros Adæ reddens Deo odibiles; sed tanquam id, per quod ut removens prohibens

Ad illud tamen aliquo modo concurrit ista privatio, ut conditio sine qua vi præsentis providentiæ non perseveraret.

(in

(in statu præsentis providentiæ, qua Deus decrevit non condonare ullum mortale, sine infusione gratiæ ex meritis Christi) peccatum in Adamo commissum, in nondum regeneratis moraliter perseverat: cùm in hoc rerum statu ista privatio gratiæ sit formaliter non condonatio, per quam peccatum præteritum virtualiter perseverat, quatenus tamdiu ius Deo tribuit ad justam aversionem, quamdiu non est condonatum. Vnde peccatum præteritum non condonatum sive originale, sive personale, est æquivalenter præsens in ordine ad reddendum Deo invisum.

322. Privatio gratiæ sanctificantis hic dupliciter spectari potest 1. quatenus est privatio gratiæ sanctificantis, ut, vi antecedentium Dei decretorum, debitæ haberi per Adami obedientiam 1. instanti conceptionis cum donis justitiæ originalis. 2. quatenus est privatio gratiæ sanctificantis, ut, vi præsentis providentiæ, non aliter habendæ, quàm per Christi merita, positis certis dispositionibus ab ipso requisitis.

Privatio gratiæ ut debitæ haberi per Adamum est mera pæna peccati orig. ut habendæ per Christum est id quo perseverat.

Spectata primo modo est mera pœna peccati originalis ut in Adamo commissi; & qua talis non tollitur per Baptismum aut pœnitentiam: cùm gratia ut debita haberi 1. instanti &c. per obedientiam Adami, renatis non restituatur: imo nec semel perdita per Adami inobedientiam iis possit ulla potentia restitui, saltem quatenus dicit justitiam originalem, seu sanctificationem 1. instanti conceptionis Vnde gratiæ sic spectatæ privatio in renatis permanet ac proinde nullo modo concurrit ad peccatum originale. At verò spectata 2. modo non est mera pœna peccati originalis; sed aliquo modo ejus ut moraliter perseverantis, causa, sc. negativa, seu tanquam removens prohibens, idest, tollens sanctificantem Christi gratiam, qua posita non perseveraret, & qua sola in hoc rerum statu destrui potest.

Bona subinde requiruntur ad mala formalis.

Id quo ex parte hominis perseverat peccatum habituale, sive originale, sive personale, sc. omissio Baptismi, aut pœnitentiæ, est malum

quan-

quando urget præceptum delendi peccatum per media à Deo instituta, aliàs non: id verò, quod ex parte Dei perseverat scil. non condonatio, deficientibus ex parte hominis dispositionibus ad eam requisitis, numquam est mala, sed semper bona & justa peccati vindicta.

Concurrit igitur non condonatio ad peccatum originale ut est habituale, sicut prohibitio (de se bona) ad actum peccaminosum præcise quia prohibetur, nempe non ut pars ex se mala, sed ut mera conditio, sine qua non esset illud malum.

Anselm. vult privationem gratiæ modo explicato cócurrere ad originale eamque solam esse parvulis intrinsecam.

323. Dices Anselm. lib. de conceptu virginali cap. 26. ait: *hoc peccatum quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam per inobedientiam Adæ, justitiæ nuditatem, per quam omnes filii sunt iræ*. Ergo sentit peccatum originale formaliter consistere in privatione gratiæ. R. Dist. conseq. in privatione gratiæ ut in forma seu parte formæ reddentis infantes Deo odibiles. N. ut in conditione sine qua in parvulis non perseveraret moraliter peccatum ab ipsis in Adamo commissum, quo solo redduntur formaliter Deo odibiles C. & Dico Anselm. solùm velle ex iis; quæ ad peccatum originale aliquo modo concurrunt, nihil esse parvulis velut physice intrinsecum, præter privationem gratiæ.

Peccatum originale juxta Arausic. Can. 2. & Trid. sess. 5. decret. de originali σ. 2. est causaliter mors animæ, si per hanc intelligas privationem gratiæ sanctificantis; formaliter verò, si intelligas id, quo anima redditur Deo odibilis. Similiter peccatum actuale est seipso formaliter id, quo anima redditur Deo odibilis, & causaliter privatio gratiæ, qua homo viuit vita Dei participata & constituitur ejus filius adoptivus: gratia enim sanctificans est vita prima supernaturalis seu principium vitæ secundæ supernaturalis, id est motuum seu actuum supernaturalium, quibus anima ab intrinseco movetur supernaturaliter & tendit ad Deum.

Per Baptismum tollitur peccatum Adæ ut moraliter perseuerans, & simul privatio gratiæ

tiæ

tiæ sanctificantis, quam causat.

324. Immediatum subjectum peccati originalis est voluntas: cùm enim in ea immediatè, subjectetur peccatum Adami spectatum physice ut est actuale; etiam in ea immediatè subjectari debet spectatum moraliter, id est spectatum ut habitualiter perseuerans, in quo ponimus originale, quod si poneretur in priuatione gratiæ, meliùs diceretur subjectari immediate in anima, quæ ex communiori est immediatum gratiæ subjectum.

Peccatum originale immediatè subjectatur in voluntate.

325. Solius Adami peccatum traducitur in posteros, & quidem illud solum, quo violauit præceptum de non edendo pomo. Prima Pars Anselmo, Diuo Tho. & cæteris nunc certa, olim visa est incerta Augustino Enchir. cap. 46. aliisque PP. apud Merat. dubitantibus de aliorum parentum peccatis. Prob. efficaciter ex Script. & PP. sup. cit. numer 297. 303. de solo Adamo docentibus, quòd fuerit constitutus caput morale posterorum, & quidem solùm in ordine ad obseruationem aut violationem hujus præcepti: Gen. 2. *de ligno autem scientia boni & mali ne comedas, in quocumque die comederis morte morieris.*

Solius Adami peccatum transit ad posteros & quidem illud dumtaxat, quo violavit præcep. de non comedẽdo, &c.

Ecclesiasticus 25. v. 33 solùm vult Evam primam peccasse, & sua suggestione Adamum induxisse ad peccatum; cùm ait *à muliere initium factum est peccati.*

Augustinus, Leo, Prosp. aliique PP. subinde significantes parvulos obligari peccatis proximorum parentum, intelligendi sunt de sola obligatione ad pœnis hujus vitæ, quibus subinde afficiuntur filii propter parentum delicta.

Quia ipse solus est constitutus caput morale & solùm in ordine ad obseruationem istius præcepti.

326. Ex dictis licet peccatum Adami, juxta S.Th. Bell. & alios, habuerit multiplicem malitiam v. g. superbiæ, infidelitatis, inobedientiæ, gulæ &c. solùm tamen transfunditur quatenus dicit malitiam gulæ, & inobedientiæ; cùm sub ea tantùm ratione Adamus illud commiserit tanquam caput morale posterorum, ut colligitur ex illo Gen. 3. *quia audisti vocem uxoris tua, & comedisti de ligno ex quo praceperam ne comederis.* Idem ex illo ad Rom. 5. *sicut*

tiones possunt explicari de solo debito contrahendi originale.

Dixi, *in sua animatione*, quia aliqui fuerunt sanctificati ante nativitatem ex utero ut Ieremias, Ierem. 1. Ioan. Bapt. Lucæ 1.

Est de fide humanitatem Christi 1. nunquam infectam fuisse peccato originali: cùm ratione unionis hypostaticæ fuerit à 1. instanti suæ conceptionis incapax omnis peccati: 2. non contraxisse debitum peccati originalis: quia cùm non fuerit concepta via ordinariæ generationis per concursum viri, ita carnem traxit ex Adamo, ut non fuerit in illo secundùm seminalem rationem, sed tantum secundùm corpulentam substantiam, ut cum Aug. loquitur S. Th. 3. p. q. 15. ar. ad 2. unde ejus voluntas non fuit collocata in voluntate Adami, in qua solùm collocatæ sunt voluntates eorum, qui ab ipso seminaliter descendunt: adeoque non peccavit in Adamo.

Humanitas Christi fuit illius incapax ratione unionis, & exempta ab illius debito ex modo conceptionis.

§. III.

B. V. MARIÆ immunitas ab originali, & parvulorum ab igne.

329 VIrgo Deipara fuit primo instanti suæ animationis per gratiam ex Christi meritis acceptam sanctificata, atque ita nobilissimo redemptionis genere ab omni peccati originalis labe & diaboli servitute præservata. Hæc conclusio pia, Christo & ejus Matri gloriosa, est longe communissimo Ecclesiæ sensui consona, & juxta varios certa; imo & juxta Duvallium *in apice certitudinis Theologicæ*, juxta Velasq. l. 5. dissertationum de MARIA Immaculatè concepta proximè definibilis à Pontifice etiam extra Concilium.

B. V. Maria fuit concepta sine macula.

Hæc sententia est iuxta varios ex communissimo Ecclesiæ sensu Theologice certa.

Hanc certitudinem præcipuè fundant isti DD. in sensu Ecclesiæ in hanc doctrinam maxime propendentis, ut manifestum est 1. ex eo quod hanc solam publicè sustineri permittat, oppositam verò publicè doceri gravissimis Pontificum decretis adeò severè prohibeat, ut quamvis liceat eam interiùs

1. Quia Ecclesia hanc solam permittit publice sustineri.

alio quàm Conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Nihilominus prout Episcopi ferè omnes Hispaniarum ad nos litteris exposuerunt, pergunt aliqui contraria illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones, tum privatim, tum publicè præfatam sententiam aut impugnare aut vellicare & favorem à Romanis Pontificibus cultui & festo secundùm illam præstitum, ita interpretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui juxta illam B. Virginis exhibito favere negant, pios Christi fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando; unde offensiones & scandala, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. perdurant adhuc, & ex occasione eorumdem adversantium majora hic incommoda in posterum prudenter & meritò timentur.

331. *Quapropter super his tam præfati Episcopi, quàm Philippus Rex Catholicus nobis pro remedio supplicari fecerunt, Nos considerantes quod S. Romana Ecclesia de Mariæ Virginis Conceptione festum celebrari, & speciale super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. emanavit; volentesque laudabili huic pietati, & festo ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo, favere, nec non tueri devotionem hanc colendi B. Virginem; præveniente scilicet Spiritus sancti gratia à peccato originali præservatam; decreta à Sixto IV. & Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis animam B. Virginis Mariæ in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, à peccato originali præservatam fuisse, nec non in favorem festi, & cultus Conceptioni ejusdem Virginis secundùm piam sententiam exhibiti, innovamus, & sub censuris & pœnis in iisdem constitutionibus contentis observari mandamus.*

332. *Insuper omnes & singulos, qui præfatas constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem per illas*

Et sub gravissimis pœnis vetante omnem in contrarium interpretationem qua negetur Pontifices favere piæ sententiæ, eave quovis excogitabili modo in dispu. tationem revocetur.

illas dicta sententia , & festo seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur , vel qui hanc sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare , aut contra ea quoquo modo directe vel indirecte aut sub quovis prætextu , etiam definibilitatis ejus examinanda ; sive sacram Scripturam *aut* SS. PP. *sive* DD. *glossandi vel interpretandi scripto , seu voce , loqui , concionari , tractare , disputare , contra ea quidquam determinando aut asserendo vel argumenta contra ea afferendo , & inso uta relinquendo , aut alio quovis excogitabili modo differendo ausi fuerint , præter pœnas & censuras in constitutionibus* Sixti *IV. contentas , quibus illos subjacere volumus & per præsentes subiicimus , etiam concionandi publicè docendi & interpretandi facultate , ac voce activa & passiua in quibuscumque electionibus , eo ipso absque alia declaratione priuatos esse volumus , necnon ad concionandum publicè docendum , & interpretandum perpetue inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere , à quibus pœnis non nisi a nobis ipsis , vel à successoribus nostris Romanis Pontificibus absolui , aut super iis dispensari possint : nec non eosdem aliis pœnis nostro , & Pontificum successorum nostrorum arbitrio infligendis , pariter subjacere volumus , pro ut subiicimus per præsentes .*

Ac prohibente omnes libros, in quibus pia sent. tent. & cultus secundùm illam exhibitus in dubium revocetur.

333. *Innouantes Pauli V. & Gregorii XV. constitutiones , ac libros in quibus præfata sententia , festum , seu cultus secundùm illam in dubium reuocatur , aut contra ea quomodocumque aliquid scribitur , aut legitur , seu locutiones , conciones , tractatus , & disputationes contra eadem continentur , post Pauli V. supra laudatum decretum edita , aut in posterum quomodolibet edenda prohibemus sub pœnis , & censuris in indice librorum prohibitorum contentis , & ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis habere volumus , & mandamus : Vetamus autem Sixti V. constitutionibus inhærentes , quempiam asserere , quod propter hoc contrariam opinionem tenentes hæresis crimen , aut mortale peccatum incurrant ; cùm ab Ecclesia & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum , pro ut nos nunc*

mi-

minime decidere volumus : quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes præter pœnas quibus eos subiiecit Sixtus IV. gravioribus aliis pœnis subiicimus, quas in contra facientes huic nostræ conclusioni superiùs inflximus.

334. Ex his vides Piæ Virginis Immaculatæ cultor Ecclesiam adeò aperte ac tantopere favere piæ sententiæ, ut saltem jam sit (quod pridem demonstrasse credunt Velasques, Sifilinus & alij) proxime definibilis à Pontifice.

Ex hoc Alex. VII. decreto habetur decisum.

Primò enim ex allatis Alexandri verbis habetur definitum, olim celebratum fuisse, & etiamnum celebrari festum Immaculatæ Conceptionis, hoc est sanctificationis animæ B. Virginis Mariæ *primo instanti suæ creationis, atque infusionis in corpus*: non verò Virginis immaculatæ seu sanctificatæ post primum instans, vel abstrahendo à primo, aut secundo instanti suæ existentiæ, ut (ad eludendam vim, quam non ignorant esse maximam, argumentorum ab isto festo & cultu petitorum) cavillabantur adversarii, quibus Alexander interpositis gravibus pœnis, interclusit cavillatorium hoc effugium; cum decernat objectum cultus, ad quem Ecclesia omnes Christi fideles non solum hortatur & indulgentiis invitat; sed etiam præcepto celebrandi festum Immaculatæ Conceptionis sub mortali obligat, esse B. Virginis sanctificationem non post primum instans suæ existentiæ, sed ipso primo suæ creationis momento, quo *præveniente Spiritus Sancti gratia à peccato originali fuit præservata*.

1. Festum non celebrari de sanctificatione B. V. post 1. instans suæ conceptionis, ut volebant adversarii.

Secundò habetur definitum, pium esse, devotum, & laudabile B. Virginem colere, juxta piam sententiam, ut à peccato originali præservatam.

2. Esse pium devotum & laudabilem cultum B. V. juxta piam sent.

335. Tertiò habetur definitum (quod pertinaciter negabant adversarii) Pontifices Sixt. IV. Paul. V. Gregor. XV. ipsumque Alexandrum, suis decretis de immaculata conceptione, favere piæ sententiæ: cùm Alexander diserte asserat *se Romanorum Pontificum prædecessorum suorum exemplo velle favere cultui B. V. secundùm illam exhibito*

3. Pontifices favere piæ senten.

& ideo innovare decreta à suis prædecessoribus in istius sententiæ favorem edita, ac demum severe sub gravissimis pœnis prohibeat, ne pergant adversarii præfata Pontificum decreta ita interpretari ut sua interpretatione frustrentur favorem, quem Pontifices suis decretis piæ sententiæ præstare intendunt.

Quarto denique habetur gravissime prohibitum esse *quovis excogitabili modo* agere contra piam sententiam, seu contra cultum ac festum juxta illam institutum.

336. Ex his habes 1. ægre ab hujus decreti violatione purgari eos, qui cum Bertrando Lot. in suis Resolutionibus Theologicis tract. 15. ar. 2. pag. 380. asserunt S. Thomam, si iam viveret, adhuc defensurum suam (ut interpretantur) opinionem piæ sententiæ contrariam, idque variis argumentis probant: hoc enim est *indirecte, aliquo excogitabili modo* contra piam sententiam agere, quod severe prohibet Pontifex. 2. libros, ac tractatus post decretum Pauli V. editos, in quibus aliquid continetur piæ sententiæ, cultui ac festo, *quomodocumque contrarium* esse ipso facto prohibitos 3. contrariæ opinionis censuras hæreseos, peccati mortalis, impietatis & similes esse expresse veritas, non alias: unde dici potest minus cummunis, & consequenter minùs probabilis saltem ab authoritate, minus pia, contraria pio & communissimo sensui Ecclesiæ, propensissimo Pontificum favori opposita, & similia.

4. Esse prohibitum contra eam quovis modo agere.

337. Advertunt hic & bene, quidam docti ac devoti piæ sententiæ defensores Alexandrum in suo decreto omisisse hanc decretorum Pauli V. & Gregorii XV. clausulam *per hoc autem sua Sanctitas non intendit contrariam opinionem reprobare, nec ei ullum præjudicium inferre, præterquam quoad supra disposita, relinquens illam in iisdem statu, & terminis, in quibus reperitur*. Ex qua inferebant piæ sententiæ adversarii suam opinionem nihil obstantibus Pontificum decretis permanere in eadem sua probabilitate: sed illatione illegitima, quia Pontifex

Pontifices ac nominatim Alex. piam senten. multis prærogativis oppositæ præferendo eius probabilitatem augent, huius imminuunt.

sex non dixerat se eorum opinionem relinquere in terminis antiquis, sed in illis *in quibus reperitur* sc. jam suppositis iis, quæ in favorem piæ sententiæ disposuerat suo præsenti decreto, quòd piæ sententiæ non potest non favere & consequenter non potest ejus probabilitatem non firmare & augere; neque eam augere, quin eatenus opinioni contrariæ præjudicet, ejusque probabilitatem imminuat. Vnde istam clausulam, quæ videri poterat esse aliquo modo adversariis præsidio, meritò non posuit Alexander in sua constitutione qua piam sententiam tot favoribus extulit, ut contrariæ opinioni non parum præjudicaverit, non quidem illam reprobando, sed ei alteram Sententiam, multis prærogativis ejus probabilitatem stabilientibus, præferendo. Non enim potest una stateræ pars elevari, quin altera deprimatur, nec è duobus contradictoriis unum de novo firmari, quin alterum debilitetur.

338 Nonnulli ex hac Alexandri constitutione inferunt non licere amplius adversariis uti dispensatione Gregorii XV. ad loquendum de hoc puncto ne quidem intra claustra, quia inquiunt Pontifex suas prohibitiones generaliter extendit ad omnes cujusvis ordinis, & dignitatis & omnibus privilegiis quomodocumque contrariis, disertissime derogat his verbis.

Volentes quod contra hujus nostræ constitutionis transgressores, etiam regulares cujusvis ordinis, & instituti etiam Societatis Iesu, & quomodolibet exempto, & alias quascumque personas cujuscumque status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, ut præfertur tam Episcopi, & Prælati Superiores aliique locorum ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati inquisitores procedant, & inquirant, atque in eos strictè animadvertant: nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi ac pœnis coercendi, & puniendi liberam facultatem & authoritatem, iisdem authoritate, & tenore tribuimus, & impertimur eosque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire districte præcipimus &

Quidem inferunt ex hoc Alexan. VII. decreto nulli amplius licere etiam privatim agere contra piam sent. An legitime videri in talii.

mandamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusvis indultis, & litteris Apostolicis, quibusvis personis quantumque qualificatis, & in quacumquo qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumque totis tenoribus, specialis. specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes clausulas, mentis habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes harum serie specialiter expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

An autem hæc illatio sit legitima viderint illi quorum interest. Ceterum quidquid sit de hujus illationis veritate & efficacia, ex hoc Alexandri decreto validissimum contra piæ sententiæ adversarios formatur argumentum hoc modo.

Ecclesia hanc sent. piam vocat, contrariam prohibet. cultum B. V. juxta illam definit esse laudabilem commendat, imperat: atqui non potest errare in pertinentibus ad religionem, ergo pia sent. non potest esse falsa & contraria non potest esse vera

339 Ecclesia, ut ex constitutione Alexandri constat, manifeste & impense favet assertioni Immaculatæ Conceptionis, eam siquidem laudat, piam appellat, multis favoribus commendat, & magnis prærogativis opinioni contrariæ multùm præfert.

Hanc enim solam in Scholarum exedris, in sacris pulpitis, ac libris editis permittit doceri, & sustineri; sub gravissimis pœnis ac censuris ipso facto incurrendis, vetat *quovis excogitabili modo impugnari, vellicari, aut in dubium revocari*, contrariam verò prohibet *quomodocumque publice doceri, aut publicari*, cultum secundùm illam B. Virgini exhibitum declarat esse pium, devotum, ac laudabilem, & habere pro objecto formali seu titulo ac motivo sanctificationem animæ B. Virginis, seu ejus præservationem à peccato originali ipso *primo instanti suæ creationis atque infusionis in corpus*.

340. Atqui

340 Atqui Ecclesia, quæ speciali Spiritus Sancti assistentia sibi à Christo promissa dirigitur, non potest in iis, quæ ad religionem & mores pertinent, approbare falsum & prohibere verum, nec potest cultum falsum, seu de objecto falso & non subsistente, adeoque (ut mox ostendetur) superstitiosum declarare pium esse ac laudabilem, ad illum fideles omnes hortari & invitare gratiis ac indulgentiis, & certo die, nempe 8. Decembris, illum sub mortali omnibus imperare. Ista enim manifeste repugnant infallibilitati, ac sanctitati Ecclesiæ in decretis religionis & morum. Ergo opinio Immaculatæ Conceptioni contraria non potest esse vera, & consequenter ejus pia assertio non potest esse falsa ac proinde, quamvis non sit de fide, est tamen certò vera & instar propositionis Theologicæ, ex pio Ecclesiæ sensu, & ex constitutionibus Apostolicis evidenter, evidentia sc. magna morali, deductæ; adeoque, ut multis probant Velasques, Sifilines & alii, est proxime definibilis etiam extra Concilium.

Confirm. Mi. quia superstitio, juxta Lactan. l. 4. Instit. c. 28. est *cultus falsi*, sicut religio est *cultus veri*. Et omnis falsitas in materia religionis, teste August. l. de mendacio cap. 10. & l. contra mendacium c. 3. est perniciosa. Ergo si B. Virgo non esset concepta sine macula, ejus cultus sub titulo Immaculatæ Conceptionis non esset cultus religiosus, sed superstitiosus & perniciosus. Ergo Ecclesia, cùm die 8. Decembris sub mortali imperat cultum B. Virginis sub titulo Immaculatæ Conceptionis, seu, ut definit Alexander *Sanctificationis 1. instanti Conceptionis*, imperaret actum non religionis, sed superstitionis; non enim imperaret *cultum veri*, sed *cultum falsi*.

Alias Eccl. imperaret cultum superstitiosum quod repugnat ejus sanctitati.

Quod est absurdissimum &, supposita infallibilitate promissionis, qua Deus suam Ecclesiæ assistentiam ita addixit, ut adversus eam in iis quæ ad fidem & mores pertinent *porta inferi non sint pravalitura*, plusquam moraliter impossibile meritò censuit Bernardus Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, quos acriter reprehendit, eo quòd re

necdum satis examinata, & inconsulta Sede Apostolica festum Immaculatæ Conceptionis celebrarent, per quod, inquit, *videtur peccatum honorari vel falsa induci sanctitas*.

Pia sententia favent Scriptura.

341. Pia hæc nostra sententia communissimo ac devotissimo Ecclesiæ sensu, & faventissimis Pontificum ac præcipue Alexandri VII. decretis firmissime stabilita, aliis quoque argumentis. Prob. 1. ex Script. Gen. 3. *ponam inimicitias inter te, & mulierem, & ipsa conteret caput tuum*, ubi per mulierem ex communi interpretum, & Patrum sensu intelligitur B. V. & significatur caput serpentis, id est, peccatum originale ita contrivisse, ut eo nunquam infecta fuerit quod etiam juxta Chrysost. Ildephonsum, & alios PP. apud Nierembergium significatur per illud Luc. 1. *gratia plena, benedicta tu in mulieribus*.

Et expressius PP. Petrus Damia. Laur. Iustinian. Ildephonsus.

342. Prob. 2. ex PP. Petro Damiano, Laurent. Iustiniano, Idiota, Fulberto apud Salaz. expresse asserentibus B. Virginem carere peccato originali.

Ildephonso in serm. de B. V. apud Nierembergium c. 11. sic loquente: *in ea nullum peccatum primæ originis viguit, ab omni peccato originali immunis fuit, neque originale peccatum in utero sanctificata contraxit*.

Anselmo in 1. c. ad Corinth. ubi ait; *omnes mortui sunt à peccatis nemine prorsus excepto, sed dempta Matre Dei, quæ fuit sine originalibus, & sine voluntate admissis*. Vnde refert Duvallius hoc vulgare dictum Anselmi; *non est amator Virginis, qui ejus Conceptionem non veneratur*.

Item licet minus expresse Hieron. Chrysost. S. Andreas.

343. Aliisque, si non expressis terminis, æquivalentibus tamen eandem doctrinam clare tradentibus sc. Hieronymo in Psal. 77. ubi dicit B. Virginem *nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce*. Athanasio serm. de Deipara, *eam dicimus iterum atque iterum, semper & undequaque beatissimam fuisse*. Et in orat. de occursu Domini, ubi eam vocat *intactissimam & impollutissimam*.

Chrys. in sua Liturgia ubi Virginem appellat *imma-*

immaculatam semper beatissimam & penitus incontaminatam. Origene hom. 1. ex variis *non fuisse infectam venenosis afflatibus serpentibus*. Damasc. orat. 1. de B. Virginis Nativitate, ubi beatos dicit Ioachimi lumbos, ex quibus prorsus *Immaculatum semen fluxerit*.

S. Andrea, qui, ut referunt Presbyteri Achaiæ in ejus passione, quam ut legitimam recipit Baronius ad ann. 69. dixit: *sicut primus Adam formatus fuerat ex terra nondum maledicta, ita secundus Adam formatus ex terra virginea nunquam maledicta* qua etiam comparatione utuntur PP. Concil. Francofordiensis, & alii ac nominatim S. Dominicus apud Nieremb. c. 23.

344. August. l. de natura & gratia c. 36. ubi ait: *omnes peccaverunt excepta sanctissima V. Maria de qua propter honorem Dei, nullam prorsus cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus ei plus gratiæ collatum fuisse ad vincendum omni ex parte peccatum* &c. quæ verba ex mente Aug. non solum accipienda sunt de peccatis actualibus, sed etiam de originali, ut patet tum ex illis verbis, *omni ex parte* &c tum ex eo, quod juxta Aug. l. 3. contra Iul. c. 15. hæc inter se connexa sint, *non peccasse in ætate adulta*, & *non contraxisse peccatum originale* ibi enim agens de Christo sic loquitur: *profecto peccatum etiam major fecisset, si parvulus habuisset*: atqui juxta eundem in loco ante cit. B. Virgo in ætate adulta peccatum non fecit, ergo &c.

Et variis locis August.

345. Nec contrarium docet l. 5. contra Iulianum cap. 19. dum ait: *restat ut intelligamus, nisi ea excepta* (nempe carne Christi) *omnem reliquam humanam carnem esse peccati*. Et infra, *cæterum Corpus Christi inde dictum est esse in similitudinem carnis peccati, quia omnis alia hominum caro, peccati est*. Ibi enim tantum vult solam Christi carnem non esse carnem peccati, id est, via ordinaria mediante parentum concupiscentia (quæ est peccatum improprie & sæpe in actu generationis etiam proprie) formatam & conceptam: quo sensu Caro B. V. quamvis exempta à peccato originali, est caro peccati:

Alibi solùm vult eius carnem esse peccati, sc. parentum per concupiscentiam, & sui quoad debitum.

quia nempe B. Virgo ita concepta fuit, ut vi suæ conceptionis originale fuisset contractura, nisi ex speciali privilegio primo instanti animationis ab eo fuisset præservata.

De quo August. intelligit Cajetan.

346. Hoc sensu Cajet. quamvis oppositam teneat sententiam, Augustinum intellexit 1. 2. q. 81. ar. 3. ubi sic loquitur: *August. contra Pelagianos disserit ac definit, de solo autem Iesu Christo verum est, quod ex ipsa generatione nulli obnoxius est peccato*. Et addit, certum esse B.V. eo sensu incurrisse peccatum originale, id est, *necessitatem habendi peccatum originale*, & hoc sufficere ad indigentiam redemptionis. *Neque enim*, inquit, *solùm redemptione eget actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati, & hac bene notabis tu Thomista, ne nimio zelo, non secundùm scientiam accensus erronea dicas, quo non sunt erronea, cùm de Beatissima Virginis Conceptione disputas*.

Favet etiam Bernard. licet alibi videatur adversari.

347. Bernardo sup. Antiph. *Salve Regina*, ubi sic B. V. alloquitur: *Innocens fuisti ab originalibus & actualibus peccatis, nemo ita præter te*. V. Cavellum in Appendice ad l. 3. Scoti ubi allatis PP. testimoniis, qui ab initio Ecclesiæ per singulas ætates floruerunt, erudite probat hanc de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam esse antiquissimam, & PP. authoritate confirmatissimam Ecclesiæ traditionem.

Confirmatur 1. efficaciter ex communi sensu PP. Concil. Basileens.

348. Prob. 3. Ex Concil. Basileens. in quo definitum est B. Virginem esse conceptam sine macula, quod licet non fuerit legitimum, nec ejus acta, saltem universaliter, à Pontifice approbata, ac proinde non faciat (ut voluit Clictoveus) propositionem esse fidei, ex eo tamen evidens est quis tunc fuerit Ecclesiæ sensus in suis Episcopis, aliisque Prælatis, ac DD. ibi magno numero congregatis.

349. Prob. Ex consensione Patrum sup. 200. in Trid. Congregatorum, qui ubi actum est de Virginis Conceptione, omnes exceptis paucissimis, usque, præter unum aut alterum, Dominicanis, suffragium dederunt pro definienda immaculata Conceptione, quod & factum fuisset, nisi ob instan-

ſtantiſſimas preces aliquor. Epiſcoporum & Theologorum Ordinis S. Dominici dilationem rogantium res fuiſſet dilata. Quod apud Nieremberg. in libro, qui inſcribitur: *Exceptiones Tridentini pro omnimoda Deipara puritate* c. 28. teſtatur ex actis originalibus Concil. Tridentini aſſervatis Romæ in Caſtro S. Angeli P. Nicolaus Lanſcitius tomo 2. opuſc. 11. c. 13. his verbis: *Legi & deſcripſi an.* 1599. *ex actis originalibus Conc. Trid. (quæ aſſervabantur in Caſtro S. Angeli Romano, & cum expreſſa licentia Clement's VIII. fuerunt* Petro de *Arrubal & mihi ad aliquot horas exhibita à Cardinali Caſio) ex aliquot Decadibus Epiſcoporum deputatorum ad tractandum de hoc puncto Conceptionis B. V. Mariæ, omnes aſſeruiſſe illam eſſe conceptam ſine peccato originali, ſolus quinque contrarium dixiſſe; poſtea in alia ſeſſione fuiſſe concluſum, ut tandem determinaretur à Conc. Trid. illam eſſe conceptam ſine peccato originali; ſed ob inſtantiſſimas preces aliquot Epiſcoporum & Theologorum, qui Concilio aderant, rogantium ne hac vice decretum illud ederent; ſed ſuperſederent, & ad aliud tempus illud reiicerent; Concilium ſuperſedit, & decretum illud non vulgavit. Ita habetur in illis actis Conc. quæ diligentiſſime legi, & hac tunc exſcripſi.* Idem ex iiſdem actis teſtatur Doctor Hieronymus Ormachea in Cant. Prolegom. 3. verbo *Concilium Tridentinum*, cujus verba V. apud Nieremb. ſup.

2. Ex propenſione PP. Conc. Trid. in piæ ſent. definitionem.

Hoc ipſum refert Ambroſius Catharinus Dominicanus (qui Concilio interfuit) in præfatione diſputationis pro immaculata Conceptione.

350. Prob. 5. ex conſpiratione præcipuarum totius orbis Academiarum, quæ ex indubitata perſuaſione veritatis hujus piæ ſententiæ, ſe ejus defenſioni voto ſolemni addixerunt, inter quas numerantur.

Pariſienſis in Gallia, Complutenſis, Salmaticenſis, & Hiſpalenſis in Hiſpania; Conimbricenſis & Eborenſis in Luſitania; Colon. & Moguntina in Germania; Cracovienſis in Polonia; Neapolitana, Panormitana in Italia: aliæque permultæ in omnibus orbis Chriſtiani Regionibus, ex quibus non

3. Ex conſpiratione Academiarum pro Immac. Concept.

paucæ

paucæ sanxerunt, ut gradus Licentiæ aut Doctoratus in Theologia nulli conferatur, nisi præstito priùs juramento de tuenda B. Virginis Conceptione Immaculata.

351. Laudabile hoc tot illustrium & Academiarum secuta est exemplum Vniversitas Duacena ann. 1662 die 2. Iulii cum in Patronam solemni pietate sibi delegit MARIAM sine labe conceptam hac verborum formula.

Quibus accessit Duacenæ an. 1662.

Sancta Maria sine peccato originali Concepta Virgo Dei Mater semper intacta, nos Rector, & Universitas studii generalis oppidi Duacensis, Te hodie in Dominam, Patronam, & Advocatam, ac Præsidem perpetuam uno ore & animo elegimus, parati, tuam sine macula Conceptionem, una cum Sanctiss. D. P. N. Alexandro VII. ita adhortante, cum universi orbis majori jam parte ita sentiente, ubique terrarum palàm asserere semper ac tueri. Ita tu vicissim rege doce, protege ac sine macula nos tuosque omnes Academicos Duacenses conserva: dum in Cœlum Filii Tui Regnum, in quod nihil coinquinatum intrare poterit, aliquando admittamur, Amen.

5. Ex consensu SS. ac religiosorum etiam ex ordine S. Dominici.

352. Prob. 6. ex pio consensu plurimorum Sanctorum, quia 400. annis floruerunt, ac omnium fere Religiosorum, exceptis Prædicatoribus, è quibus tamen non pauci piæ sententiæ suffragantur, inter quos recensentur à Nierembergio cap. 22. & seqq. S. Dominicus, qui, ut referunt varii apud Nieremb. & teste Duvallio, habetur in quibusdam exemplaribus ejus vitæ Immaculatam B. Virginis Conceptionem tenuit & coluit, de qua Nigatol. & Bernardinus de Busto intelligunt hoc, quod ab eo dictum fertur: *sicut primus Adam fuit ex terra virgine & nunquam maledicta formatus, ita docuit in secundo Adam fieri*. S. Vincentius Ferrerius, cujus hoc testimonium de Immaculata Conceptione: *B. Virgo à peccato originali & actuali immunis fuit*: esse propria ejus manu scriptum instrumento publico probatum habetur apud Nieremb. c. 24. §. 3. S. Ludovicus Bertrand. in Serm. de Conceptione B. Virginis apud eundem, eodem

c. §.

c. 5. Granatensis, Lanuzà, Catharinus aliique multi apud Nieremb. sup. ex quibus omnibus præmissis efficaciter sublumitur.

353 Atqui videtur à bonitate & sapientissima Dei providentia alienum permittere (quod hactenus numquam accidit) ut Ecclesia, cui Christus specialem ad vitandas falsitates assistentiam addixit, tanta Pontificum, Episcoporum, Doctorum, ac virorum sanctitate illustrium conspiratione feratur ad tuendam in mysterio Religionis opinionem falsam & Scripturis contrariam. Ergo hæc nostra sententia ex communi Ecclesiæ sensu manifeste magis pia, quantùm per Ecclesiam licet, tenenda est, ut indubitata & proxime definibilis ab Ecclesia. Cùm constet varias propositiones de B Virginis jam ab Ecclesia definitas priusquam definirentur non habuisse plura, imò nec tot argumenta ad suæ veritatis probationem: ut quòd *nativitas ipsius fuerit sancta*, quòd *nullum actuale peccatum admiserit*, quòd *corpore & anima sit in cœlum assumpta*, quòd *nullos in partu dolores sit passa*, & similia.

Ex quibus videtur suæ sent. esse indubitata & proxime definibilis ab Ecclesia.

354 Confir. ex variis miraculis & revelationibus apud authores passim, ac nominatim ex revelationibus S. Brigittæ à Cardinali Turrecremata, Catharino, aliisque Dominicanis probatis ac multum commendatis, in quibus l.6. c. 9. pag. 470. B. Virgo sic loquitur: *Veritas est quod ego concepta fui sine peccato originali & non in peccato* & l. 5. in fine pag. 409. ubi Deus Pater affirmat: *Mariam ex peccatoribus quidem natam, attamen sine peccato conceptam*. His revelationibus opponit Cajet. revelationem contrariam factam S. Catharinæ Senensi; sed cum illam non probet, nec ulla fiat ejus mentio in vita S. Catharinæ etiam a Dominicanis conscripta meritò rejicitur ut nulla.

Porrò ex variis miraculis in piæ sententiæ confirmationem factis, unum suum favorem factum refert Catharinus Dominicanus Episcopus Minorensis in opusculo à se edito pro Immaculata Conceptione, ubi ait: cùm essem à Latronibus in itinere cum tribus sociis circumvallatus, B. Virginem

5. Ex probabilissimis revelationibus & miraculis.

nem invocavi, ut me ita eo discrimine redimeret, sicut ergo illam redemptam credidi, sic nempe ut à captivitate peccati, quam alioqui erat incursura, fuerit præservata: unde ejus ope factum est, ut solus fuerim à captivitate & spoliatione præservatus, tribus aliis comitibus meis capitis, spoliatis ac post modum liberatis, qualiter B. Virginem ab originali liberatam, non præservatam, volunt adversarii.

Historia Canonici in piæ sententiæ favorem suscitati est, teste Sifilino, probabilissima.

355 Inter plurima miracula ab Historicis fide dignis in piæ sententiæ commendationem relata, illustre est illud de quo meminerunt Doctor Torres l. 2. c. 4. Doctor Tenas Episc. Tortosæ in Concione de Conceptione, Setranus l. 2. de Concept. c. 2. Vega in Theologia Mariana nu. 362. Basilius Pontius aliique permulti doctrina & virtute clari, & refertur à Sifilino in corolla Virginea sub finem pag. 95. ubi ait: anno 1424. 8. Septembris Franciscus Muletus Canonicus Manresanus à Francisco Planes sicario in templo principe Manresano interfectus, post aliquot mortis horas, B. Virginis gratia, quam impense coluerat, licet ei immunitatem ab originali pertinaciter negaret, vitæ est restitutus, ut Sacramenta susciperet, suam opinionem, quam justo acriùs defenderat, revocaret, & piam de Immaculata Conceptione sententiam, quam ante tribunal Christi veram esse didicerat, prædicaret & ut piam ac verissimam omnibus commendaret; quod prolixe præstitit, ac post 9. vitæ sibi redditæ horas, ut prædixerat, Sacramentis prius rite susceptis, iterum pie obivit.

356 Hæc narratio, inquit Sifilinus, est liquidissimæ, & firmissimæ authoritatis: cùm de ejus veritate ab iis, qui rebus fidei in Hispania præsunt, authentica inquisitio sæpiùs facta sit; nempe an. 1483. 1525. 1618. 1653. & inventa sit invicte probata, adeoque pro verissima omnibus habita. Unde ait, se nullam hactenus, exceptis iis, quæ sacris Codicibus continentur, legisse historiam, quæ majorem authoritatem & fidem præ se ferat. Plurima his affinia facile inveniet immaculatæ Virginis amator in historiis miraculorũ Marianorum,

rum, quibus similia nunquam proferent adversarii pro opinione sua piæ sententiæ contraria : pro his vide Laurentium Surium in commentario rerum in orbe gestarum an. 1501. 1509. Speculum adhortationis Iudaicæ editum an. 1509. Lud. Mimbourg. in Hist. Schis. occidentis an. 1387.

Mihi cum Suar. Bell. Vasq. & aliis communius, contra Catharin. Valen. Salazar. Duvallium, & alios videtur longe probabilius B. V. peccasse in Adamo, sic ut contraxerit debitum peccati originalis incurrendi, nec solùm remotum (de quo satis constat) situm in eo quod vi suæ generationis via ordinaria factæ, certò peccasset in Adamo, nisi fuisset excepta à lege omnibus Adæ posteris communi; sed etiam proximum situm in eo, quòd ejus voluntas, æque ac cæterorum posterorum fuerit, modo supra explicato n. 305. contenta in voluntate Adami peccato consentientis, sic ut proinde vi istius consensus, qui quidem physice est solius Adami, moraliter verò etiam B. Virginis, sicut cæterorum ab Adamo propagatorum, peccatum originale fuisset contractura, nisi gratia primo instanti generationis præventa, ab eo actualiter contrahendo fuisset impedita. Hoc enim significant universales Scripturæ ad Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt* : & PP. idem docentium locutiones, nec habemus ex sensu Ecclesiæ, ejusve DD. solidum fundamentum B. V. excipiendi quo ad hoc debitum, sicut quoad actualem peccati originalis infectionem; & admisso hoc debito melius intelligitur quomodo B. V. indiguerit, & gavisa sit Christi redemptione, ad quam ex Zozim & Aug. Epist. 157. prærequiritur captivitas, sic enim juxta Cajet. sup. n. 346. rectè dicetur fuisse captiva in Adamo, & in seipsa quoad debitum.

Videtur B. V. peccasse in Adamo & contraxisse debitum originalis.

Hoc indicant universales Script. & PP. locutiones, nec est ratio ab iis excipiendi B. V.

357 Notandum pro solutione objectionum ex usu PP. & antiquorum Scholasticorum in hac materia 1. per peccatum originale sæpe intelligi ejus debitum.

2. Per conceptionem subinde intelligi perfectam, id est animationem, & sæpe solùm imperfectam,

fectam, id est formationem corporis necdum animati, & hanc dici maculatam, hoc sensu quod facta sit via naturali ex Adamo, sicut vi illius sequi debuerit animatio maculata, nisi per gratiam fuerit impedita.

Peccat. Originale sæpe accipitur pro eius debito, conceptio pro imperfecta, & peccatum pro concupiscentia.

358 3. Per ly *concepta in peccato originali*, sæpe intelligi non peccatum ipsius prolis conceptæ, sed parentum, qui actum generationis exercuerunt cum motu concupiscentiæ, quæ ab Apostolo dicitur peccatum, sc. improprie & in isto actu, quamvis de se licito, sæpe habet peccatum proprie dictum, sc. veniale, sibi annexum ratione excessus libidinis. Certum est hoc sensu sæpe locutum esse Bernardum, dum significavit B. Virginis Conceptionem fuisse maculatam, ut Epist. 174. ad Canonicos Lugdun. dum ait: *Non valuit B. V. ante sancta esse, quàm esse: siquidem non erat antequam conciperetur ... An verò inter amplexus maritales Sanctitas se ipsi Conceptioni immiscuit, ut simul, & sanctificata fuerit & concepta ... peccatum quomodo non fuit ubi libido non adfuit ... ante conceptum sui sanctificari minimè potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso conceptu propter peccatum, quod inerat;* Quæ manifeste intelligenda sunt de Conceptione imperfecta antecedente animationem & de peccato improprie sumpto pro concupiscentia vel de peccato parentum. *Restat, ut post conceptum in utero jam existens sanctificationem accepisse credatur*: nempe post conceptum imperfectum ipso instanti conceptus perfecti, seu animationis, quo incœpit existere, & simul tempore sanctificari, licet posterius natura.

Sic intelligit Bernard. ut patet ex eius verbis.

359 4. Per ly *sanctificata post animationem*, sæpe intelligi posterioritatem naturæ, non temporis. Quæ omnia ex Anselmi Bonav. & aliorum antiquorum verbis evidenter demonstrat Nieremberg. c. 17.

Script. & PP. solùm Christum ab originali ex-

360 Dum Scripturæ, Fulgentius, Bernard. aliique PP. generaliter dicunt omnes, Christo excepto, contraxisse peccatum Adæ, intelligi debent de debito, vel certe subintelligi debet excepto de B. Virgine,

gine, sicut quando generaliter significant omnes adultos actualia admittere. Vnde ubi de peccatis agitur, B. Virgini convenit illud Assueri Estheris 15 *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* cipiente loquuntur de debito.

Hinc B. Virgo non fuit obnoxia morti, ut pœnæ in vindictam peccati reipsa contracti, sed ut defectui ex pugna contrariorum homini naturaliter convenienti.

371 De mente S. Thomæ hic magna est controversia, Thomistæ communius tenent ipsum sensisse Virginis conceptionem fuisse maculatam. Quod negant Canisius l. de B. Virgine c. 6. Salmeron in Epist. ad Rom. 51. Henric. in sum. l. 3. de Sacrament. c. 11. Nieremberg. c. 31. & apud hunc eodem capite & sequentibus alii non pauci etiam ex Ordine S. Dominici.

Videtur probabilius sanctum Thomam non docuisse B. Virginem fuisse infectam macula peccati originalis 1. instanti suæ conceptionis perfectæ, seu suæ animationis.

Prob. 1. ex 1. dist. 44. a. 3. ad 3. his verbis: *& talis fuit puritas Virginis, quæ à peccato originali & actuali immunis fuit.*

2. Ex comment. super Epist. Pauli, quem certum est, inquit, Nieremberg. S. Thomam scripsisse post Summam, in Epist ad Galat. lect. 6. ubi sic habet: *Virum de mille unum reperi*, sc. Christum, *qui esset sine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omninò immunis esset ad minus originali vel veniali, excipitur purissima & omni laude dignissima V. Maria.* Quæ exceptio invenitur in impressionibus horum commentariorum, quæ factæ sunt Parisiis an. 1529. & 1532. ac Venetiis 1555. S. Th. nobis variis locis aperte favet.

3 Ex antiquo codice operum S. Thomæ super Epist. S Pauli an. 1625. reperto in Bibliotheca Cardinalis Sforza, & per Cardinalem de Trexo exhibito Vrbano VIII. ad illum textum: *Omnes peccaverunt in Adam.* Sic habet S. Thomas *excepta B Virgine, quæ nullam contraxit maculam originalis peccati.* Quæ tamen exceptio in quibusdam recen-

recentioribus impressionibus non reperitur. Vnde patet opera S. Thomæ esse depravata in hac materia, an ex industria, aut ex errore, Deus scit.

362 Dices, S. Thom. apertè docet B Virginem non fuisse immunem à labe originali 1 2. q. 89 a. 3. O, ubi ait: *Respondeo dicendum quod secundùm fidem Catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines præter Christum ex Adam derivati peccatum originale contrahunt. Alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum.* Et 3. p q. 27. a. 2. O. & ad 2. ubi ait: *Quod si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio peccati originalis inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundùm quam est universalis omnium Salvator.*

Intelligendus est de debito cùm videtur adversarii.

R. N. aff. & dico S. Thomam 1. loco intelligendum esse de debito modo sup. explicato n. 346. vel de potentia seu non repugnantia peccati, sic ut tantùm voluerit soli Christo, ratione dignitatis personalis, repugnare omne peccatum.

363 Quod verò ab omnibus ita sit intelligendus manifestum est: quia alioqui ejus propositio esset aperte falsa, imò, saltem jam, erronea & repugnans decretis Pontificum, sicut hæc Bajana inter damnatas à Pio V. & Greg. XIII. 73 *Nemo præter Christum est absque peccato originali Hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum.*

Eodem sensu intelligendus est 2. loco sup. objecto ut eum explicant non solum Velasques, Nieremberg. & alii tum Scotistæ tum Iesuitæ, sed etiam è Dominicanis Ioannes à S. Thom disp. 2. supr. 2. partem in procem. a. 2 Francisc. Aravio Episc. Segobiensis sentientes S. Thom. in materia hic controversa de actuali infectione peccati originalis nihil determinasse.

Hæc explicatio mentis D. Th. suadetur 1. ex eo, quòd debitum peccati originalis, (ut ostendit Cajet. sup n. 346.) abunde sufficiat ad hoc, ut B. Virgo indiguerit Christi redemptione, quæ est tota ratio, qua ibi nititur S. Doct 2. ex ipso titulo articuli objecti: *utrum Beata Virgo fuerit sanctificata ante animationem:*

nem ; hæc enim quæstio alio non potest sano sensu intelligi, quàm de Sanctificatione, seu privilegio tollente debitum peccati ante ipsam animationem.

Pat. ex eius ratione, & titulo art.

Hanc explicationem docta & efficaci ratiocinatione confirmat insignis Thomista R. P. F. Iacob. Hoechstraten. S. Theol. Doctor & Inquisitor in Margarita moralis Philosophiæ anno 1521. edita Coloniæ in qua lib. 3. cap. 17. piam sententiam ex D. Thom. defendit, his verbis : *Sequitur etiam quarto loco finaliter ex præmissis, ex quo omnes homines naturam humanam acceperunt ab Adam secundùm seminalem rationem præter solum Christum, ideò de communi lege omnes homines contrahere debuerunt originale peccatum præter solum Christum. Et quidem lex ista communis cum suo rigore est in Scripturis ita universaliter & ita firmiter fundata, quòd ab ea præter Christum, nullum humanæ speciei individuum debeat intelligi exceptum, nisi per privilegium & gratiosissimum & summa ratione vel necessitudine fundatum, ut de unica illa benedictissima Dei Genitrice Maria & pie creditur & rationabiliter est tenendum. Nam quemadmodum eam ab omni peccato immaculatam supra omnes Angelorum choros exaltatam, quamvis hoc Scriptura non exprimat Canonica, tamen de eo sancta Mater non dubitat Ecclesia, ita & eam ab omni contagio originalis culpæ mirifice præservatam rationabiliter colit & veneratur pia Christi fidelium non improbanda devotio. Oportuit enim ut Mater Dei maxima puritate niteret* 1. 2. q. 81. a. 5. *ad* 3 *& quidem secundùm beatum Anselmum ea puritate nitere debebat, qua major sub Deo nequit intelligi. Vnde puritas B. Virginis (quæ erat ab omni peccato originali immunis) tanta fuit ut ea nihil creatum inveniri posset purius. Nam ut inquit S. D. in* 1. *dist.* 44. *ar.* 3. *ad* 2. *potest aliquid creatum inveniri quo nihil purius esse possit in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato actuali & originali immunis fuit, hac sanctissimus Doctor supr. de Beatissima Virgine. Nec mirum, quia ab æterno ad*

Hunc S. Th. sensum exponit & sequitur insignis Thomistæ.

hoc eam praordinavit divina sapientia, ut de ejus puriſſimis Sanguinibus carnem aſſumeret humanam ſpecioſus forma præ filiis hominum, qui eſt Deus glorioſus in ſæcula benedictus, Amen.

Quamvis S. Thom. valde faveat piæ ſent. probabile eſt oppoſitam tenuiſſe.

364 Atque hæc dicta ſint de mente S. Thomæ in favorem piæ ſententiæ cui S. D. numquam adverſatum fuiſſe, ſed multum faviſſe, imò & eam tenuiſſe, præter ſup. citatos, fuſe & docte probat M Gaſpar Catalan. de Mozonis Dominicanus electus Epiſc. Ilerdenſis in Epiſt. ad D. de Lanuza apud Nieremberg. c. 24. quibus non obſtantibus.

Fatendum eſt probabilem eſſe opinionem Bertrandi Loth, tract. 15. art. 2. pag. 378. aliorumque Thomiſtarum, qui ſentiunt D. Thomam docuiſſe B. Virginem non fuiſſe ſanctificatam ante conceptionem, nec in ipſa conceptione, ſed poſt conceptionem, ſeu infuſionem animæ in corpus, quod inquiunt, S. Thom. clare ſignificare in Pſalm. 13. *Solus Christus nec peccatum contractum habuit, nec commiſſum B. Virgo habuit contractum*. Quodlib. 6. qu. 6. art. 7. *Creditur quod B. Virgo citò poſt conceptionem & animæ infuſionem fuerit ſanctificata*, in opuſculo 8. ubi exponit Salutationem Angelicam: *Chriſtus ſine originali conceptus & natus eſt; B. Virgo in originali eſt concepta, ſed non nata*, 3. p. q. 27. ar. 2. ad 2. *B. Virgo contraxit quidem originale, ſed ab eo fuit mundata, antequam ex utero naſceretur* in 3. ſent. diſt 3. q. 1. ar. 1. q. 2. *Sanctificatio B. Virginis non potuit eſſe ante infuſionem animæ, neque in ipſo inſtanti infuſionis: ut ſc. per gratiam tunc ſibi infuſam conſervaretur, ne culpam originalem incurreret: quia ſic redemptione non indiguiſſet, quod ſoli Chriſto convenit*. Idem reperit ad Hannibaldum 3. diſt. 3. q. 1. ar. 1. *Dicendum quòd B. Virgo neque ante conceptionem, neque in conceptione ante animæ infuſionem ſanctificata fuit, neque in ipſo inſtanti infuſionis animæ, quia ſic non contraxiſſet originale, ſicut neque Chriſtus; & ideò omnibus non conveniret redimi per Chriſtum, ſed tantùm ſanctificata creditur poſt animæ infuſionem.*

Quod probat Loth ejus verbis.

365. Quæ

365 Quæ tamen & similia cùm explicari possint ut supr. num. 357. vel cum Ioan. à S. Thom. de debito, vel de posterioritate naturæ, sic ut sensus sit S. Virginem non fuisse sanctificatam ipso primo instanti præcisivo infusionis animæ, sed post scil. posterioritate naturæ, seu in secundo instanti naturæ seu rationis: quatenus in eodem instanti reali priùs est animam esse; quàm gratiam sanctificantem, cujus est subjectum, recipere: nec plus requiratur ad hoc, ut salvetur, B. Virginem fuisse redemptam per Christum; quòd unice intendit S. Thomas, ut patet ex ejus verbis, & alibi, ut sup. num. 361. ostensum est, piæ sententiæ multum faveat, standum videtur in concl. sup. n. 361. posita.

Benigne tamen explicabilis de debito & prioritate rationis.

366 Verius videtur S. Thomam, si jam viveret, studiose amplexurum piam sententiam, ita sentit Ioan. à S. Thoma hujus sæculi Thomista celeberrimus, & ratio est, quòd jam constet ex decreto Alexandri VII. sup. n. 330. Ecclesiam celebrare festum Conceptionis B. Virginis, id est, illius sanctificationis 1. instanti creationis, seu infusionis ejus animæ in corpus: unde cùm S. Thom. sentiat non posse celebrari festum de non Sancto, & inde cum Bonav. & aliis inferat 3. p. q. 27. art. 1. B. Virginem fuisse sanctam in sua nativitate, quia de illa festum celebrat Ecclesia; indubie jam, eodem argumento, inferret B. Virginem fuisse sanctam in sua Conceptione; cùm jam constet Ecclesiam de illa festum celebrare.

Si iam esset nobiscum, sentiret, ut recte Ioan. à S. Thom.

Hanc Ioannis à S Thoma opinionem ait Bertrandus Loth loco sup. cit. num. 364. esse *frivolam & sine fundamento*, quod probat hoc argumento: quia hæc propositio, si S. Thom. viveret mutaret antiquam sententiam, est de futuro conditionato contingenti, non habente necessariam connexionem cum conditione, ut patet, adeoque juxta regulam Dialecticorum falsa. Quod argumentum aperte nullum est, cùm ejusmodi propositiones ex usu communiter recepto, non sumantur in sensu illativo; sed per modum enuntiationis simplicis;

Quod refell. lit Loth sed inefficaciter.

ut eum variis docet Dominicus Soto l. 3. summul. c. 8 & patet in quotidianis sponsionibus ac promissionibus de contingenti conditionato. Vnde Bertrandi resolutio huic argumento enixa magis meretur vocari frivola, quàm Ioannis à S. Thoma aliorumque pia interpretatio mentis Angelici Doctoris.

Cæterum hic observandum est, quod rectè monet sanctus Antoninus 1. p. sum. tit. 8. c. 2. his verbis: *Sic uni istarum opinionum homo inhæreat, ut paratus sit tenere contrariam, si Ecclesia contrarium determinaret.*

Parvuli sine Bapt. mortui patiuntur pœnam damni.

367 Fide certum est ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. parvulos in originali decedentes puniri pœna damni seu privari visione beatifica & hoc sensu damnari juxta Apost. ad Rom. 5.

Probabilius est eos non puniri pœna ignis æterni ita Magist. S. Thom. Scot. Bonav. Richar. Henric. & cæteri antiqui è recentioribus Mol. Med. Vasq. Bell. Mald. Herinx & cæteri communissime contra Dried. Florentium Contium Estium, Sylvi. Iansl. Ipren. & alios recentiores.

Prob. 1. ex Script. Apoc. 18. *quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*, sed parvuli propriè non se glorificaverunt, nec fuerunt in delitiis, ergo &c.

Non tamen pœnam sensus, seu ignis æterni, ita PP. & DD. communior sensus, favente Aug.

2 Ex PP. Nazianz. orat. in S. Lavacrum dicente parvulos, *nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo judicio affici*. Ambr. l. de Abrah. cap. ultim. docente *habituros pœnæ immunitatem, sed non regni honorem*. Nyssen. orat. de infantibus, asserente *eos in doloribus non futuros*. August. lib. 5. contra Iulian. c. 6. aliàs 11. sic loquente: *Non dico parvulos sine Christi Baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret*. Et infra *quis dubitabit parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissima futuros, quæ, qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eis ut nulli essent, quàm ut ibi non essent, potiùs expediret*: atqui damnatis omnibus ad gehennam ignis convenit illud Christi

Matth. 26. *melius erat ei si natus non fuisset homo ille*, ut observat ipsemet Aug. supra: ergo non censet parvulos igne torqueri.

3. Ex communissimo omnium fere antiquorum & recentiorum sensu, qui (teste Bonav.) magis concordat pietati & judicio rationis; & *cui contrarie* (inquit Greg Arim.) *non est tutum*.

Scripturæ in contrarium loquuntur de adultis ex operibus judicandis.

368 Dices Matth. 25. v. 30. in descriptione judicii solùm statuuntur duo ordines omnium judicandorum, unus à dextris electorum, alter à sinistris reproborum, quibus dicetur: *Ite maledicti in ignem æternum*; atqui parvuli non erunt à dextris ergo à sinistris. Ergo iis dicetur: *Ite in ignem*, ergo cruciabuntur igne.

R. 1. ibi solùm describi judicium quatenus exercebitur circa adultos judicandos de bonis aut malis operibus, ut patet ex motivo utriusque sententiæ, *esurivi enim* &c. Et quidem juxta Bell. circa solos adultos, qui sunt in Ecclesia, quod Confir. 1. ex Aug. ita sentiente l. de fide & operibus c. 15. & l. de 8. Dulcitii quæstionibus q 12. Quia Christus ibi loquitur solis fidelibus quos hortatur ad bona opera, docens non sufficere fidem sine operibus. 3. quia similiter de solis adultis explicari debet illud Apoc. 21. *Qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis:* cùm ibidem habeatur: *libri aperti sunt, & judicati sunt mortui ex iis quæ scripta sunt in libris secundùm opera ipsorum*, quæ opera solis adultis proprie conveniunt.

R. 2. N. ult. conseq. possunt enim parvuli (ut rectè Bell.) esse missi in infernum tamquam in carcerem, & tamen ejus igne non uri; hoc enim non esset, ut docet Aug. *pœna levissima*. Eodem sensu intelligendæ sunt aliæ Scripturæ, ut parabolæ de *tritico & paleis*, de *arbore infructuosa*, de *zizaniis &c.*

Aug subinde favens contrariæ sent. solùm vult, contra Pelagianos, parvulos non futuros in loco voluptatis.

369 Dices 2. August. serm. 14. de verbis Apost. ait: *Dominus judicaturus duas partes facturus est, dexteram & sinistram: sinistris dicturus est: Ite in ignem æternum: dexteris: Venite benedicti &c. nullus relictus est medius locus ubi ponere queas infantes.*

R. 1. Vasq. Herinx, & alios fateri, nec absre Aug. Fulg. & Greg. fuisse in opposita sententia R. 2. cum S. Thom. qu. 5. de malo ar. 2. Præpos. & aliis August. solùm velle non dari locum medium ad sensum Pelagianorum, qui dicebant parvulos habituros alicubi fœlicitatem extra regnum cœlorum: sic ut solùm significet illos tanquam reos esse mittendos in infernum; ita ut ignem æternum accipiat, vel pro loco inferni, ubi est ignis æternus, vel pro damnatione & pœna. Confir. hæc explicatio 1. ex verbis Aug. sup. num. 367. pro nostra assertione citatis 2. ex l. 3. de lib. arb. c. 23. ubi agens de parvulis dicit, *non esse metuendum ne sententia judicis esse possit media inter præmium & supplicium; cùm vita potuerit esse media inter rectè factum & peccatum*: scilicet actuale.

Fuerunt itaque voluntates parvulorum moraliter & æquivalenter in voluntate Adami in ordine ad contrahendum peccatum sibi proprium, quo reddantur in seipsis Deo odibiles, & digni pœna damni; non tamen quo reddantur digni pœna ignis: illud enim ex Script. & PP. constat, non hoc, sed ex iis contrarium colligitur.

Parvuli in Adamo non meruerunt pœnam ignis sed solam pœnam damni, in illis longe leviorem.

370 Pœna damni prout est in parvulis exiguam habentibus notitiam beatitudinis supernaturalis, & ejus carentiæ malum (Deo ita providente) non multum apprehendentibus longe levior est, quàm cruciatus gehennæ ignis. Deinde pœna damni, sita in privatione boni supernaturalis indebiti, est magis proportionata modo peccandi parvulorum, non in se ipsis, sed in suo capite morali in ordine ad bona supernaturalia, nullam in seipsis ex peccato delectationem percipiendo.

Sunt in termino viæ, adeoque etiam doloris & gaudii.

Parvuli post resurrectionem habebunt corpora, non quidem prædita dote impassibilitatis beatorum corporibus propria; Deo tamen ita providente nihil ab extrinseco doloris, uti nec voluptatis percipientia; quia sunt in termino viæ, adeoque in statu invariabili quoad perceptionem doloris & gaudii. Sunt tamen deterioris conditionis, quam forent homines in statu naturæ puræ, quia in his privatio

vatio

vatio beatitudinis non haberet rationem pœnæ damni, ut habet in illis.

Adultus moriens cum originali & personali non magis punitur, quàm moriens cum solo personali; sicuti moriens cum duobus personalibus non magis punitur pœna damni, quàm moriens cum unico.

371 Patiuntur parvuli hujus vitæ incommoda mentis & corporis, adeoque pœnam sensus improprie id est pœnalitatem seu afflictionem; non tamen pœnam sensus proprie, quia ista incommoda non infliguntur directe tanquam pœnæ positivæ in ultionem culpæ, quod requiritur ad rationem pœnæ proprie dictæ: sed indirecte tantum & velut per accidens, quatenus resultans ex subtractione specialis assistentiæ, qua Deus in statu innocentiæ hominem ab istis miseriis (quibus in statu naturæ puræ fuisset obnoxius) præservasset. Dolor sensibilis parvulorum, in hac vita, non est proprie pœnæ.

Christus non satisfecit pro peccatis nostris patiendo eandem specie pœnam, quæ illis debebatur; cùm non sit passus pœnam damni, nec ignis. Vnde non sequitur pœnam sensus deberi peccato originali ex eo quòd pro illo, uti pro cæteris Christus satisfecerit per acerbos dolores corporis, cùm pro illis aliisque infinitis satisfacere potuisset per minimum dolorem mentis.

372 Pœna sensus non est proprietas pœnæ damni connaturaliter annexa, sicut beatitudo accidentalis annectitur beatitudini essentiali: unde parvuli sine Baptismo decedentes possunt connaturaliter subire pœnam damni sine pœna sensus; quamvis lustrati Baptismo non donentur beatitudine essentiali sita in Dei visione, sine accidentali sita in glorificatione corporis. Christus satisfecit pro pecc. origin. per dolorem sensus, qui non est proprietas pœnæ damni.

373 Parvuli nullam sunt passuri tristitiam ex carentia visionis Dei. Ita S. Thom. Bonav. Scot. Suar. Vasq. & alii communiùs contra Aureol. Abul. Valen. Bell. & alios docentes passuros aliquam tristitiam, sed levissimam.

Prob. 1. ex PP. Nazianz. Ambr. Nyssen. nostræ assertioni valde faventibus sup. num. 367. quia non est

æquum, ut qui solùm peccaverunt voluntate aliena sua capitis moralis, in ordine ad habentiam vel carentiam bonorum supernaturalium, puniantur pœna positiva, & quidem valde gravi, qualis indubie foret tristitia assidua, & perpetua de privatione summi boni, quam (ita ordinante suavissima Dei providentia) non magis apprehendunt, nec magis sentiunt, quam viatores in hac vita, qui de illa non solent tristari. Adde quòd non sint habituri minorem causam gaudia ex cognitione æternorum suppliciorum, quæ videbunt se feliciter evasisse.

Non tristabuntur de privatione beatitudinis, quam non multum apprehendunt.

374 Non tamen propterea erunt parvuli in statu beatitudinis naturalis (quòd teste August. de origine animæ cap. 9. pertinet ad hæresim Pelagianorum) quia cum miseria peccati & pœnæ damni non stat beatitudo naturalis. De hac miseria intelligendi sunt Gregor. aliique PP. subinde dicentes eos tormenta passuros: ubi tormenti nomen sumunt impropriè, alioqui non significarent tristitiam levissimam, quam solùm admittunt adversarii.

Non tamen erunt beati, sed in loco subterraneo incarcerati.

375 Catharinus, Phigius, Salmeron & alii sentiunt parvulos post diem judicii jucunde victuros in superficie terræ in crystallum mutatæ, vel floribus & plantis ornatæ, quod videtur repugnare August. de origine animæ c. 9. & statui damnationis. Unde Alens. Bonav. Bell. Valent. & alii communiùs ac probabiliùs docent detinendos, ut in carcere, in aliquo subterraneo inferni loco, juxta Ariag. lucido & amplo, sic ut in eo possint ambulare & colloqui inter se.

CAPUT V.

Legis Naturæ, Divisio, Effectus in genere & in particulari, principia, materia, subjecta & desitio.

§. I.

Legis natura, divisio & effectus in genere.

376. Lex rectè definitur, *quædam rationis ordinatio ad bonum commune; ab eo qui curam habet communitatis promulgata.* Lex est rationis ordinatio ad bonum.

Dividitur 1. in æternam, & temporalem. Lex æterna secundùm Aug. l. 22. cont. Faust. c. 27. *est ratio & voluntas Dei, quæ rerum ordinem servari jubet, perturbari vetat.* Temporalis est, quæ in tempore à legitima potestate imponitur hominibus; subdividitur in naturalem, de qua Apost. ad Rom. 2. *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*: & positivam id est ab aliquo legislatore extrinseco positam. Æterna est ab æterno. Temporalis in tempore; naturalis est naturæ insita, positiva ab intrinseco posita.

Positiva, subdividitur in divinam, quæ à Deo per exteriorem promulgationem lata est, & humanam, quæ ab humana potestate proficiscitur.

Dividitur 3. in affirmativam, quæ actum imperat; & negativam, quæ actum vetat. Dividitur in affirm. & negativ.

377. Lex prout est in legislatore, dicit varios actus 1. Iudicium, quod bono communi expediat subditos ad hoc vel illud obligari. Certum est hoc judicium non esse de intrinseca legislatione, cùm non sit necessarium, ut lex valide feratur: sed solùm ut prudenter. 2. actum voluntatis obligandi subditos. 3. actum intellectus, nempe imperii seu locutionis internæ, per verba imperativi modi exprimi solitæ, ut omnes hoc faciant. 4. signum exterius expressivum istius imperii interni. Dicit in le.

gislat. voluntatem obligandi & actum intellectus illam practice intimantem.

378. Ratio legis non salvatur in solo actu intellectus, nec in solo actu voluntatis; sed essentialiter requirit utrumque: quia mandatum superioris non habet vim præcepti, aut legis, nisi adsit voluntas obligandi; nec ejus voluntas obligat, adeoque nec habet rationem legis; nisi aliqua locutione practica (quæ ad intellectum pertinet) dirigatur ad subditos, eisque intimetur.

Vtrumque actum pro lege accipit script.

Hinc Scriptura leges divinas subinde exprimit nominibus significantibus actum intellectus, ut cùm Ps. 118. eas vocat *judicia*, *testimonia*, *sermones*; subinde nominibus significantibus actum voluntatis, ut cùm Ps. 102. & alibi sæpius eas appellat *voluntates Dei*.

379. Quare legis ratio potest dici formaliter consistere, vel in actu intellectus connotando voluntatem obligandi, vel in actu voluntatis connotando actum intellectus; intimativum voluntatis obligandi, vel in aggregato ex utroque.

In utroque consistit, principalius in actu intellectus.

380. Videtur tamen rectius dici principaliter consistere in actu intellectus. 1. quia hoc est conformius communiori PP. aliorumque sapientum concepcui: cùm ab Aug. l. 1. de lib. arb. c. 6. lex æterna simpliciter dicatur *summa ratio*: & à Basil. in c. 8. Isaiæ, lex appelletur *doctrix & Magistra*; à Platone in Politico *Gubernandi ratio*; ab Arist. 10. Ethic. c. 9. *sermo ab aliqua mente profectus, qui vim habet cogentem*.

Cujus est dirigere, quod est proprium legis.

2. Quia est de essentia legis, quod sit regula actuum humanorum: atqui juxta S. Thom. 1. 2. q. 90. a. 1. & alios communiùs, dirigere per modum regulæ, est aliquid pertinens ad rationem, sicut & ordinare, quod etiam est proprium legis; cùm ista fiant per locutionem practicam superioris, qua per modum imperii intimat, ut hoc, vel illud fiat à communitate.

381. Vnde ratio legis principalius consistit in hujusmodi imperio, & quidem (cùm debeat modo humano & sensibili ad subditos dirigi (non pure interno; sed ut exterius expresso per signum practicum, quo superior præcipit & dictat,

quid

quid velit fieri, aut non fieri: quod signum cùm sit quædam locutio practica, pertinet ad rationem, non quidem elicitive sed directive. Hinc actui intellectus competit vis obligandi formaliter & proximè; actui verò voluntatis solùm radicaliter & remote.

Actus voluntatis obligat radicaliter, intellectus formaliter.

382 Nec dictis obstat, quòd lex sit permanens: etsi enim actus legislatoris non sint quid permanens physice, sunt tamen quid permanens moraliter: quamdiu enim non revocantur, quamvis sint physice præteriti, sunt æquivalenter præsentes, in ordine ad veram, & realem obligationem in subditis causandam.

Lex permanet, & est ubique eadem moraliter, non physicè.

Hinc lex est ubique eadem moraliter, sicut actus legislatoris; non physice.

Actus legislatoris sumpti in fieri, pro ipsa productione, quâ fiunt, sunt legislatio: at sumpti in facto esse, pro terminis vitalibus productis, sunt ipsa lex.

383 Promulgatio est essentialis legi, quia lex ex essentia sua est ordinatio proxime obligativa: ad quod requiritur ut sit convenienti promulgatione, seu exteriori intimatione per modum imperii ad subditos practice directa; nulla enim voluntas, etiam divina, potest proxime obligationem causari priusquam intimetur. Confir. ex Cap. *in istis*, dist. 4. ubi dicitur *leges constituuntur cùm promulgantur*. Quare si superior sine intimatione practica subditis significet se habere voluntatem eos obligandi, nullam inducet obligationem; neque si aliquid imperet sine voluntate obligandi; hoc tamen casu inferior putabit se obligari; & consequenter peccabit: si non obediat: quia aget contra obligationem, non quidem veram, sed invincibiliter æstimatam, ex his.

Promulgatio per exteriorem intimationem imperativa est essentialis legi ut est proxime obligativa.

384 Lex æterna ut sic, non est lex proprie & stricte: quia ab æterno non est proprie facta ejus promulgatio, ac practice directa ad subditos; cùm non fuerint ab æterno.

Hinc lex æterna ut sic non est propriè lex, sed

Æterna tamen Dei ordinatio; quâ Deus ex voluntate obligandi, ab æterno constituit ac dixit, hoc aut illud faciendum, vel non faciendum à creaturis intellectualibus, prout illis suo tempore intimata,

habet

solum ut connotat promulgationem in tempore.

habet proprie rationem legis; sed sic non sumitur ut lex æterna pure & secundùm se, cùm, ut sic intimata, transeat in temporalem, naturalem, vel positivam. Potest etiam ut æterna bono sensu dici lex simpliciter: quia, cùm divinæ rationis ordinatio sit omnino immutabilis, & decretum illam suo tempore promulgandi infrustabile, infallibiliter ex illis, aliquando inducenda est obligatio; ac prinde, eo ipso quo ista existunt, habetur quædam virtualis promulgatio sufficiens, ut lex æterna in iis sita, simpliciter dicatur lex.

Respectu irrationalium est lex improprie.

Dixi *à creaturis intellectualibus*; quia etsi lex æterna late sumpta ut Prov. 8. legem ponebat aquis; etiam se extendat ad irrationalia obligationis & consequenter legis proprie dictæ incapacia; stricte tamen sumpta solùm se extendit ad rationalia.

385 Ad rationem legis Cap. *erit autem* dist. 4. essentialiter requiruntur hæ conditiones.

1. Vt sit *honesta*; quia non potest obligare ad aliquid turpe.

Lex debet esse rationabilis, conveniens bono communi & manifesta.

2. Vt sit *justa*: nempe ex parte legislatoris, sicut eam ferendo non peccet contra justitiam legalem, nocendo bono communi, nec contra commutativam, exigendo à subditis ea, ad quæ non habet jus; neque contra distributivam, onera imponendo non servata æqualitate proportionali.

3. Vt sit *possibilis* non solùm physice, sed etiam moraliter, spectata sc. hominum fragilitate, consuetudine &c. injustum est enim velle obligare ad aliquid physice aut moraliter impossibile.

Non perpetua.

4 Vt sit *secundum naturam, seu ei non contraria*.

5. Vt sit *secundùm Patria consuetudinem*.

6. Vt sit *loco ac tempori conveniens*, sic ut conducat ad bonum commune.

7. Vt sit *manifesta* ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat. Hæc postrema conditio solùm requiritur ad bene esse.

Lex non debet esse perpetua hoc sensu, quod mutatis circumstantiis non possit mutari aut revocari; sed solùm quantum est ex natura rei, sic ut si à legislatore limitetur ad certum tempus, non sit lex stricte.

386 Effectus proprius legis est obligatio: unde omnis lex vera ac proprie dicta veram parit obligationem. Ratio est, quòd lex sit actus legislatoris habentis potestatem & efficacem voluntatem obligandi, eamque subditis practice intimantis: sed efficax voluntas, supposita potestate, sortitur suum effectum. Hinc ut recte Hier. l. 2. contr. Iovinian. *Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi praeceptum, necessitas servitutis.*

Legis effectus est obligatio.

387 Quare etiam leges permittentes mala, ut olim apud Lacedæmonios parva furta ad acuenda civium ingenia, inducunt obligationem, non quidem ad rem permissam, sed ad non impediendam exercitium rei permissæ; & similiter leges privilegiales: pœnales verò obligant ministros justitiæ ad executionem pœnæ legibus constitutæ.

Permissiva obligat ad non impediendum rem permissam.

388 Est autem obligatio formaliter, & quo ad conceptum, vinculum juris, quo morali quadam necessitate adstringimur ad aliquid faciendum, vel non faciendum: realiter & quo ad entitatem non est aliud saltem directe & principaliter, quam actus præteriti legislatoris habentis legitimam potestatem, æquivalenter perseverantes, in ordine ad causandum in subditis hunc effectum moralem, nempe esse obligatum.

Obligatio formaliter est vinculum juris realiter actus legislatoris virtualiter permanens.

Dixi *saltem directe* &c. quia obligatio præter actus legislatoris importat varias conditiones præsuppositive & minus principaliter, quarum aliquæ sunt præsentes & intrinsecæ obligato, ut quod sit vivens, sui compos, pars communitatis, non exemptus à jure communi &c.

389 Neque ex his sequitur, quod voluntas efficax inducendi obligationem sit efficax sui ipsius, quatenus est efficax obligationis, in qua realiter continetur: non enim est efficax obligationis hoc sensu quod motive efficiat omnes entitates ad ipsam realiter concurrentes, cùm non sit efficax potestatis legislativæ: sed hoc sensu, quod sit, efficax directe & formaliter imperat, scilicet imperii practicè ad subditos directi, & cum eo; aliisque præréquisitis, se ipsam tribuendo, formaliter causet complexum, cui

Volitio obligationis est solum efficax imperii practici cum quo formaliter causat obligationem.

cui entitative identificatur obligatio sumpta formaliter & adæquate; in quo ut patet, nihil est repugnantiæ.

390 Uti nec in eo, quod voluntas obligandi pro ut distinguitur à mera voluntate solius præcepti externi (qualis juxta communem DD. cont. Medin. sufficit ad inducendam obligationem) habeat directe se ipsam pro objecto: formaliter & distincte: sic enim habet pro objecto ipsam notionẽ obligationis secundum se, abstrahendo ab eo, quod hic & nunc exercenda sit per ipsam voluntatem, cujus est objectum, aut aliis modis quibus induci potest; sed solum materialiter & confuse, qualiter actus, quo intelligitur aut amatur ens in genere, habet se pro objecto. Similiter hæc verba, *promitto, aut do tibi centum*, pro suo objecto seu significato habent contractum, quem intrinsece constituunt; adeoque se ipsa materialiter & confuse.

Habet se ipsam pro objecto, sed solùm materialiter & confuse, sicut amor entis in genere.

Aliter tamen philosophandum est de Deo, in quo, cùm non possit ficte promittere aut præcipere, ad inducendam obligationem sufficit voluntas proferendi verba promissoria aut præceptiva, absque alia formali intentione obligandi.

391 Lex naturalis formaliter, & quo ad conceptum est, quæ naturæ rationali insita ac concreata, illi præscribit, quid faciendum sit aut fugiendum, tanquam sibi conveniens aut disconveniens.

Lex naturalis, seu naturæ rationali insita, consistit in dictaminibus de agendis aut fugiendis tanquam rationali conformibus aut difformibus.

Quo ad rem verò consistit in dictaminibus rationis, practice dictantibus, quid faciendum fugiendumve sit, tanquam conforme aut difforme naturæ rationali qua tali: non in lumine naturali quatenus elicitivo istorum dictaminum, ut volunt Alens. Bonavent. nec in natura rationali, qua tali, ut vult Vasq.

392 Prob. 1. quia ista dictamina sunt proprie signa practica expressiva divinæ voluntatis obligativæ; & quamvis physice eliciantur ab intellectu creato, sunt tamen sufficienter à Deo, ut censeantur ejus imperia, quia Deus ideo naturæ intellectuali, indidit vim illa eliciendi, eaque in ipsa excitat, aut saltem coefficit, ut eam per illa dirigat ad suum finem,

Quæ sunt moraliter ab auctore naturæ, ejusque imperio.

?? proinde sunt veri actus legislatoris suam voluntatem obligativam practice intimantis, & consequenter sunt proprie lex.

Quia cùm plerumque ista dictamina sint actus necessarii producti in nobis sine nobis, potiùs referri debent in authorem naturæ; quàm in ipsam naturam, quæ non est eorum causa moralis; adeoque recte dicuntur lex ab authore naturæ, agenti intellectuali insita, de qua pulchre August. in Psalm. 57. *veritas manu formata in cordibus nostris scripsit, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, hoc ignorare nemo permissus est.*

3 Quia effectus aut proprietates legis, ut sunt illuminare, dirigere; intimare obligationem agendi, eamque inducere, magis proprie conveniunt istis dictaminibus, quàm naturæ rationali, aut lumini rationis, seu potentiæ intellectivæ: illis enim ista conveniunt formaliter, his solùm radicaliter & effective; unde non possunt dici lex naturæ nisi radicaliter & effective; Adde quod natura rationalis sit subdita legi, non lex.

Formaliter dirigentia, obligantia, ac moraliter permanentia

393 Sunt autem ista dictamina, licet non physice moraliter tamen quid permanens: cùm enim data occasione agendi, summa facilitate, & quidem plerumque non libere, sed necessariò eliciantur; sunt æquivalenter quid permanens naturæ concreatum, seu ipsi per productionem luminis naturalis insitum.

Hoc sensu intelligendus est Apost. ad Rom. 2. *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: & Aug l. 2. de Serm. Domini in monte c. 9. & Ser. 55. de verbo Domini, *quis legem naturalem in cordibus hominum scripsit, nisi Deus?* unde recte dicitur lex naturalis inesse homini etiam dormienti, scilicet moraliter, qua ratione ex usu passim recepto, etiam de dormiente dicitur *ille bene canit* &c.

Et iuxta Apost. & Aug. a Deo inscripta cordibus nostris.

394 Quamvis ista dictamina sæpe sint erronea speculative, practice tamen (sub qua consideratione habent rationem legis, quæ est essentialiter vera, cùm ex essentia sua sit obligativa ad practice honestum) nunquam sunt erronea, sed infallibiliter

Non possunt esse erronea practice imò nec speculative quatenus

vera:

nus respiciunt generalia morum principia;

vera: cum in praxi non possit non esse honestum facere aut omittere, quod invincibiliter judicatur esse faciendum tanquam naturæ rationali conveniens, aut fugiendum tamquam disconveniens.

Adde nequidem speculative posse esse falsa aut erronea quatenus versantur circa generalia morum principia, ut *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*.

Sunt itaque hæc dictamina lex & legis cognitio, non quidem in actu signato, sed in actu exercito, sicut actus definiens est cognitio definitionis.

Lex naturæ est exercite sui ipsius cognitio & applicatio subdito quem dirigit.

395 Hinc lex naturæ non applicatur subdito quem dirigit per cognitionem à se distinctam (sicut applicatur positiva, eo quòd sit ei, quem dirigit, extrinseca) sed se ipsa immediate: cùm enim lex naturæ sit interna & vitaliter recepta in ipsomet operante, quem dirigit & obligat, ipsum formaliter reddendo practice cognoscentem, quid faciendum fugiendumve sit, ut habeat & re ipsa exerceat rationem legis, non debet in se cognosci signanter & reflexe. Non tamen seipsa immediate applicatur ad opus: quia cùm ipsa sit dictamen universale v. g. nullo casu licet mentiri, non potest applicari ad opus; nisi mediante dictamine particulari quo v. g. judicatur hic & nunc non esse mentiendum; quod dictamen cùm sit particulare, proponens objectum cum omnibus suis circumstantiis, non est lex, quæ debet esse universalis & abstrahere à materia particulari; sed legis applicatio.

Ad opus tamen applicatur mediante particulari dictamine de hic & nunc &c.

396 Ex dictis sequitur 1. nullos dari actus, qui antecedenter ad hæc rationis dictamina sint formaliter boni, aut mali, licet dentur, qui sint boni aut mali fundamentaliter: cùm prius sit odium Dei v. g. esse malum & disconveniens naturæ intellectuali fundamentaliter, quam ratio creata aut increata dictet esse fugiendum tanquam naturæ disconveniens: non enim ideo est disconveniens, quia natura dictat esse fugiendum, sed contra.

Non datur bonitas aut malitia formalis ante hæc dictamina: sed solùm fundamentalis.

397 Verum illa fundamentalis istorum actuum bonitas aut malitia non desumitur ex aliqua mensura habente rationem legis, seu dirigentis per modum præcepti (ut vult Vasq.) sed ab ipsa natura rationa-

tionali habente rationem termini convenientiæ aut diſconvenientiæ actuum humanorum, qui terminus convenientiæ non eſt lex, ſed id, quod lex ſpectare debet ut juſtè præſcribat media ad finem.

per ordinem ad naturam rationalem non ut legem ſed ut terminum convenientia &c.

398. Similiter natura divina eſt menſura honeſtatis actionum divinarum, non lex; cùm Deus nulla lege teneatur. Item excellentia Dei, menſura cultus ipſi à creaturis exhibendi; ius alterius; menſura actuum juſtitiæ non per modum legis, ſed per modum termini à lege religionis, aut juſtitiæ ſpectandi.

Sic Deus eſt menſura honeſtatis ſuarum actionum.

399. Sequitur 2. quod rectæ rationis dictamina (ſi per impoſſibile Deo non exiſtente, adhuc exiſteret natura intellectualis ut nunc) non perſeverarent obligare hominem propriè, & per modum legis: quia non haberent rationem imperii ab aliquo ſuperiore intimati, quod requiritur ad veram obligationem, & legis eſſentiam: ſed ſolùm impropriè, & per modum regulæ abſque præceptiva intimatione ſimpliciter proponentis, quod ſuæ naturæ qua tali conveniat aut diſconveniat; ſicut proinde eo caſu iſta regula non eſſet lex præcipiens, ſed ſolùm indicans, quod eſt particula alienans.

Iſta dictamina, Deo non exiſtente, eſſent regula indicans, non præcipiens.

Vnde eo caſu iſtorum dictaminum violatio, ſolùm eſſet peccatum impropriè & philoſophicè, non proprie & Theologicè; ut manifeſtum eſt ex PP. Ambroſ. lib. de Paradiſo cap. 8. generaliter dicente: *peccatum eſt prævaricatio legis divina*, Auguſt. lib. 2. de peccat. merit. cap. 16. ubi ait: *neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs jubeatur ut non ſit*. Anſelm. lib. de voluntate Dei; *quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non ſervat*.

Et eorum violatio peccatum philoſophicè tantum & impropriè.

400. Legem naturæ in ratione legis propriè dictæ, dependere à voluntate Dei prohibente ea, quæ intrinſecè mala ſunt. Quæ voluntas eſt Deo neceſſaria ex hypotheſi quod creet naturam rationalem, cùm includatur in voluntate illam conſtituendi in eſſe talis naturæ, eique imprimendi dictamina rectæ rationis, ut patet ex Auguſt. loco jam citat. ubi addit: *quomodo non vitatur per Dei juſtitiam, ſi peccatum eſt*.

Lex naturæ pendet à Dei voluntate neceſſaria ex Hypoth. non poteſt aboleri totaliter.

4. Legem naturæ apud omnes eandem esse, non posse à cordibus hominum aboleri quo ad universalissima principia omnibus nota & communia: non tamen esse eandem apud omnes, & posse aboleri quo ad particularia quædam principia ex communibus deducta. V. S. Thom. 1.2. qu. 94. a. 4. & 6.

Deus non potest dispensare propriè in lege naturæ faciendo ut absque variatione eius materiæ non obliget.

401. Deus non potest dispensare directè & propriè in ullis naturæ præceptis: quia dispensare propriè, est per potestatem legislativam facere, ut absque ulla variatione in legis materia, ejusque circumstantiis, lex aliquem in particulari non obliget, qui alioqui obligaretur: hoc autem non potest Deus in ullius naturæ præceptis: non enim potest facere, ut quod est intrinsecè malum, nulla facta mutatione in re, aut ejus circumstantiis; desinat esse malum; cùm esse intrinsecè malum, sit esse disconveniens naturæ rationali qua tali, non ex suppositione alicujus voluntatis Deo liberæ; sed ex natura rei. Quod proinde nihil aliud est, quàm naturam esse talem, & actum cum suis circumstantiis esse talem: atqui Deus non potest facere ut natura non sit talis, qualis de facto est si nulla prorsus fiat variatio; igitur non magis potest sua voluntate efficere ut actus intrinsece malus non sit disconveniens naturæ rationali qua tali, quàm ut, invariata natura ignis & aquæ, frigus conveniat igni, calor aquæ.

Potest improprie in quibusdam eius præceptis faciendo mutationem in eorum materia sic ut desinat esse eorum obiectum.

402. Potest tamen in multis naturæ præceptis dispensare indirecte & improprie, nempe suo consensu, respectu alicujus in particulari, eam inducendo mutationem in legis materiam aut circumstantias, ut illius respectu res, quæ alioqui esset lege naturæ præcepta, aut vetita, desinat esse materia, in quam cadit lex, sic ut proinde istius respectu ex natura rei desinat obligatio.

Potest enim Deus tanquam supremus omnium dominus cuipiam concedere facultatem usurpandi bona aliena invito domino, directè interficiendi innocentem? atque ita efficere ut hæc præcepta, *non furaberis*, *non occides*, ipsum non obligent; quippe quæ non habent vim præcepti, nec obligandi nisi

sub

ſub hac tacita conditione, ſi ſupremus dominus non conſentiat.

403. Hac ratione diſpenſavit Deus in præcepto non furandi cum Iſraelitis auferentibus vaſa Ægyptiorum. Exod. 12. cùm Abrahamo, quando ipſi imperavit immolationem filii, Gen. 22. in pluralitate uxorum cum Patriarchis, ſi monogamia ſit juris naturæ. De hac diſpenſatione loquitur Bern. l. de præcept. & diſpenſ. c. 5. cùm ait: *præcepta illa non occides, non mœchaberis, &c. ſolvi non poſſe niſi à Deo.* V. G. dando alicui Dominium bonorum alienorum, poteſtatem in vitam innocentis ut dedit Iſraelitis Abrahamo &c.

Similiter poteſt Pontifex ut Chriſti Vicarius, diſpenſare in votis, juramentis, & ſimilibus, nempe Dei nomine, remittendo promiſſionem Deo factam &c.

404. Sunt tamen quædam naturæ præcepta, in quibus Deus non poteſt diſpenſare etiam impropriè; quia ſunt quidam actus, ut odium Dei, blaſphemia, voluntas peccandi, ita ex objecto ſuo intrinſece mali, ut nulla per Dei conſenſum facta mutatione in objecto, eorumvè circumſtantiis, red di poſſint liciti. Quandoquidem non poſſit Deus ſuo conſenſu ſe odio dignum reddere, aut peccatum amabile, alioqui enim ipſe etiam poſſet ſe ipſum odio habere, peccatum amare &c. Quòd ejus infinitæ bonitati repugnat. Non tamen in omnibus, cum nulla ratione odium Dei poſſit reddi licitum.

405. Eandem ob cauſam non poteſt etiam impropriè diſpenſare in lege naturali non mentiendi: quia nempè mendacium talis eſt malitiæ & naturæ, ut nullis circumſtantiis poſſit bene fieri; alioqui enim etiam ipſe Deus poſſet mentiri, & Prophetas ac Evangeliſtas determinare ad mentiendum, quæ omnia repugnant infinitæ ejus veracitati fidem ſummè indubitatam exigenti: aliàs enim nutarent omnia fidei noſtræ principia. Similiter nec mendacium.

406. Dices 1. cujuſvis legi obligatio tolli poteſt per voluntatem Legiſlatoris à qua oritur. R. C. de poſitiva, N. de naturali; quia hæc non pendet à voluntate Deo libera; ſed neceſſaria ex hypotheſi, quod creet naturam rationalem. Obligatio legis poſitivæ pendet à voluntate libera legiſlatoris, legis natura à neceſſario ex Hypoth.

Dices 2. poteſt Deus impedire actuale dictamen rationis, v. g. de non mentiendo, atque ita face-

re ut, saltem pro aliquo tempore, lex naturalis non obliget: R. hoc non est dispensare etiam impropriè, sed solùm est facere ut lex, defectu sufficientis applicationis & potentiæ eam implendi, non obliget in actu 2.

Impedire dictamen non est dispensare sed tollere obligationem, in actu 2.

Dices 3. jus quod habes ne decipiaris, subest supremo Dei dominio. Ergo potest Deus renuntiare isti juri, atque ita facere ut mihi liceat te decipere. R. N. seq. quia non potest facere ut non repugnet naturæ rationali quà tali, alterum etiam consentientem, & suo juri renunciantem, decipere.

§. II.

Legis Principia.

Principes Eccl. possunt ferre leges ligantes etiam in conscien. Est de fide ex Script. & CC. cont. Hæret.

407. PRincipes Ecclesiastici habent potestatem condendi leges obligativas etiam in conscientia; quod fide certum est contra Vicleff. Luc. Calv. aliosque hæreticos ex Conc. Constant. sess. 8. & 15. Trid. sess. 7. can. 8. ex Script. Matth. 16. ubi Christus Petro tanquam capiti Ecclesiæ, adeoque etiam ejus successoribus tradit amplissimam potestatem regendi Ecclesiam his verbis: *tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*. Quæ verba cùm sint universalissima, etiam extendenda sunt ad potestatem ligandi per leges, quæ obligent etiam in conscientia. Quod etiam significatur Luc. 10. v. 16. Marc. 10. hanc potestatem in se agnoverunt Apostoli, ut patet ex Act. 15. ubi sic habetur. *Visum est Spiritui S. & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato.*

Scrip. ab Hæreticis objecta solum improbat mandata hominum injusta.

408. Dices Script. improbat mandata hominum his verbis Deuteron. 4. *non addetis ad verbum quod loquor vobis*, & 12. *quod præcipio tibi, hoc tantùm facito*. Et Matth. 15. *sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum*. R. improbat mandata hominum corrumpentia legem Dei, aut ejus observationem impedientia, qualia erant varia

Phari-

Phariſæorum, C. mandata per legitimam poteſtatem juſtè & debitè impoſita, N.

Eodemque ſenſu Auguſt. Epiſt. 119. c. 19. deplorat nimiam multitudinem præceptorum Eccleſiaſticorum, ſc. quorumdam ſimplicium errore, cum gravamine conſcientiæ malè introductorum, non juſtè impoſitorum: Vt patet ex his, quæ ibidem ſubjungit: *omnia itaque talia quæ neque ſanctarum Scripturarum authoritate continentur, neque in CC. Epiſcoporum ſtatuta inveniuntur, neque conſuetudine, univerſæ Eccleſiæ roborata ſunt, ſine ulla dubitatione reſecanda exiſtimo.* **Eodem ſenſu quæritur Aug. de multitudine mandatorũ.**

Eſt tamen *unus legiſlator & judex*. Iac. 4. nempe ſupremus & principalis, quo ſenſu Matt. 23. dicitur, *unus eſt Pater*, nempe Deus, *unus eſt magiſter*, nempe Chriſtus. **Vnicus eſt legislator, ſuprem.**

Chriſti præcepta ideo ſunt ſufficientia ad ſalutem; quia inter cætera præcipiunt parendum eſſe Eccleſiæ. Luc. 10 *qui vos audit, me audit* &c.

409. Eandem habent poteſtatem Principes ſæculares. Etiam fide certum eſt ex Conciliis ſupra cit. & Script. Proverb. 8. *per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo, itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* **Principes laici eandem habent poteſtatem, eſt de fide ex CC. & Scrip.**

420. Cum Apoſt. 2. ad Cor. 3. dicit: *ubi Spiritus, ibi libertas*. Galat. 4. *non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, quæ libertate nos liberavit Chriſtus*: non vult ſignificare (ut contendunt hæretici) Eccleſiam Chriſti eſſe liberam à lege humana, cùm ipſemet leges tulerit, ut de bigamis non ordinandis, 1. ad Timoth. 3. ſed à ſervitute peccati, & cæremoniarum legis moſaicæ. Item à Velamine quo Iudæi impediebantur ab agnoſcendo Chriſto in lege figurato. **Apoſt. docet Eccleſiam Chriſti eſſe liberam a ſervitute peccati, &c. non à lege humana.**

Hinc Chriſtus non abrogavit leges Moſaicas, eo quod repugnet libertati Chriſtianæ ſubdi legibus humanis, ſed vel quia pleræque erant figuræ & umbræ futurorum in lege gratiæ, vel quia erant nimis multæ.

quæ ex Scriptur. potest obligare sub mortali.

411. Possunt leges humanæ etiam civiles obligare sub mortali, est omnium Catholicorum, & certa contra hæreticos, 1. ex Script. ad Rom. 13. n. 408. citatis, quibus Apost. docet eos, qui potestati etiam sæculari (de qua, ut patet ex textu, ibi præcipuè agit) resistunt, damnationem sibi acquirere. De Ecclesiasticis patet ex Luc. 10. v. 16. ubi Christus agens de Prælatis Ecclesiæ dicit: *qui vos spernit* (nempe vobis non obediendo) *me spernit*.

Quia à lege æterna derivatam habet obligandi potestatem proportionatè ad materiam.

412. 2. Quia justæ leges humanæ habent vim à lege æterna derivatam obligandi in conscientia proportionatè ad materiam, adeoque graviter, in materia gravi: ideo enim quibusdam legibus Ecclesiasticis apponitur pœna excommunicationis, interminatio divini iudicii; & quibusdam merè civilibus, pœna mortis.

Et eam violans mediatè violat naturalem.

3. Quia lumen naturale æquè dictat obediendum esse justis præceptis Principum, quàm parentum; igitur qui violat justas leges Principum, mediatè violat legem naturæ, sicut qui justa parentum præcepta transgreditur; ac proinde si materia sit gravis, peccat graviter contra statuta.

Conscientiæ nostræ non soli Deo, sed etiam ejus ministris subjectæ sunt; quatenus justis eorum imperiis possunt obligari. Bern. ad Eugen. improbat quòd Papa lites decidat, non quòd justa decernat servanda.

Hinc Deus illius violationem punit in suo tribunali.

413. Quare potest legislator inferior obligare in foro superioris, in quo non potest solvere, & ad pœnam, quam ipse non potest in suo tribunali infligere, si, ut hic contingit, superior præcipiat servari mandata legislatoris inferioris sibi subordinati, sub pœna in suo tribunali infligenda.

Hinc à potestate temporali & sæculari oriri potest spirituale vinculum conscientiæ, æquè ac à justo contractu; quamvis merè civili & temporali.

Hinc obligationem legislatores intendunt virtualiter, quod sufficit.

414. Dices, Principes sæculares, saltem infideles; non intendunt obligare sub mortali, cùm sæpe nullam habeant istius obligationis notitiam: R. formaliter & in se C. virtualiter & in causa N. eo ipso enim, quo intendunt uti potestate legislativa à Deo deri-

derivata, cui Deus prohibet ſubditos reſiſtere, ſufficientem habent intentionem, ut, ſuppoſita gravitate materiæ, etiam ipſis neſcientibus oriatur obligatio ſub mortali.

Dum Aug. l. 19. de Civ. c. 15. dicit Deum noluiſſe hominem homini dominari ſed pecori, ſolùm vult quod Deus in ſtatu naturæ integræ hominem non ſubjecerit homini ſerviliter tanquam mancipium: hæc enim ſervitus, eſt effectus peccati originalis.

415. Poteſtas condendi veras leges, obligantes in conſcientia, non dependet à fide aut moribus legislatoris: eſt de fide contra Vicleff. & Ioan. Hus, in quorum doctrina damnatus eſt à Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. & 15. hic articulus; *nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

Poteſtas obligandi in conſcientia non pendet à fide legislatoris.

Prob. 1. de poteſtate civili ex Script. ad Rom. 13. ſup. n. 408. ubi Apoſt. monet fideles, ut Regibus & Principibus obediant tanquam Dei miniſtris, qui tamen tunc temporis erant infideles & improbi: & ratio eſt, quòd hæc poteſtas fundetur immediatè in jure naturali independente a fide & probitate hominum.

Pat. ex Scriptur. etiam de poteſtate Civili.

416. Prob. 2. de poteſtate Eccleſiaſtica ex Matth. 23. *ſuper cathadram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi &c.* Ratio eſt, quia cùm poteſtas ſpiritualis, ſicut quævis gratia gratis data, ordinetur ad utilitatem aliorum, & poſſit Deus per inimicos amicis benefacere & juſta præcipere; non eſt cur pendeat à probitate Prælati Eccleſiaſtici, aut etiam ab ejus fide, quandoquidem ut communiùs DD. ſtet ſpiritualis juriſdictio cum hæreſi interna, licet amittatur omnis uſus juriſdictionis Eccleſiaſticæ per externam, etiam occultam, ratione excommunicationis latæ ſententiæ, ipſo facto incurrendæ.

Poteſt Deus per ſuos inimicos amicis iuſta præcipere.

417. Promulgatio legi eſſentialis, eſt prima propoſitio ſeu intimatio, aut indictio legis latæ a Principe eo modo & loco facta, ut moraliter devenire poſſit ad publicam ſubditorum notitiam. Divulgatio eſt primæ promulgationis extenſio

Promulgatio legi eſſentialis eſt primæ legis intimatio.

ad notitiam omnium, aut majoris partis subditorum.

Vt lex obliget requiritur; & ex natura rei sufficit ejus promulgatio: hæc enim complet legis essentiam; unde necessaria non est divulgatio.

Leges Cæsareæ debent promulgari in provinciis ut in iis obligent.

418. Vt leges Cæsareæ obligent in provinciis, non sufficit promulgatio in curia Principis; sed requiritur in singulis provinciis. Prob. ex Authentica, *ut factæ novæ constitutiones*, ubi Iustin. statuit, ut novæ leges valeant in urbe Imperatoria, ex quo in commune factæ sunt manifestæ; in provinciis ex quo discretæ per Metropolitas palam factæ sunt.

Quod autem hic textus intelligi debeat universaliter, & non de solis legibus testamentariis, de quibus ibi præcipuè videtur agi, patet ex Authentica ei respondente, quæ generaliter loquitur, & ex Bulla Pij IV. de observatione Concilii Trid. ubi ex illa Authentica infert obligationem Constitutionum Trid. debere post certum tempus incipere.

Non tamen Pontificia nisi hoc in illis diserte requiratur.

419. Leges Pontificiæ expresse requirentes promulgationem in singulis provinciis, ut lex Tridentini irritans matrimonium clandestinum, non obligant ante promulgationem in iis factam: contra verò leges disertè asserentes Pontificem intendere ut publicatione facta Romæ statim ubique obligent; etiam secluso speciali certarum provinciarum privilegio, quamprimum in iis obligant.

Colligitur ex natura legis & Bulla Pii IV.

420. Probabilius est leges Pontificias, quæ de loco promulgationis nihil exprimunt, non requirere publicationem in provinciis, ut in iis obligent. Ita Silvest. Valent. Azor. Suar. Præp. & alii communiùs, cont. Alb. Armil. Sot. Molin. Medin. quorum sententia est, juxta Valent. probabilis, & in praxi tuta.

Prob. 1. quia ex natura rei sufficit promulgatio ita Romæ facta, ut moraliter possit innotescere in provinciis; hoc ipso enim voluntas Pontificis est sufficienter intimata, & applicata ad inducendam obligationem, 2. quia Pius IV. in bulla, *sicut ad sacrorum*, declarat decreta Concilii Trident. ad mores spectantia cœpisse obligare à Calendis Maii an. 1564.

1564. id eſt poſt tres menſes à promulgatione facta Romæ, nulla adjuncta mentione de promulgatione in provinciis, ubi plerumque Pontifices non curant ſuas, leges promulgari.

421. Leges nihil exprimentes circa tempus obligationis ex natura rei ſtatim à promulgatione inci piunt obligare, ſaltem in loco promulgationis, cùm eis nihil deſit ad effectum; Cæſareæ tamen non obligant niſi poſt duos menſes à die promulgationis; ita etiam declarat Authentica 66. *ut facta*. Suar. Val. & alii cont. Silveſt. & Sot. intelligant etiam de foro interno. In loco promulgationis ſtatim obligant niſi contrarium declaretur, ut factum eſt de Cæſareis non de Pontif.

422. Probabilius eſt Pontificias obligare ſtatim à ſufficienti promulgatione. Ita Silveſt. Suar. & alii communiùs cont. Alb. Sot. Mol. probabiliter diſſentientes. Prob. quia leges ex natura rei ſtatim obligant, nec ullum jus poſitivum contrarium indicat de Pontificiis.

423. Nullæ leges poſitivæ obligant in actu 2. ſub culpa & pœna quamdiu invincibiliter ignorantur patet ex dictis ſub n. 257. 269. de ignorantia invincibili: nec in actu proximo eos qui ſunt extra locum promulgationis, priuſquam ad illos moraliter pervenire potuerit notitia publica legis ſufficienter promulgatæ 1. quia legislator non videtur potuiſſe rationabiliter hoc intendere, cùm non ſit ſatis accommodatum humano modo, 2. quia cap. 1. *de conceſſione præbendæ*, dicitur: *quod lex & mandatum nullos obſtringant niſi poſtquam ad eorum notitiam pervenerint, aut niſi poſt tempus, intra quod ignorari minimè debuiſſent.* Ignoratæ non obligant in actu 2.

424. Acceptatio populi non requiritur ex natura rei, ut lex habeat ſuum valorem, ita Silveſt. Suar. & alii Theologi communiter cont. Covar. Navar. alioſque Iuriſtas, quia eſt de ratione perfectæ poteſtatis gubernativæ poſſe ad bonum commune obligare ſubditos, etiam invitos; alioqui poteſtas Principis eſſet nulla, aut validè diminuta & inutilis. Acceptatio non requiritur ad legis valorem.

425. Quando lex ſimpliciter & communi modo fertur, ſic ut non appareat legislatorem

abſo-

Legislator præsumitur nolle ut obliget si à majori parte non acceptetur, potest tamen id velle.

absolute velle ut obliget etiam non acceptata, probabiliùs est non obligare, si à majori parte non accepetur: ita Suar. & alii; quia regimen moderatum & prudens hoc videtur exigere, ne alioqui lex, quæ debet esse ad bonum commune, cedat in communem perniciem: unde rationabiliter præsumitur, legislator eo casu tacitè consentire, ut lex non obliget: imo videtur populus id præscripsisse.

Si tamen non obstante hac populi resistentia, Princeps absolute velit suam legem servari & punitione transgressorum executionem urgeat, obligabit, patet ex dictis n. 423.

Pontificia non requirunt universaliter placitum in Belgio.

426. In dubio de legis acceptatione & absoluta Principis voluntate juxta Laym. absolutè præsumendum est pro lege; juxta alios solum in foro externo. Non est universaliter verum (quod videtur sentire Bertrando, Loth. tract. 2. a. 3.) leges Pontificias non publicari valide nec obligare in Belgio ante placitum regium; hoc enim multò probabiliùs negant VVamesius, To. 2. Consiliorum Consil. 2. Zipeus l. 1 juris Pontificis novi. tit. *de constitutionibus*, Boetius Epo. l. 1. qq. Heroicarum num. 28. docentes hoc solùm esse verùm de bullis aut provisionibus Apostolicis, super beneficiis, vel ut Zipeus non de bullis, sed de solis rescriptis in re beneficiaria, datis quibusdam particularibus, neqne plus probant edicta regia Philippi, Caroli V. & Mariæ apud Loth. quem V.

Lex humana potest reponere actum in materiæ virtutis ita exigent bono communi.

427. Lex humana potest reponere actum præceptum in materia certæ virtutis, hoc sensu quod possit facere ut actus præceptus sit materia certæ virtutis necessaria, id est necessario amplectenda, aut fugienda, ad non peccandum contrà certam virtutem, sic ut proinde legem violans v. g. jejunii, non solùm peccet contra obedientiam, sed etiam contra temperantiam. Ita DD. communiter cont. Dur.

Prob. quia possunt actus variarum virtutum sub sua ratione propria hujus aut illius virtutis, specialiter conducere ad bonum commune. Ergo potest legislator illos qua tales ordinare ad bonum commune, ac præcipere, adeoque subditos obligare ad illos

ut

ut ſunt actus hujus aut illius virtutis. Ita Trident. ſeſſ. 24. c. 18. acceptionem & dationem munerum pro examine ad paſtoratum repoſuit in materia ſimoniæ.

428. Dignoſcitur autem cui virtuti ſpecialiter repugnet præcepti violatio ex ratione, ſub qua tanquam motivo proximo & quaſi intrinſeco actus præcipitur, aut prohibetur: actus enim per præceptum fit materia neceſſaria ſeu medium virtutis, cujus honeſtas aſſumitur tanquam utilis ad finem præcepti. Hinc quia ratio ſub qua ut motivo intrinſeco prohibetur furtum in templo, eſt reverentia Deo debita, ejus violatio eſt ſacrilegium religioni oppoſitum, & contra violatio jejunii ab Eccleſia præcepti in honorem alicujus ſancti non opponitur religioni, ſed temperantiæ, quia immediata ratio ſub qua præcipitur, non eſt honeſtas religionis ſed temperantiæ, licet hæc ipſa ordinetur ad honeſtatem religionis tanquam ad finem extrinſecum. *Quod facit præcipiendo ex motivo ſpeciali certæ virtutis.*

429. Peccata diverſificantur ſpecie pro diverſitate ſpecifica rationis formalis ſub qua præcipiuntur. Vnde cùm plures leges eundem actum præcipiunt aut prohibent ſub diverſa ratione formali, participat diverſas ſpecie malitias in confeſſione explicandas, ut homicidium in loco ſacro, malitiam injuſtitiæ & ſacrilegii. Probabilius eſt peccata non multiplicari numero, ex ſola diverſitate numerica præceptorum. Hinc violatio jejunii vigiliæ S. Matthæi incidente in 4. tempora unicum eſt numero peccatum; quia actus pluribus legibus ſub eadem ratione formali præceptus, conſtituitur materia neceſſaria, unicæ virtutis ſpecialiſſimæ, tantùm ſemel exercenda.

§. III.

Legis Materia.

430. LEx humana non poteſt directè præcipere, vel prohibere actus merè internos, Prob. de lege Eccleſiaſtica unde à fortiori ſatis patebit *Non poteſt imperare actus merè internos.*

tebit de civili 1. quia licet Christus absolutè potuerit Ecclesiæ conferre potestatem obligandi ad actus merè internos, cùm illam certò habeat, nec repugnet eam communicari Ecclesiæ, Deo transgressionum merè internarum cognitionem & punitionem relinquendo; de facto tamen eam non contulit; cùm ex nullo capite id sufficienter ostendi possit, neque Ecclesia ea potestate unquam usa sit. Imò Innoc. III. cap. tua nos *de simonia* disertè doceat contrarium his verbis: *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.*

Christus non dedit istam potestatem Ecclesiæ ut Indicat Innoc. III. & rationabilis præsumptio.

431. 2. Quia præsumendus est Christus dedisse Ecclesiæ potestatem leges ferendi, modo maximè connaturali; atqui juxta S. Thom. q. 91. a. 4. O. & alios communiùs, non est connaturale, ut legislator de iis ferat legem, de quibus non potest judicare & cognoscere, cùm, ut docet Philosoph. 10. Ethic. c. 5. posse cognoscere sit proprietas potestatis legislativæ: cùm ergo Ecclesia non possit judicare de merè internis, non est connaturale, ut de iis possit legem ferre.

Christus dedit Petro amplam potestatem, sed modo connaturali & materiæ accommodatam.

Quare cùm Christus Matth. 16. sine restrictione dixit Petro: *Quodcumque ligaveris*, &c. ei quidem, ejusque successoribus amplissimam dedit potestatem ad actus externos & internos, sed modo connaturali & accommodato ad exigentiam materiæ: ac proinde sic ut respectu externorum, de quibus potest judicare sit gubernativa in foro externo, ipsique Pontifici ut superiori velut propria & connaturalis: at verò respectu internorum sit solùm ministerialis & vicarialis in foro interno, ita ut per eam Pontifex, non suo, ut dum fert leges, sed Christi nomine operetur, absolvendo à peccatis, imponendo pœnitentias, reservando peccata, dispensando in votis &c.

Lex Ecclesiastica præcipit devotionem, sed solùm externam: punit hæresim, sed solùm exte.

432. Cùm ergo Ecclesia cap. Dolentes de celebratione Missæ: præcipit, ut officium *studiosè pariter & devotè* celebretur, solum præcipit saltem directè devotionem externam sitam in compositione reverenti, absque occupatione externa connaturaliter incompossibili cum attentione interna.

Quando autem in Conc. Tol. 1. & alibi dicitur anathe-

anathema ei, qui aliter dixerit aut crediderit, non punitur actus hæresis merè internus, sed aliquo exteriori signo aut facto manifestatus.

riùs manifestatam;

433. Potest tamen Ecclesia ferre leges, reservantes peccata merè interna: quia iste leges non versantur immediate & directe circa peccata interna, sed circa jurisdictionem externam, potestati legislativæ subjectam; quatenus per hanc potest auferri, aut cum restrictione ad certa peccata conferri.

434. Potest etiam Prælatus suo præcepto religiosos sibi subditos obligare ad orationem mentalem: at non vi humanæ potestatis legislativæ secundum se, sed ratione voti obedientiæ, quo religiosi ad acceptanda ejusmodi imperia se obligarunt.

Religiosos obligat ad orationem mentalem ratione voti obedientiæ.

Ecclesia votum castitatis internum non præcipit, saltem directe; suscipientibus Ordines majores, sed solùm declarat se nolle eos conferre, nisi sub conditione voti interni; quam conditionem ordinandi ita acceptant, ut exteriùs in actu exercito castitatem voveant eo ipso, quo suscipiunt ordines.

Negari non potest quin voluntas interna, contraria actui externo humanis legibus præcepto, sit iisdem legibus aliquo modo prohibita; cùm ideò præcise sit mala: non est tamen prohibita directe & formaliter; sed solùm indirecte, & virtualiter, quatenus est impedimentum actus externi directe præcepti.

435. Potest lex humana indirecte & concomitanter præcipere, & de facto præcipit actus internos necessarios, tum ut actus externus fiat physice, tum ut fiat moraliter, seu libere & humano modo.

Potest indirecte præcipere actus internos necessarios ut externus fiat physicè. Et moraliter seu liberè.

Hæc conclusio quoad primam partem est omnium & certa, quia non potest obligare ad actum externum, quin obliget ad id, sine quo non potest physice poni; quoad secundam verò communissima, & passim indubitata, quia humana potestas legislativa est essentialiter directiva hominis quà hominis; ergo potest præcipere, & de facto præcipit actiones humanas quà humanas, & liberas; ergo indirecte actus internos, quia necessarii sunt ad actiones humanas quà tales.

434. Pro-

Et ut sit in certa specie entis moralis, v.g. orationis vocalis, ad quod requiritur intentio Deum laudandi.

436. Probabilius est, posse Ecclesiam indirectè præcipere actus internos, qui necessario requiruntur, ut actus externus constituatur in specie entis moralis; uti requiritur intentio laudandi Deum, ut recitatio psalmorum habeat rationem orationis vocalis potiùs, quàm studii, exercitii memoriæ, & similium, ad quæ est indifferens. Ratio est, quia potest Ecclesia, ut jam ostensum est, præcipere actus externus ut humanos & morales, & consequenter voluntatem eos exercendi; ergo etiam potest præcipere veros actus virtutum quà tales, v.g. veram orationem vocalem, verum votum, Sacrificium &c. Atqui ad veros hujusmodi virtutum actus externos necessariò requiruntur aliqui actus interni, v.g. ad votum, voluntas se obligandi, ergo &c.

Potest enim Ecclesia præcipere actum externum, ut est virtutis, adeoque actus internos ad id requisitos.

437. Deinde cum finis proprius Ecclesiasticæ potestatis sit salus animarum, ad quam præcipuè conducunt actus interni, debet Ecclesiæ potestas ad illos etiam se extendere, tum directè quatenus est ministerialis, tum indirectè quatenus est gubernativa.

Possunt autem hujusmodi actus interni per externum sufficienter manifestari, ut Ecclesia possit de illis judicare, non quidem ex cognitione physice infallibili, sed ex præsumptione prudenti, & moraliter indubitata: quia licet non per se & necessariò, ordinarie tamen cum illo ut seriò & reverenter exterius exercito, ita conjunguntur, ut faciant unum in genere moris.

Non tamen habentes se per accidens ad ejus esse specificum ut intentio pluviæ per orationem.

438. Non potest tamen præcipere lex humana etiam indirectè, actus internos, qui ad externum merè concomitanter se habent, id est sic, ut neque ad esse physicum, neque ad esse morale specificum actus præcepti, necessariò requirantur, ut intentio impetrandi pluviam, aut serenitatem per supplicationem: quia, cùm tales actus sint merè per accidens conjuncti cum externo etiam spectato secundùm suum esse morale, non possunt censeri indirectè præcipi per hoc, quod præcipiatur actus externus: adeoque si præciperentur, deberent præcipi directè & in se, quod repugnat dictis n. præced.

§. IV.

§. IV.

Legis effectus in particulari, seu obligatio levis & gravis.

439. VT lex humana obliget sub mortali, requiritur 1. intentio graviter obligandi, cùm tota radix obligationis legis positivæ, sita sit in voluntate legislatoris. 2. Gravitas materiæ, quia legislator non potest inducere obligationem excedentem conditionem materiæ: uti enim sua voluntate non potest efficere, ut actus præceptus sit materia necessaria cuiuslibet virtutis, v. g. actus eleemosynæ materia necessaria temperantiæ: aut actus jejunii materia religionis; sic ut illorum omissio habeat malitiam ebrietatis aut sacrilegii: ita etiam non potest efficere, ut sit materia graviter necessaria, nisi graviter conducat ad finem gravem legis. Ad obligationem sub mortali requiritur in legislatore intentio graviter obligandi, & materię gravitas, metienda ex gravitate finis per se intenti.

440. Hic autem gravitas materiæ non est petenda ex conditione actus secundùm se, sed ex gravitate finis a legislatore per se intenti, & conducentiæ ad ipsum finem: quia potest res de se levis, multùm conducere ad finem magni momenti: atque adeò graviter præcipi, aut prohiberi: ut comestio pomi in Paradiso, ingressus virorum in monasteria virginum prohibitus sub excommunicatione majori &c & contra potest res de se gravis solùm ordinati ad finem levis momenti, aut ad gravem non conducere notabiliter, ac proinde solùm præcipi aut prohiberi sub obligatione levi.

Hinc potest superior Ecclesiasticus, præsertim regularis, sub mortali suis subditis prohibere ingressum in popinas ad potandum, usum vini adusti, tabaci, jocolati, & similium: quando magni refert ad bonum commune status Ecclesiastici, aut religiosi, ut ista & alia ejusmodi, quamvis in se parva, ab Ecclesiasticis non usurpentur.

441. Potest legislator in materia gravi obligare sub veniali tantùm ita cum S. Thom. 2. 2. q. 105. In materia gravi potest

DD.

esse obligatio solùm sub veniali. si legislator eam tantùm intendat.

DD. communiùs. Prob. 1. authoritate Bern. l. de præcepto & dispens. c. 10. ubi : *Majora minoraque mandata dixerim, secundùm quod magis minusve velle constiterit ipsum, qui præcipiat sive hominem sive Deum*. 2. quia ut habetur l. non omnis, ff. si certum petatur : *In moralibus, actus agentium, non transcendunt intentionem eorum*, atqui potest Superior in materia gravi velle obligare, & non graviter : cùm enim ipsi liberum sit per suam ordinationem, etiam in materia gravi obligare, vel non obligare ; non est cur similiter non sit ipsi liberum velle obligare graviter, seu adæquate ad capacitatem materiæ, vel solùm leviter, seu inadæquate, cùm in eo nulla appareat repugnantia. 3. quia materia capax majoris obligationis, est etiam capax minoris. 4. quia potest legislator in materia capaci obligationis sub culpa, solùm obligare sub pœna.

Vti enim ab eius voluntate proxime pendèt obligatio, ita & ejus tantitas sicut à voluntate promittentis &c.

442. 5. Quia potest promittens, saltem homini, solùm obligare se leviter in materia gravi, ut si nolit teneri ex justitia ; sed solùm ex fidelitate: imò etiam promittens Deo per votum, ut docent Suar. Sanch. Salas, & apud hos Dur. Antonii, &c. communiùs, 6. quia communicare cum excommunicato in humanis, est de se materia æque gravis, ac celebrare soluto jejunio, aut sine stola, vel calice consecrato &c. & tamen hæc Ecclesia prohibet sub mortali, illud verò sub veniali.

443. Quare non solùm est in potestate legislatoris legem ponere vel non ponere : sed etiam ei quantitatem obligationis determinare intra capacitatem materiæ : cùm enim lex vim obligandi proximè accipiat a voluntate legislatoris, ab eadem proximè accipere debet determinationem ad obligationem gravē aut levem. Et quamvis obligatio sumpta passive, prout à nobis concipitur esse in subdito, non oriatur immediate à legislatoris voluntate, sed mediante lege, cujus est effectus non physicus, sed moralis ; sumpta tamen active pro ipsa vi obligandi legi intrinseca & essentiali (cui passiva necessariò proportionatur) est immediate à legislatoris voluntate, & consequenter etiam ejus tantitas.

Obligatio activa oritur immediatè a voluntate legislatoris, passivà mediante lege.

Vnde

Vndè licet non sit in potestate legislatoris efficere, ut positis omnibus ex parte legis, aut præcepti requisitis, in subdito oriatur obligatio gravis, aut levis tantùm: est tamen in ejus potestate ex parte sua ponere ea, ex quibus resultet obligatio gravis aut levis.

444. Ex his nonnulli probabiliter inferunt posse legislatorem, in eadem materia omninò invariata, modò obligare sub majori peccato veniali, v. g. quantum est furtum 5. assium: modo sub minori, v. g. quale est verbum otiosum. Item posse pro sua voluntate efficere, ut violans præceptum actu intenso, diuturno, sæpius repetito, non plus peccet, quàm qui remisso, momentaneo &c.

Non est (ut quidam volunt) in potestate legislatoris efficere.

445. Verùm, etsi non ita clarè appareat, cur talis modus præcipiendi, quamvis parùm utilis, nec satis prudens, absolute repugnet: oppositum tamen uti communius, ita etiam probabilius videtur: quia licet dari possit causa rationabilis, in materia gravi præcipiendi strictè, vel non strictè, seu cum voluntate graviter, vel solùm leviter obligandi: non videtur tamen, inquit Suar. dari posse causa justa & rationabilis (qualis requiritur ad legis valorem) in genere obligationis levis, solùm obligandi intra hunc aut illum gradum, aut faciendi, ut æquè peccet præceptum violans actu remisso, ac intenso.

Vt lex obliget magis aut minus intra latitudinem venialis, quia id non potest rationabiliter intendi.

Vnde videtur dicendum, quod eo ipso, quo legislator utitur modo præcipiendi strictè, vel non strictè, independenter ab ejus voluntate, intra genus obligationis ab ipso intentæ, necessariò resultet obligatio juxta conditionem materiæ.

Posito præcepto stricto vel non stricto oritur obligatio proportionata materia.

446. Dices 1. eo ipso quo legislator legem posuit, lex naturalis præcipit, ut servetur; & hoc præceptum in nostro casu versatur, ut supponimus, circa materiam: omne autem præceptum naturale circa materiam gravem, sub mortali obligat, & quidem inimpedibiliter saltem authoritate humana, ergo &c. Resp. N. sequel. quia lex naturæ non præcipit legem positivam servari, nisi proportionate ad voluntatem obligandi,

Lex natura jubet servari legē iuxta mentem legislatoris in quacumque materia.

quam habet superior: cùm enim eam non præcipiat servari, nisi præcisè quatenus legislator id vult, non potest in hac materia præcipere & obligare graviter, si ipse legislator id non velit, cùm solùm præcipiat fieri quod legislator vult, & eo modo quo vult. Vnde in nostro casu præceptum legis naturæ versatur quidem circa materiam gravem fundamentaliter, non tamen circa gravem formaliter: quia versatur circa illam ut substantem voluntati, quam habet legislator obligandi non graviter, sed solùm leviter.

Perpetuitas obligationis est de essentia veri matrimonii: non gravis obligatio de essentia legis, unde hæc pendet à voluntate libera, non illa.

Dices 1. qui init verum matrimonium aut emittit veram professionem in religione approbata, non potest pro sua voluntate efficere, ut non resultet obligatio perpetua & insolubilis: sed solùm ad certum tempus aut pro arbitrio solubilis; ergo neque qui fert veram legem potest efficere in materia gravi, ut non resultet obligatio gravis. R. disparitas est, quod perpetuitas & insolubilitas sit de essentia veri matrimonii ex jure naturali aut divino: & veræ professionis ex jure saltem Ecclesiastico: at verò obligatio gravis ex nullo jure sit de essentia veræ legis, ut constat in materia levi.

Potest Deus in iis, quæ sunt juris divini merè positivi, sua voluntate efficere, ut quod prohibet sit mortale aut veniale: cùm enim sit supremus Dominus, potest in quavis materia leviter, vel graviter obligare.

Lex expressa verbis strictè præceptivis, aut sub pœna gravi graviter obligat.

447. Lex censenda est graviter obligare 1. quando apponitur, *in virtute sanctæ obedientiæ*, *sub interminatione divini judicii &c.* 2. quando apponitur pœna gravis, v. g. excommunicationis, mortis &c. 3. quando legislator in materia gravi utitur verbis significantibus strictum mandatum, qualia sunt: *Præcipimus*, *ordinamus*, *omnes teneantur*, & aliunde non apparet legislatorem nolle imponere obligationem materiæ proportionatam. 4. quando communis sensus DD. ac prudentum, aut consuetudo recepta agnoscit obligationem gravem, in præcepto jejunii, Sacri diebus festis.

Nisi aliunde alia aut dubia appareat

In dubio de mente legislatoris non est censenda obli-

bligatio gravis: quia in obscuris, quod minimum est, sequimur: regula juris in 6. mens legislatoris.

448. Violatio legis, etiam in materia levi, est semper mortalis, quando fit ex formali contemptu, id est ex directa intentione ipso facto significandi minorem justo æstimationem de superiore, ejusve potestate, aut lege; quia omnis potestas est à Deo, quam qui contemnit, Deum contemnit. Ita S. Tho. 2. 2. q. 86. a. 9. ad 3. Omnis violatio ex contemptu superioris ut sic est mortalis.

449. Nulla requiritur intentio ad impletionem præcepti negativi; quia tali præcepto non imperatur actus aut omissio humana, sed prohibetur actus humanus, cujus omissione, etiam necessaria, satisfit præcepto. Ad impletionem præcepti negativi nulla requiritur intentio: secus ad impletionē affirmativi.

Ad impletionem præcepti affirmativi requiritur intentio, quæ est necessaria, ut ponatur actus in specie morali, in qua præcipitur, ut, v.g. intentio Deum laudandi, orandi, &c. ut externa verborum pronunciatio sit Dei laus & oratio vocalis. Non requiritur intentio finis extrinseci à præcipiente intenti, v.g. ad avertendam pestem: hoc sensu finis præcepti non cadit sub præceptum: neque intentio satisfaciendi præcepto: quia lex solùm obligat ad ponendum actum in sua specie morali. Vndè satisfit præcepto audiendi Sacrum sine intentione: imò cum positiva nolitione ei per istam auditionem satisfaciendi.

Sanchez idem sentit de impletione voti, quod alii communiùs rejiciunt; quia sicut quilibet potest propria voluntate sibi obligationem voti imponere, ita potest in illa permanere, unde non intendens per hanç v.g. sacri auditionem, votum implere, censetur virtualiter de alia auditione nunc votum facere, ut rectè Suar. l. 4. de horis Canonicis, c. 26. Ad quam tamen non requiritur intentio præceptum implendi, qualis requiritur ad impletionem voti.

450. Potest satisfieri legi per actionem ex circumstantiis extrinsecis peccaminosam: quia actus per circumstantias extrinsecas vitiatus, v. g. per actum concomitantem, quo refertur ad vanam gloriam, potest esse honestus ex natura sua ac circumstantiis intrinsecis, & istius speciei moralis, in qua præcipitur, sicut per illum ponatur in specie Satisfit legi per actum extrinsece vitiatum.

substantia actus praecepti, v. g. oratio ut est cultus, eleemosyna, ut est sublevatio miseriae pauperis, quod sufficit ad satisfaciendum legi.

Hinc per actum religionis ex malo motivo extrinseco, colitur Deus, sed modo indebito.

Lex potest impleri per actum peccaminosum materialiter

451. Dices: lex, cùm sit essentialiter justa, non potest obligare ad actum peccaminosum. Ergo non potest satisfieri ejus obligationi per actum peccaminosum; cùm obligationi legis affirmatiuae satisfieri non possit, nisi ponendo actum, ad quem obligat, R. non quidem posse legem obligare ad actum peccaminosum intrinsecè & per se, seu ad actum peccaminosum formaliter & reduplicatiuè: posse tamen obligare ad actum peccaminosum extrinsece & per accidens, & quidem non ut peccaminosum formaliter; sed solùm ad peccaminosum materialiter & specificatiue: potest enim lex justa obligare indeterminate & sub disjunctione ad aliquem actum certae virtutis, ex suis intrinsecis bonum & honestum, qui tamen in sui exercitio ex aliqua circumstantia extrinseca vitietur, & fiat malus, per quem nihilominus satisfiat obligationi legis: quia, ponendo talem actum, ponitur in substantia verus & specificus actus lege praeceptus, licet modo indebito, & aliunde prohibito.

Non tamen per actum peccaminosum formaliter.

452. Hoc constat de actu solùm venialiter peccaminoso; licet enim non possit lex obligare ad actum venialiter peccaminosum formaliter ut peccaminosum: hoc enim esset obligare ad peccatum quod repugnat: potest tamen satisfieri obligationi legis etiam divinae, per actum in sui exercitio venialiter peccaminosum, v. g obligationi orandi, parentes honorandi, egenis subueniendi, Missam audiendi, aut faciendi, Sacramenta suscipiendi, per actus ex vana gloria, distractione, aut irriverentia culpabili; alioue simili vitio venialiter peccaminosos.

Alioqui enim qui diebus Dominicis Missam audiendo, aut faciendo ex aliqua ejusmodi circumstantia peccaret venialiter: teneretur sub mortali aliud Sacrum audire: quia non impleuisset praeceptum Ecclesiae obligans sub mortali ad auditionem

Sacri.

Sacri. Et consequenter Sacerdos, qui ratione voti, beneficii, aut eleemosynæ acceptæ tenetur ad Missas, si eas celebrando admisisset intentionem, distractionem, immodestiam aut violationem rubricarum venialiter culpabilem, teneretur sub mortali horas repetere, Missas iterare, vel Beneficii fructum, & Missarum stipendium restituere, &c. quæ, ut reor, nemo admiserit.

Ratio autem est, quòd, per ejusmodi actus peccaminosos, ponatur in specie substantia actus præcepti, licet modo indebito.

Ponitur substantia actus præcepti, cùm fit peccaminosè.

Idem, ob eandem rationem in simili casu, videtur dicendum de actibus mortaliter peccaminosis, quod nempe etiam per illos satisfieri possit obligationi legis affirmativæ, & quidem etiam latæ à superiore Ecclesiastico, nisi sufficienter exprimat se non solùm actus specifici substantiam præcipere, sed etiam modum, quo simpliciter honestè fiat, absque ullo peccato in sui exercitio, ex circumstantiis extrinsecis contracto.

453. Potest lex humana per accidens obligare cum periculo vitæ, ut 1. quando ejus violatio esset causatura grave scandalum proximi, 2. quando cederet in contemptum legis, aut potestatis legislativæ, ut si quis sub interminatione mortis compelleretur in Quadragesima ad vescendum carnibus in contemptum Papæ, Ecclesiæ Romanæ, aut legis in ea usu receptæ.

Lex human potest obligare cum periculo vitæ per accidens.

Potest etiam variis casibus per se obligare cum periculo vitæ, ut quando actus habentes per se annexum vitæ periculo, sunt grauiter necessarii ad bonum commune, & ut tales præcipiuntur, v.g. militi, ut ascendat muros, aut hosti ascendenti se opponat, parocho ut ministret Sacramenta peste infectis.

Subinde etiam per se.

454. Regulariter tamen & seclusis ejusmodi casibus, lex humana non obligat cum periculo vitæ, aut grauis incommodi, v.g. notabilis detrimenti sanitatis: quia iis casibus obligatio non esset satis conformis humanæ fragilitati, ac proinde legislator non videtur potuisse eam rationabiliter intendere.

Regulariter tamen non obligat cum tali periculo.

Aliove gravi incommodo, Innoc. III. intelligendus est de metu levi.

Innocentius III. cap. Sacris *de his, quæ vi*, intelligendus est de metu levi, dum ait non excusare à mortali eum, qui communicat cum excommunicato, vel certè cum S. Thom. quodlib. 11. de eo, qui communicat directè, vel in ipso crimine, vel cum contemptu censuræ & Ecclesiæ, vel in oratione publica, non verò de communicante indirectè in rebus merè humanis.

Excipe Carthusianos.

455. Carthusianus debet abstinere à carnibus cum periculo mortis ex morbo, aut debilitate, non tamen cum periculo moriendi fame, deficientibus aliis cibis: hic enim non est casus de quo in eorum regula.

Obligatio sub pœna mortis, non est alligare cum periculo mortis observationi annexo.

Lex obligans sub pœna mortis obligat sub periculo mortis, consequente ejus transgressionem, non tamen cum periculo mortis antecedenter annexo ejus observationi. Ista ènim sunt valdè diversa. Vnde aliud est legem ligari sub peccato mortali incurrendo si violetur, aliud obligare cum periculo peccati si servetur, primum convenit cuilibet legi strictè, secundùm nulli.

456. Legem pœnalem obligare in conscientia universaliter affirmat Sylvester; universaliter negat Navarrus, cujus sententiam mihi videtur omninò improbabilis, quamvis probabilem censeant Valen. & Azor.

Leges pœnales sub gravibus pœnis v. g. mortis excommunicationis obligant sub mortali.

Legis Ecclesiasticæ, quibus apponitur pœna excommunicationis, degradationis, ac similis: & civiles, quibus apponitur pœna mortis, obligant sub mortali: de Ecclesiasticis constat, quia excommunicatio major, juxta omnes, supponit peccatum mortale: de civilibus est ferè indubitatum; quia juxta Sot. & alios communissimè contra Nauarr. certum est, etiam pœnam mortis supponere peccatum mortale.

Lex obligans ad observationem vel ad pœnam subeundã (qualis datur in variis reli-

457. Leges purè pœnales, id est, quæ non obligant determinatè, ad actum cujus omissioni apposita est pœna, sed disjunctivè vel ad actum ponendum, vel ad subeundum pœnam si infligatur, non obligant in conscientia.

Constat dari posse, imò de facto dari leges purè pœnales, 1. pars Prob. quia potest legislator velle solùm

solùm obligare ad disjunctivum jam explicatum, & hoc subditis intimare, quo casu iste actus erit vera lex, & tamen mere pœnalis, 2. patet; quia tales sunt multæ regulæ in variis ordinibus religiosis, ut teste S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. in Ordine Prædicatorum: item in Societate Iesu, & aliis religionibus, quæ nullo modo obligant in conscientia, ne quidem sub veniali: non carent tamen effectu essentiali legis, qui est obligare, cùm superiorem obligent ad imponendam pœnam transgressoribus, & hos ad eam subeundam. gionibus) est mere pœnalis.

Quidam volunt ejusmodi regulas non esse leges strictè, in quo fit quæstio de nomine. Fatendum est pœnam iis appositam, potius habere rationem pœnalitatis, quàm pœnæ, aut punitionis strictè; hæc enim supponit culpam. Infligens pœnalitatem.

458. Leges pœnales censendæ sunt obligare in conscientia, & quidem, supposita gravitate materiæ, sub mortali, quando intimantur verbis præceptiuis, V. G. his: *Ordinamus, & præcipimus*, aut similibus, & aliunde ex nullo indicio apparet, quòd legislator non intendat obligare in conscientia, cujus intentionis non est signum probabile ipsa appositio pœnæ, sed potiùs contrariæ, cùm enim pœna apponatur ad subditos fortiùs compellendos, & obligandos ad obseruationem legis, est signum, quòd vehementiùs ac efficaciùs intendat legislator, qui subinde diserte exprimit se per appositionem pœnæ, nihil velle imminuere de obligatione in conscientia, ut olim fecit Philippus II. Hispan. Rex, apud Vasq. & habetur in edicto de re pecuniaria Bruxellis edito anno 1628. Lex pœnalis latæ verbis strictè preceptivis obligat in conscientia, nisi aliunde appareat contraria intentio legislatoris, cuius signum non est pœna apposita.

Censendæ sunt purè pœnales, quando neque ex gravitate materiæ, neque ex vi verborum, neque ex ullis circumstantiis colligi potest obligare in conscientia, ut cùm dicitur, qui venatus fuerit, vel qui merces extulerit, soluet tantùm.

459. Invincibilis ignorantia legis excusat à pœna ei apposita: secus vincibilis; nisi pœna decreta sit scienter violanti: tunc enim ad eam incurrendam requiritur ejus scientia, vel ignorantia affectata, seu Invincibilis ignorantia legis excusat à pœna, secus vinci-

bilis, aut solius pœna.

crassa scientiæ æquivalens. Ignorantia inuincibilis soliùs pœnæ, non excusat à pœna, nisi sit valdè grauis, neque à pœna imposita propter culpam actui, v. g. homicidii annexam antecedenter ad legem.

Pœna privativa incurritur ipso facto, non positiva nisi exprimetur in lege.

460. Quando lex continet pœnam latæ sententiæ, si pœna sit priuatiua, ipso facto incurritur, ante omnem sententiam judicis etiam declaratoriam: si sit positiua, non incurritur ante sententiam judicis declaratoriam, nisi in lege habeantur hæc verba, aut æquiualentia: *Incurratur ipso facto ante omnem judicis sententiam, etiam declaratoriam*: Tunc enim statim incurritur, nisi pœna censeatur, spectata humana fragilitate, nimis gravis, ut reus eam subeat, nulla judicis sententia compulsus.

Damnato ad mortem licet fugere.

Tenetur reus in se ipsum exequi ea, quæ per alium commodè fieri non possunt, nec continent crudelitatem, ut ascendere scalas patibuli. Probabilius est damnato ad mortem, triremes, aut carcerem perpetuum, esse licitum fugere.

Ignorantia non impedit effectum legis irritantis ad bonum commune.

461. Lex irritans (idest inualidans actum jure naturæ subsistentem) præcisè in pœnam ipsius actus exerciti contra prohibitionem, non habet effectum, adeoque actus manet validus, si factus sit ex ignorantia excusante à peccato: secus quando irritat etiam ad bonum commune ut matrimonium clandestinum, aut in pęnam matrimonii priùs commissi. Omnis lex irritans est prohibens, non contra, ut patet in matrimonio sine proclamationibus.

§. V.

Legis subjecta.

Legi subjiciuntur soli habentes usum rationis.

462. SVbiiciuntur legibus soli & omnes subditi habentes usum rationis, adeoque etiam justi, cùm justitia neminem eximat à submissione & obedientia debita superioribus Dei vices gerentibus. Cùm Apost. 1. Tim. 1, ait: *Iusto lex non est posita, sed injustis*, loquitur de lege ut est coercitiua, & coactiua, qua opus non est pro iis, qui non terrore, sed Dei ac virtutis amore mouentur.

Hinc

Hinc infantes, ante usum rationis, & perpetuò amentes, non tenentur legibus. Tenentur, dormientes, ebrii, delirantes ad breue tempus; quia hi sunt habitualiter capaces humanæ directionis, & vinculi rationalis perfecti, quia ratione utuntur; non illi.

Vndè licitum est illis dare carnes edendas in Quadragesima, non tamen eos incitare ad iram, libidinem, &c. quia ista dedecent naturam rationalem, & juxta Mol. tenentur lege naturali.

463. Qui inuincibiliter ignorant legem sufficienter in sua prouincia promulgatam, ea obligantur in actu 1. & quo ad sufficientiam: ideò enim scientibus legem, non licet eos inducere ad agendum contra legem, quam non seruantes peccant materialiter: tamen non obligantur in actu 2. & quo ad efficaciam: quia stante tali ignorantia, nullo necessitatis vinculo actualiter constringuntur in conscientia, sed solùm habitualiter ut dormientes.

Ignorantes legem in sua patria promulgatam ea tenentur in actu 1. nō in actu 2.

464. Princeps supremus & absolutus, qui fert leges independenter à communitate, non tenetur suis legibus, quo ad vim coactiuam & coercitiuam, cùm non habeat superiorem à quo possit cogi, imò (juxta Azor. contra Suarez) nec propriè quo ad vim directiuam: quia nemo potest habere jurisdictionem in se ipsum, adeoque nec obedire sibi ipsi. Vnde lib. 31. ff. *de legibus* dicitur: *Princeps legibus solutus est*; tenetur tamen jure, seu æquitate naturali eas seruare, saltem sub veniali, quia ut rectè August. lib. 3. confess. cap. 8. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens*. Imò subinde sub mortali ratione scandali, &c. Certum est teneri seruare leges à se latas, quibus taxantur rerum prætia; alioqui peccaret contra justitiam.

Princeps non tenetur suis legibus propriè, sed solùm ex quadam æquitate naturali.

465. Peregrini non tenentur legibus particularibus proprii territorii, dum alibi versantur, ubi illæ non obligant; ita Nauar. Suar. & alii Theol. communiùs contra Paludan. Syluest. Prob. 1. ex cap. *ut animarum*, de constitut. in 6. ubi Bonifac. VIII. dicit: *Statuto Episcopo subditi ejus extra diœcesim minimè ligari nescuntur*. Ratio est, quòd leges ordi-

Peregrini non tenentur legibus suæ patriæ, quia sunt affixæ territorio cujus bonum spectant.

ordinentur ad bonum commune territorij, pro quo feruntur, eique sunt velut affixæ, ut ostendit usus populorum non aliter eas acceptantium. Hinc transiens à loco subdito legi jejunii ad locum vicinum ei non subjectum, liberatur ab obligatione jejunandi, non tamen existentes in terris infidelium à lege Quadragesimæ, quæ Catholicos ubique obligat.

Tenentur legibus loci in quo existunt.

466. Probabilius est eos teneri omnibus legibus loci, in quo versantur, etiam solùm velut in transitu; ita Suar. Vasq. Sylui. contr. Sanch. Azor. Laym. Prob. quia Princeps habet, siue ex jure naturæ, siue ex tacito consensu populorum, potestatem peregrinos in suo territorio existentes, obligandi suis legibus, cùm hoc expediat bono communi, & sit necessarium ad pacificam gubernationem: unde cùm sit præsumendus velle condere leges, quàm maximè utiles bono communi, semper censendus est intendere iis obligare peregrinos sibi, non quidem permanenter, sed transeunter subditos. Confirm. ex August. l. 3. conf. c. 8. *Pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur*. Hinc quamuis parum juxta leges variis casibus pro nihilo reputetur, non tamen in nostro casu, in quo etiam breuis mora in alieno territorio, peregrinum ob rationes allatas transeunter subjicit legibus territorii.

Favet. Aug. & bonum commune hoc exigit.

Clerici indirectè & directivè obligantur etiam in cõscientia legibus Reip. eorum statui non disconvenientibus.

467. Clerici obligantur, saltem indirectè, & quoad vim directiuam, etiam in conscientia, legibus Reipublicæ in qua viuunt, quando earum materia etiam ad ipsos pertinet, nec quidquam continet eorum statui disconveniens, aut sacris Canonibus, & Ecclesiasticæ immunitati repugnant, quales sunt leges de rerum pretio, de lumine noctu ferendo, & similes: cùm enim sint membra Reipubl. ejusque commodis fruantur, æquum est, ut in iis, quæ ad bonam ejus gubernationem spectant, cæteris se membris conforment. Non tamen quoad vim coactiuam; quia cùm Principes sæculares, seclusis priuilegiis, aut consensu Pontificis, nullam habeant potestatem in personas cleri-

corum

corum (ut constat ex Cap. Ecclesia) *de constitutionibus* & toto ferè titulo *de foro competenti* non possunt ab iis puniri.

Dixi indirectè; quia cùm Clerici non subsint potestati magistratuum sæcularium, eorum legibus non ligantur directè & immediate, sed mediante jure naturæ, aut tacito consensu Pontificis, ob æquitatem naturalem. Non directè & coercitivè.

468. Leges directè vel indirectè disponentes, de bonis aut personis Ecclesiasticorum repugnant eorum immunitati, ex Cap. *quicumque* de censibus in 6. unde non obligantur legibus de solvendis tributis & vectigalibus. Nullo modo tenentur legibus disponentibus de bonis.

Quod dictum est de clericis etiam intelligendum est de religiosis; qui tamen, quamvis sint exempti, tenentur servare diæcesi propria, & censuras ac indicta ab Episcopo promulgata.

§. VI.

Legis desitio & dispensatio.

469. Legislator potest validè legem usu receptam abrogare, seu totaliter tollere, etiam sine causa, quia vis tota legis pendet ab ejus voluntate: potest etiam licite, sed non nisi cum causa sufficienti, ut si mutatis circumstantiis incipiat esse inutilis, aut nimiùm gravis. Legis mutatio sine causa minuit legum firmitatem & æstimationem, & ideo est noxia bono communi, & consequenter illicita. Potest autem legis abrogatio fieri per ejus revocationem sufficienter promulgatam, aut per legem contrariam. Dicta de abrogatione, applicanda sunt derogationi, quæ est partialis abrogatio. Legislator potest abrogare legem, etiam sine causa valide non tamen licite.

470 Consuetudo habet vim legis quando est honesta ac rationabilis, & introducta actibus publicis cum voluntate obligandi, à majore parte communitatis habentis potestatem legislativam, aut Principem consentientem. Sicut hujusmodi consuetudo potest legem novam introducere, ita à pari potest usu receptam abrogare, idque per actus, legi suffi- Consuetudo rationabilis, inducta cum voluntate obligandi à majori parte Communitatis, de consensu prii-

cipis habet vim legis. sufficienter propositæ, & obliganti contrarios, ac proinde saltem initio, illicitos; non enim potest aliter consuetudo prævalere legi.

Lex cessat ejus ratione universaliter cessante.

471. Quando ratio adæquata legis cessat in universali, id est respectu omnium temporum & personarum, etiam universaliter cessat lex, & ejus obligatio; quia eo ipso desinit esse utilis ad bonum commune. Si verò solùm cesset respectu alicujus in particulari, ejus respectu non cessat: quia cùm subsistat universalis ratio legis, etiam stat lex obligans omnes, qui sunt de communitate, cujus bono lata est: quia bonum commune postulat ut leges omnes observentur communiter ab omnibus, qui possunt illas servare. Hinc lex prohibens libros hæreticos, obligat etiam eos, respectu quorum nullum est periculum perversionis ab eorum lectione, quia remanet adæquatum motivum istius legis, sc. generale bonum Ecclesiæ proveniens ex eo, quod nulli liceat tales libros legere.

Lex fundata in prudenti præsumptione obligat quolibet casu.

472. Lex fundata in præsumptione, qua Princeps prudenter existimat certæ actioni vel omissioni, plerumque annexas esse fraudes aliave incommoda, propter quæ judicat expedire eam generaliter vetari, obligat etiam iis casibus in particulari, quibus constat abesse incommoda generaliter præsumpta, secus si fundetur in præsumptione qua Princeps sentit quolibet casu particulari subesse ista incommoda: sequitur ex jam dictis de legis cessatione.

Epikia seu benigna legis interpretatio est licita.

473. EpyKia est *benigna interpretatio legis universaliter lata, in casu particulari, qui rationabiliter judicatur ex mente legislatoris exceptus*. Necessarium est ea uti, quando lex non potest hic & nunc servari sine peccato contra charitatem aut justitiam, v. g. deserendo ægrum pro audienda missa &c. Licitum est ea uti quando potest quidem servari sine peccato, sed non sine gravi incommodo, aut majoris boni impedimento v. g. quod oritur ab observatione jejunii ab infirmo.

Quando ad est causa.

Ad prudentem usum EpyKiæ requiritur 1. ut superior non possit facile conveniri 2. ut sit gravis causa eo casu legem non servandi 3. ut, si res sit

magni

magni momenti, consulatur vir prudens. Non habet locum in lege naturali, quæ saltem ut est hic & nunc applicata ad usum, non præcipit actionem in universali, sed in particulari ut vestitam suis circumstantiis.

rationabilis nec potest conveniri superior.

474. Qui ob causam justam excusatur à parte præcepti, excusatur à toto, quando pars possibilis non habet utilitatem aut formam operis à legislatore intentam vel est tam parvi momenti, ut pro nihilo reputetur, secus quando retinet utilitatem & formam intentam. Hinc qui solùm potest interesse missæ usque ad Evangelium, ad id non tenetur; secus si possit interesse consecrationi & communioni; quia hæ partes habent utilitatem & formam à legislatore intentam: in iis enim consistit ratio sacrificii. Item qui solùm potest jejunare mane, non à meridie ad id non tenetur, quia legislator intendit completum jejunium.

Excusatur à parte non semper excusatur à toto.

475. Dispensatio est *actus potestatis legislativæ, quo in casu, vel persona particulari lex relaxatur, remanente ejus obligatione in universali*. Potest legislator ejusque successor aut superior dispensare in lege: non tamen inferior in lege superioris, nisi ex hujus consensu, vel authoritate aliunde accepta. v. g. à jure vel consuetudine. Ita per Trid. sess. 24. c. 6. potest Episcopus dispensare in legibus Pontificiis v. g. in irregularitatibus, & suspensionibus contractis ex crimine occulto. Dispensatio est actus jurisdictionis voluntariæ, qui non exercetur per modum sententiæ, sed simplici solutionis vinculi, ac proinde non requirit distinctionem personarum, sicut absolutio Sacramentalis, unde qui potest cum aliis, etiam potest secum dispensare.

Potest legislator & ejus successor dispensare in lege etiam secum non inferior in lege superioris sine ejus consensu.

Potest legislator in sua lege sine causa dispensare validè, cùm tota vis legis pendeat ab ejus voluntate; non tamen licitè: quia cùm exemplo nata sit generare invidiam, legis contemptum, & faciliorem ejus transgressionem, æquitas naturalis & justitia legalis postulat, ut superior neminem eximat sine causa, quod si faciat in re gravi juxta Suar. peccabit

Dispensatio sine causa est valida, sed illicita.

peccabit mortaliter, juxta Navar. secluso scandalo, solùm venialiter.

Et facta ab inferiore est invalida.

Non potest inferior sine causa in lege sui superioris dispensare valide, multò minùs licite: quia inferior nihil potest in legem sui superioris, nisi ex tacito ejus consensu rationabiliter præsumpto; atqui non potest rationabiliter præsumi, quod consentiat in dispensationem sine causa, saltem prudenter æstimata: ergo

Dispensatio est subreptitia 1. per expressionem falsi aut reticentiam veri.

Dispensatio est subreptitia, adeoque nulla 1. ob expressionem falsi, id est ob allegatam falsam causam 2. ob reticentiam, etiam inculpatam veri, cujus expressionem jura, aut forma dispensationis, vel stylus curiæ specialiter requirunt. Ita communiter TT. quia 1. casu non subsistit ratio, propter quam solam legislator motus est, ad volendum dispensare, quam servatis servandis. Hinc

1. Quando duæ causæ dispensandi allatæ sunt, quarum una est vera, altera falsa, dispensatio nulla est, si vera non sit per se sufficiens; secus, si sit per se sufficiens.

2. Per insufficientiam causæ.

2. Dispensatio subreptitia est nulla, si (dum concurrunt plura impedimenta) uno ex illis celato super altero tantùm dispensatio impetretur: si tamen unum ex illis sit occultum & graviter infamans, poterit Pontifici illud solùm proponi, quod publicum est, & a Sacra pœnitentiaria peti dispensatio super occulto, simul indicando quod Pontifex in alio publico dispensaverit.

3. Quando celatur unum impedimentum dum plura concurrunt.

3. Qui in gradu prohibito matrimonium contrahere præsumpsit, aut neglectis proclamationibus, quamvis ignoranter, debet illud exprimere in petitione dispensationis.

4. Exprimenda est copula quando præcessit.

4. Quando inter consanguineos & affines præcessit copula, debet in petitione dispensationis fieri illius mentio, alioqui (nisi super hoc impetrentur litteræ à pœnitentiaria, dum res est occulta) dispensatio erit subreptitia: quia ita habet stylus curiæ; unde in rescripto sæpe apponitur ista clausula, *nisi copula intercesserit*. Ita Zypeus. Oppositum tamen est probabile ut doctè probat Pontius l. 2. de matrimonio

monio c. 17. §. 61. v. Præpoſitum q. 8. de matrimonio, dubio 6.

5. Quando Pontifex in litteris diſpenſationis apponit *motu proprio*, juxta Sanch. Bonacin. valet diſpenſatio quamvis celetur veritas, cujus expreſſionem jura requirunt: quia per ly, *motu proprio* ſignificat ſe habere voluntatem diſpenſandi abſolutam independenter à juribus.

476. Privilegium ſeu lex privata eſt *gratia permanens conceſſa à ſuperiore ad agendum contra vel præter legem*; differt à diſpenſatione, quæ cùm ſit reſtricta ad actum particularem, non eſt permanens, ſed tranſiens.

Privilegium eſt conceſſio agendi contra legem.

Dicitur reale quando eſt conceſſum alicui rei, ſeu officio, vel loco; Perſonale, quando cuipiam perſonæ; contra jus ſeu odioſum, quando alteri nocet, ut exemptio à communibus oneribus, quo fit, ut alii magis graventur; præter jus ſeu favorabile, quando nulli nocet, ut exemptio à jejunio.

Privilegium ceſſat 1. elapſo tempore 2. ceſſante ratione adæquata 3. mutato ſtatu 4. lege revocatoria ſufficienter promulgata 5. per abuſum accedente ſententia Iudicis 6. ſi alios gravet, per non uſum ſpatio ſufficienti ad præſcriptionem.

Ceſſat ceſſante ejus ratione, revocatione, &c.

CAPUT VI.

Gratia, Juſtificatio, meritum.

§ I.

Gratiæ Quidditas, & Varii circa eam errores.

477. GRatia in genere eſt donum gratis datum: patet ex Apoſt. ad Rom. 11. *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia non eſt gratia*;

Gratia eſt donum gratuitum.

gratia: quia, ut in hunc locum rectè Hier. *Gratia gratuitum munus appellatur*: & ut Aug. ser. 61. de verbis Domini, *ideo gratia quia gratis datur*, & in Ps. 49. sub finem: *qui ad gratiam scit se pertinere, novit quia indiget gratia, Si gratia vocatur, gratis datur.*

Activè est amor dantis, passive donum.

Gratia subinde sumitur activè pro affectu, seu amore gratis donante: quo sensu Apost. ad Rom. 4. ait: *reputatur fides ejus ad justitiam secundùm propositum gratiæ Dei*, id est gratiosi affectus, seu amoris Divini, qui juxta S. Tho. hic q. 110. a. 1. O. habet rationem primi doni. Sæpius tamen sumitur passive, pro dono gratis collato, quo sensu variè accipitur.

1. Creatio est gratia sed non illa de qua script.

478. 1. Pro gratia creationis. Hæc tamen non est, ut volebat Pelagius, illa gratia, quam Scripturæ toties commendant, ut ad meritum vitæ æternæ necessariam, quod declarat Aug. Epist. 95. *quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, quà creati sumus; illam verò gratiam, quà creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immeritò intelligimus; mirum est tamen si ita appellatam in ullis legitimis Propheticis, Evangelicis, Apostolicisque litteris legimus.*

2. Specialis Dei providentia, qua fit ut homo vitet, malum, aut faciat bonum naturale est gratia impropriè.

2. Pro speciali providentia, qua Deus res creatas sic disponit, ut, servato earum ordine naturali, huic potiùs homini, quàm alteræ eæ occurrant occasiones, circumstantiæ, & cogitationes congruæ, ut vitet peccatum, vel exerceat opus bonum, vires naturæ etiam morales, non excedens.

De hac videtur loqui Aug. l. 1. ad Simplicianum q. 2. *voluntas, nisi aliquid occurrerit, quod delectet, atque invitet animum, moveri nullo modo potest: hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate.*

3. Donum elevans ad id, quod naturaliter fieri nequit est gratia propriè.

3. Denique magis strictè & propriè pro dono gratuito hominem excitante, aut elevante ad aliquid salutare quod per naturæ vires absolutè non potest, vel physicè, ut elicere actum in substantia supernaturalem: vel moraliter tantùm, ut per actus naturales diu servare totam legem. Addo salutare, quia gra-

tiæ

tiæ gratis datæ nihil conferentes ad sanctitatem, & salutem proprii subjecti, non sunt gratia stricte.

279 In prima acceptione vocatur gratia creans, in secunda providens, in tertia evehens, quæ si evehat ad aliquid naturale in substantia; potest esse entitative naturalis, & debita naturæ integræ, licet non lapsæ: si verò ad actum entitative supernaturalem, est supernaturalis in substantia, adeoque omnem naturæ exigentiam excedens; ac proinde propriissime ac strictissime gratia Theologica.

Datur gratia creans, providens & evehens. hæc est propriissime gratia, cum evehit ad supernaturale in substantia.

480 Gratia stricte Theologica, excludit 1. omne debitum morale, quo illa aliquo modo debeatur operibus ut habentibus rationem meriti, vel impetrationis, vel positivæ dispositionis moralis: quod constat ex Apost. & PP supra, item ex illo ad Rom. 3. *ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum* 2. etiam debitum physicum connaturalitatis, seu exigentiæ naturæ, cui confertur: atque in hoc tanquam indubitato conveniunt DD. communissime cont. Bajanos apud Ripald. disp. 5. sect. 3. hoc enim etiam exigunt Script. & PP. sup. ac præcipue Aug. n. 477. significans gratiam stricte Theologicam esse donum speciale distinctum à dono creationis, ac proinde ei per connaturalem exigentiam minime annexum.

Gratia stricte excludit omne debitum, ita Script. & PP.

Non excludit tamen debitum ortum ex sola promissione, fidelitate, veracitate, aut alia virtute conferentes: cum unio hypostatica, etiam ex hypothesi ejus promissionis factæ Abrahamo, fuerit mere gratuita, & consequenter stricte gratia. Neque connotat, ut volunt Bajani propositione 9. inter damnatas, indignitatem positivam in Persona, cui confertur; quandoquidem unio hypostatica respectu humanitatis Christi, & donum perseverantiæ respectu antecedenter justificati, sint propriissime gratia, licet non conferantur male merenti.

Non tamen ortum ex sola promissione dantis, ut patet in unione Hypost.

481 Gratia stricte Theologica dividitur in habitualem, quæ justo inest permanenter eumque formaliter sanctificat; & actualem, quæ inest transeunter, etiam injustis; ac proinde non justificat

Alia habitualis formaliter sanctificans, alia actualis ad agendum juvant.

ficat formaliter, sed solùm dispositive, sive proxime, sive remote.

Aug. de gratia fulget inter PP. sicut sol inter sidera.

482 De hac potissimum hic agitur, de qua præcipue plusquam 30 Libris, tanta sapientia scripsit August. ut *ejus sententia* (inquit Suar. prolegom. 2. c. 6.) *semper sit preferenda, nisi cùm major PP. aut Ecclesiæ authoritas obstare videtur quod rarò vel nunquam continget*. Vnde meritò Vasquez 1. part. disput. 89. cap. 4. ait: *unus pro multis mihi semper erit Augustinus*, qui, inquit ibid. c. 1. *in materia de gratia & prædestinatione inter cæteros Ecclesiæ PP. non aliter, quàm sol inter minora sydera, præfulget*.

Eius authoritas est irrefragabilis in punctis à Pontificibus specialiter approbatis.

483 Ejus authoritas est irrefragabilis, quoad puncta à CC. & Pontificibus approbata ut vera, quæ habentur in Epistol. Cœlestini primi ad Episcopos Galliæ apud Prosp. in fine ejus operum.

Primum est, in prævaricatione Adæ omnes amisisse naturalem possibilitatem, id est facultatem expeditam ad salutaria.

2 Neminem esse per se bonum, nec posse perseverare sine gratia.

3 Neminem bene uti libero arbitrio, nisi per Christum; adeoque omnia bona opera referenda esse ad Deum.

4 Omnes motus bonæ voluntatis esse à Deo.

5 Anathemati subesse eum, qui asserit gratiam Dei solùm valere ad remissionem peccatorum, non ad ea vitanda.

6 Item eum, qui dixerit gratiam Christi solùm juvare illuminando intellectum, non movendo immediate voluntatem, & etiam eos, & qui dicunt gratiam solùm dare facile, non simpliciter posse.

Non in aliis, ut ipsemet profitetur suis retractans.

484 Quoad alia non est irrefragabilis, hoc significat Cœlest. sup c. 12. ubi ait: se non afferre profundiores partes qq. quas pertractarunt August. & alii qui Hæreticis resisterunt. Hoc ipsum profitetur, Aug. l. de dono persev. c. 21. ubi habet: *neminem velim sic amplecti omnia mea ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit: nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda*

standa suscepi, ut nec meipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.

Hinc 1. absque ulla tanti Patris injuria dixerunt Tostat. defensorii p. 2. c. 18. *non ergo necesse est nobis quacumque Aug. dixerit concedere*, & Melch. Canus de Locis Theologicis c. 3. *stultum esse libris canonicis Augustini opuscula aquare.* Ita sentiunt Tostat. Canus &c. passim.

485. 2. Absque solido fundamento Ians. Ipren. to. 2. l. procem. c. 13. 14. 15. & ejus sectatores generaliter omnibus Aug. libris & assertionibus tribuunt irrefragabilitatem, contra sensum communem cæterorum DD. qui passim in interpretatione Scripturarum aperte recedunt ab Augustini Sententia v. g. de creatione mundi unico instanti. Contrarium falso asserit Ians.

Gelasius Papa dist. 15. c. 3. approbat omnia opera Aug. sed solum generaliter, sicut etiam approbat opera Cypriani, in quibus tamen continetur error de rebaptizandis ab hæretico baptizatis; cujusmodi approbatio (inquit Tostat.) est solùm commendatio doctrinæ alicujus Doctoris, ut eruditæ, piæ, & catholicæ, hoc sensu, quod non repugnet iis, quæ erant definita ab Ecclesia quando scribebatur Martinus I. in Concil. Lateran. solùm damnat eos, qui contradicunt communi Patrum sensui, non unius aut alterius in particulari. Doctrina Aug. a Gelas. est generaliter approbata ut sana, non ut vera.

486 Pelagius natione Anglus, professione monachus, simulata virtute à variis pro sancto habitus circa gratiam varie erravit docens. Pelagii hæreses sunt 1. Non dari peccatum originale. 2. Nec gratiam strictè. 3 Gratiam solùm requiri ad facilius posse. 4. Dari ex meritis etiam solùm conditionatè prævisis.

1. *Primum primi hominis statum, fuisse conditionem natura; non beneficium gratia in eoque Adamum ante peccatum fuisse obnoxium morbis morti, concupiscentia, & cateris miseriis aque ac post peccatum.*

2. *Peccando sibi soli nocuisse non posteris in quibus non agnoscit peccatum originale.*

3. *Non dari aliam gratiam quàm creationis, liberi arbitrii, doctrina Bibliorum, exhortationum, & exemplorum Christi.*

4. *Per Dei adiutorium solùm dari facilius posse bona agere & mala vitare, non simpliciter posse.*

5. *Gratiam dari ex meritis, non dari gratiam in-*

ternam ordinis supernaturalis sive habitualem, sive actualem.

6. *Electionem ac reprobationem parvulorum fieri ex meritis eorum liberi arbitrii, conditionate praevisis.*

7. Iuxta Hier. ad Ctesiphontem: *Dei cooperationem etiam ordinis naturalis, libero arbitrio non esse necessariam.*

Hi sunt praecipui errores Pelagii, quos acriter propugnarunt duo primarii ejus discipuli Celestius Hibernus, & Iulianus Capuae in Italia Episcopis.

Semipelagianorum errores sunt,

487 Semipelagiani ita dicti, eo quod Pelagii errores partim cum Ecclesia damnarent, partim cum Pelagio defenderent; errarunt asserentes.

1. Initium salutis esse ex nobis.

1 *Initium justitiae & salutis esse ex nobis, per volitionem credendi, & pie vivendi solis liberi arbitrii viribus elicitam, & per orationem ac petitionem auxilii ad id necessarii pure naturalem.*

2. Gratiam omnibus aequaliter offerri.

2 *Gratiam omnibus offerri, & arbitrium propria virtute illi consentire aut dissentire, ac proinde gratia non praeveniri, sed praire, & consequenter gratiam esse in ejus potestate, & non esse necessariam ad incipiendum bonum, sed ad prosequendum.*

3. Lib. arbitrium propriis viribus ei assentire &c.

3 *Gratiam praedicationis Evangelii quibusdam adultis, & baptismi quibusdam parvulis, ante rationis usum morituris conferri propter merita conditionate praevisa, uti & perseverantiam ac electionem ad gloriam.*

4. Grat. non praeveniri sed praire.

4 *Non dari à Deo gratiam peculiarem certis hominibus specialiter delectis, posse omnes viribus naturae perseverare si velint &c.*

5. Dari ex meritis conditionate praevisis.

488 Conveniunt cum Pelagianis Semipelagiani in eo, quòd cum illis doceant, Deum non dare bonum velle & agere, sed posse. Vnde negant gratiam proxime & per se causantem consensum voluntatis & solùm admittunt illustrationes intellectus: quibus voluntas invitatur ad consensum.

Discrepant à Pelag. in eo quod admittant peccatum originale, & necessitatem gratiae ad posse.

Discrepant 1. in eo, quod admittant peccatum originale. 2. in eo, quod doceant gratiam Dei internam, sitam in illustrationibus inclinandae voluntati servientibus, esse absolute necessariam ad posse

bonum

bonum velle & agere; non solùm ad faciliùs posse, ut volebant Pelagiani.

Hæc omnia fuse explicata, & ex Aug. Prosp. Hilar. contra Iansenistas efficaciter probata V. apud Annat. in Augustino a Bajanis vindicato l 7.c.5.apud Moraines disp. 10.sect 4 Ripal. tom.3. dis.6. & 7. Deschamps de Hæresi Ianseniana &c.

489 Adrumetini Monachi errarunt *ex scriptis Aug. malè intellectis, inferendo non dari liberum arbitrium*, ut patet ex Epist. 46. & 47. Aug. ad Valentinum Monasterii Adrumetini præfectum.

Adrumetini & Prædestinatiani ex Aug. male intellecto negarunt liberum arbit.

In eundem errorem eadem occasione prolapsi sunt prædestinatiani, teste Sigeberto, in chron. anno 415. cumque renovavit sæculo 8. Goteschalcus de eo damnatus in synodo Carisiacensi, neque absolutus fuit (ut vult Iansf.) à Synodo Valentina, quæ quidem ejus doctrinam approbavit in benigniore interpretatione, non tamen in rigoroso sensu; in quo ad mentem authoris fuerat damnata V. Moraines disp. 11. sect. 1.& 3. ubi refellit Iansf. l. 8. de Hæresi Pelag. c. ultim. falsò docentem hæresim prædestinatianorum nunquam fuisse; sed eorum doctrinam, quam Sigebertus & alii hæresim indigerant, fuisse veram Aug. sententiam.

490 Luth. & Calv. errarunt docentes.

Errant Luth. & Calvin. in eo quod docuerunt 1. Liber. arbitr. esse extinctum. 2. Hominem grat. necessitari ad bonum concupiscentia ad malum.

1. *Hominem non potuisse creari sine justitia originali.*

2. *Naturam humanam peccato originali esse ita corruptam, ut ab ea nihil possit procedere nisi peccatum.*

3. *Liberum arbitrium in natura lapsa esse extinctum, hominem ex necessitate, non liberè agi vel à concupiscentia in peccatum, vel à gratia in bonum.*

491 E Catholicis Bajus & Iansf. Ipren. varie errarunt sed præcipue in quinq; propositionibus ab Innoc. X. ann. 1653. 9. Iunii damnatis tanquam hæreticis, quas hic cum censuris Innocentii subiicio.

Prima *aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*: temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hære-

ticam declaramus, & ut talem damnamus.

Bajus & Ianſ. in 5. propoſitionibus ab Innoc. X. damnatis tanquam hæreticis.

Traditur in terminis à Ianſ. to. 3. l. 3 de gra. Salvatoris c. 13. & à Calv. inſt. l. 8. c. 7. & 8.

Secunda *interiori gratia in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur:* hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Manifeſte traditur à Ianſ. to 3. l 2. de gra. Salvatoris c. 15. & 14. & Calv l. 2. inſtit. c. 3.

Tertia *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione:* Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Traditur à Ianſ. to. 3. l. 6. de gra. Salvat. c. 6. cui præfigit hunc titulum *duplex neceſſitas Auguſtino, coactionis, & ſimplex, ſeu voluntaria; illa, non hæc repugnat libertati:* & à Calv. l. 2. inſt. c. 2. & 3.

Quarta *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus; etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare:* falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quæ traduntur à Ianſ. & Calv. locis cit.

Traditur à Ianſ partim l. 8. de Hæreſi Pelag. c. 6. partim l. 2 de gra. Salvat. c. 4. 5. 24. & alibi ſæpiùs: & à Calv. in Antidot. ſeſſ. 6. c 6. & can. 6.

Quinta *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe* falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu *ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Traditur à Ianſ. tom. 3 l. 3. de gra. Salvat. c. 21. & à Calv. l. 3. inſtit. c. 24.

Cavillationes Ianſeniſtarum exploſæ ab Annato, damnatæ ſunt ab Alex. VII. contra filios iniquitatis

492 Cavillationes Ianſeniſtarum dicentium has propoſitiones non contineri in libro Ianſ. eaſve ita explicantium, ut aſſerant non eſſe damnatas in ſenſu, quo illas admiſit Ianſ. V. exploſas ab Annato in lib. cui titulus *Cavilli Ianſenianorum*, & ſevere damnatas ab Alexand. VII. in decreto ann. 1656 Romæ edito ſub hoc titulo: *Confirmatio, approbatio, innova-*

novatio, & declaratio constitutionis Innocent. X. *de* 5. *propositionibus in materia fidei*, in quo sub initium hæc habentur.

493. *Licet ea, quæ Apostolicis constitutionibus abundè fuerunt definita, nova declaratione non indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores, illa in dubium revocare, vel sub dolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum.*

anno 1656. declarante dictas propos. excerptas esse ex libro Ianſ.& damnatas esse in sensu ab authore intentos.

Tum, recensitis Ianſ. propositionibus ab Innocent. damnatis, cum singularum censuris, subjunguntur sequentia.

Cùm autem sicut accepimus nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propositiones, vel in libro Cornelii Iansen. non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse asserere magno cum scandalo non reformident; nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter & attentè perspeximus, utpote, qui ejusdem Innocentii prædecessoris jussu omnibus illis congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate, eadem causa discussa est, ea profectò diligentia, qua major desiderari non posset; quamcumque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes, ut omnes Christi fideles, in ejusdem fidei unitate, se contineant, ex debito nostri pastoralis officii ac matura deliberatione, præinsertam Innocent. X. *constitutionem, declarationem, & definitionem, harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, &* 5. *illas propositiones ex libro Iansen. Episcop. Ipren cui titulus est* Augustinus, *excerptas ac in sensu ab eodem Ianſ. intento damnatas fuisse definimus ac declaramus, & uti tales, injusta sc. eadem singulis nota, qua in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur iterum damnamus, ac eundem librum Cornelii Ianſ. cui titulus* Augustinus *omnesque alios tam manuscriptos, quàm typis editos, & si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Ianſ. doctrina damnata defenditur, vel adstruitur, aut defendetur & adstruetur, dam-*

namus itidem , atque prohibemus . Mandantes omnibus Chriſti fidelibus , ne prædictam doctrinam teneant, prædicent , doceant , verbo vel ſcripto exponant , vel interpretentur publicè vel privatim , palam vel occultè imprimantve ſub pœnis & cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis , ipſo facto abſque alia declaratione id currendis .

494. Eaſdem Ianſeniſtarum cavillationes , technas & fraudes , iterum ſevere damnavit altero decreto anno 1664. edito ſub hoc titulo : *Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam* : ex quo fideliter excerpta ad rem noſtram facientia hæc ſubjungo:

Eaſdem Cavillationes iterum profligavit ann. 1664. præſcripta formula earum deſtructiva, cui omnes Galliæ Eccleſiaſtici Pontificis ac Regis imperio ſubſcribere coacti ſunt.

Quamobrem Cornelii Ianſen. hæreſim in Galliis præſertim ſerpentem ab Innocent. X. ferè oppreſſam ad inſtar colubri tortuoſi cujus caput attritum eſt , in varios gyros , & cavillationum deflexus euntem , ſingulari conſtitutione ad hunc finem edita extinguere conati fuimus . Sed ut multiplices hoſtis hominum artes adhibet , nendum plenè conſequi potuimus , ut omnes errantes in viam ſalutis redirent ; qui tamen unicus erat votorum & curarum noſtrarum ſcopus , quibus operam ſuam egregio ſanè ſtudio VV. FF. noſtri Archiepiſcopi & Epiſcopi regni Galliæ earundem conſtitutionum Apoſtolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt ; & Chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Chriſtianiſſimus , ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo , ac conſtantiſſimo animo porrexit . Cùm autem præfatus Rex Chriſtianiſſimus , eodem religionis zelo ductus , per ſuum in urbe oratorem nobis ſignificari exponique curaverit , nullum , alium opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe , quàm ſi omnes certam formulam ſubſcriberent noſtra authoritate firmatam , in qua 5. propoſitiones ex Cornelii Ianſen. libro excerptas ſincerè damnarent &c. nos tam piis dicti Regis Chriſtianiſſimi votis benignè annuendum eſſe ducentes formulam infraſcriptam , ab omnibus Eccleſiaſticis , etiam VV. FF. noſtris Archiepiſcopis , & Epiſcopis , necnon aliis quibuſcumque Eccleſiaſtici ordinis ſubſcribi diſtrictè mandamus , idque intra 3. menſes à die publicationis &c.

FOR.

FORMVLA.

„495 EGo N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maii 1653. & constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. summorum Pontificum, me subiicio, & quinque propositiones ex Cornelii Iansf. libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno, & ita juro, sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Formula rejectionis Iansenismi à Pontifice & Rege mandata.

496 Hujus mandati Pontificii executionem imperavit & efficaciter procuravit Rex Christianissimus speciali diplomate edito 29. Aprilis 1665. quo sub pœna hæreticis & quietis publicæ perturbatoribus infligi solita severe prohibet, ne ullus è suis subditis quidquam scribat, vel edat, quo doctrinam Iansenii damnatam quomodocumque directe vel indirecte sustineat aut renovet, vel formulæ præscriptæ contradicat.

Vnde mirum est post tot & tam præcisas ac graves Pontificum decisiones ac prohibitiones, quosdam inani jactantia & falsa professione Augustini Discipulos non vereri se iis adjungere, aut certe ad eorum sensa non parum accedere, quos Alexander VII. *Filios iniquitatis* indigitat; damnatam sc. Iansenii Doctrinam ita exponendo, interpretando, & verbis speciosis involvendo, ut quoad rem ab ea nihil, aut certe parum differant eorum dogmata.

His non obstantibus novos Cavillationis deflexus excogitarunt de Noris Pseudophilaletes & alii.

Quod de Henrico de Noris demonstrat Pater Bruno Neusser ordinis S. Francisci Recollectus prodromi velitaris p. 1. c. 1. & 2. de aliis P. Franc. Fourmestraux Duaci S. Theologiæ Professor Academicus c. 5. suæ justæ defensionis adversus convitia & imposturas Pseudophilaletis.

497 Hoc constat de libro Montaltii, notis VVendrockii, & disquisitionibus Pauli Irenæi, de quibus

Ita

Ita cenfuerunt Epifcopi DD. & Profeffores Sacræ Facultatis Parifienfis.

E quibus non nulli eum Montal Irenæo, Floro, & Authoribus Moralis Iefuitarum, ita aperte Ianfenifmum defenderunt ut eorum libri fuerint flammis addicti.

Nos infrafcripti Regis decreto felecti ad ferendum judicium de libro cui titulus eft, Ludovici Montaltii Litteræ Provinciales, &c. *præmiffo eiufdem libri diligenti examine teftamur ianfenianas hæreſes ab Ecclefia damnatas, in eo propugnari atque defendi, tum in dictis Litteris Ludovici Montaltii, tum in Notis Vilelmi VVendroKii, tum in adjunctis difquifitionibus Pauli Irenæi: atque id eft ita manifeftum, ut fi quis neget, neceffe fit, vel non legiffe librum hunc, vel non intellexiffe, vel certè quod peius eft, non putare id hæreticum effe, quod à fummis Pontificibus, & ab Ecclefia Gallicana, & à Sacra Facultate Theologica Parifienfi, damnatur ut hæreticum. Teftamur infuper maledicentiam & petulantiam tribus illis authoribus adeo effe familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, exceptis Ianfeniftis, non fummo Pontifici, non Epifcopis, non Regi, non præcipuis Regni adminiftris, non Sacra Facultati Parifienfi, non Religiofis familiis ideoque librum effe dignum pœna libellis famofis & hæreticis à jure conftituta. Actum Parifiis die feptima Septembris anno Domini millefimo fexcentefimo fexagefimo.*

Henricus de la Mothæ Epifc. Rhedonenfis. Harduinus Epifc. Ruthenenfis. Francifcus Epifc. Ambianenfis, Carolus Epifc. Sueffionenfis. Capelas Cu. S. Iacobi. C. Morel. L. Bail. Fr. Ioannes Nicolai Prædicator M. Grandin. Sauffoy. Fr. Matthæus de Gancy Carmelita. Chamillard G de Leftocq

Et merito poft adeo graves Pontificum prohibitiones.

498 Merito poft adeo graves virorum fapientiffimorum cenfuras Confilii ftatus Regii Decretos hic liber cum dictis VVendroKii notis, & annexis Irenæi difquifitionibus flammis datus eft manu carnificis, uti & alii duo libri ab Auguftini Pfeudodifcipulis confcripti, quorum unus infcribitur *moralis praxis Iefuitarum*, alter *moralis Iefuitarum*. Eandem infamiam nuper fubiit liber an. 1677. editus Ianfenifmo refertus, cui titulus eft, *Speculum pietatis Chriftianæ*: Authore Floro à Sancta fide, quem eminentiffimus Cardinalis Grimaldi Archiep. Aquen.

Aquensis, Illustrissimus Remensis Archiep. aliique divinæ gloriæ zelosi Galliæ Episcopi Iansenii hæresis damnarunt, & sub gravissimis pœnis severissime prohibuerunt. Vnde justo Parlamenti Aquensis decreto, Parisiis jussu Regis, tum Duaci & alibi edito, anno 1678. addictus est flammis per manus carnificis.

Veriores se præstiterunt August. discipulos DD. Duacenses.

499 Quantò his Augustini Pseudodiscipulis laudabiliores ac sancti Aug. doctrinæ & in Apostolicam sedem observantiæ conformiores se præstiterunt eximii Duacenæ Facultatis Theologicæ Doctores, Germani *Veritatis & æquitatis Filii*, qui non solùm promptissime Pontificibus Vrbano VIII. & Innocent. X. paruerunt, eorumque Bullas cum omni submissione admiserunt, & publicarunt; sed etiam refractariis, qui ut loquitur Alexander supr. num. 492. relatus *Pontificum definitiones subdolis interpretationibus labefactare non verentur*, fortiter restiterunt, theses Iansenismo, vel leviter inspersas sustineri prohibuerunt, denique dolosas eorum cavillationes viva voce & scriptis confutarunt. Quos constant ex libro solida & Catholica doctrina referto, quem ediderunt sub hoc titulo: *Veritas & æquitas censuræ Pontificiæ Pii V. Gregor. XIII. Vrban. VIII. super articulis 76. damnatis propugnata constanter ac illustrata.*

Quibus in sanctam sedem & universam Ecclesiam fidelibus obsequiis meruerunt à Pontificibus Vrbano VIII. & Innocentio X. per Brevia Apostolica ad ipsos specialiter destinata honorari, laudari, & ad eadem constanter præstanda incitari; quæ, ad perpetuam universitatis Duacenæ gloriam, hic subjicienda censui.

Dile-

Dilectis Filiis Academiæ Duacensis.

VRBANVS PAPA VIII.

500 DIlecti Filii, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Omnipotentis Imperium in Pontificis authoritate despicitur, quotiescumque Apostolicis sanctionibus repugnatur. Quamobrem impudens aliquorum temeritas satis improbari non potest, qui constitutionem de Cornelii Iansenii libro, qui titulus: Augustinus, aliorumque operibus ac libellis vitandis anno 1641 pridie nonas Martii à nobis conditam, & anno 1643. 19. Iunii in urbe publicatam falsitatis insimulare vanissimis rationibus non sunt veriti. Ob tam apertam eorumdem contumaciam ingenti planè ægritudine affecti sumus, animo agitantes, quàm pernicioso exemplo, & propriæ salutis discrimine id præsumant. Attamen non parum valet ad sollicitudinem nostram aliqua ex parte levandam illa fiducia, quam in bonorum zelo, & præsertim Duacensis Academiæ pietate constituimus. Neque enim patiemini veteris gloriæ decora, non tam doctrinæ, quàm pietatis præsidio acquisita, inconsultis quorumdam opinionibus imminui. Proinde nobis pollicemur fore, ut qua par est veneratione nostro diplomati qualibet ex parte obtemperetis, vosque ejus laudis studiosos ostendatis, quæ communi quietis curatione, & debita erga hanc Sedem obedientia comparari solet: Altissimum precamur, ut dirigat cogitationes vestras in beneplacito suo, & præclaræ isti Vniversitati jugiter præsto sit, cui Nos Apostolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 24. Octobris 1643. Pontificatus nostri anno 21.

Subsignatum erat Iulius Rospigliosius.

Dile-

Dilectis Filiis Theologis ac Professoribus Universitatis Duacensis.

INNOCENTIUS PAPA X.

501 DIlecti Filii, salutem & Apostolicam Benedictionem. Insignis vestra Academia, quamvis singulorum ingenia ad studia distribuat singularia; mores quidem ac instituta ad unitatem & concordiam universa temperavit. Quotiescumque verò in Catholicæ religionis Patrocinio, aut in Apostolicæ Sedi probando obsequio, experiri sese contigerit, tum maxime, vel ipso in conspectu orbis terrarum incitare se vestra virtus & gloria consuevit. Hoc sane gaudemus, diutinam hanc obsequentissimorum filiorum constantiam nunc recens in vobis neutiquam fuisse dimoram in tuenda observandaque constitutione Fel. Rec. Vrban. VIII. Decessoris nostri, pridie nonas Maij 1641 publice data, in qua librum, titulo Augustinus, sub nomine impressum Cornelii Iansenii Episcopi olim Iprensis, aliasque multorum disceptationes, adstruentium illum aut oppugnantium, gravibus enunciatis pœnis, generatim interdixit: ut nimirum gemino occurreret piaculo, & violatæ hujuscemodi impressionibus Apostolicæ jussionis prædecessorum summorum Pontificum Pii V. Gregor. XIII. ac Pauli V. & succrescentium in dies dissidiorum, quæ discrepantibus ingeniis atque animis, nec dicto Apostolicæ Sedis audientibus, in non levem fuerant religionis perniciem eruptura. Et quoniam in hujus Vrbani constitutionis obsevantia perstare, fructum pollicetur certissimum Catholicæ, quam nos constabilire omninò decrevimus, consensionis & unitatis, admonendos vos esse duximus, paternaque præceptione compellendos, ut in hoc acriùs deinceps intendere, laboresque vestros nostræ sollicitudini adiungere, ne intermittatis; ac ut filios amantissimos decet, mereri egregie de hac sancta Sede, adeoque de cœtu recte sentientium, qui vestræ

Quorum Brevia ad perpetuam Theologicæ Facultatis Duacenæ gloriam & Iansenismi infamiam hic subjecio.

veſtræ ſunt ſapientiæ famam atque obtemperationis ductum ſecuturi. Cujus ſane ob recens iſthoc experimentum, ſuo vos gremio arctiſſime in Domino complectetur ſemper parens Eccleſia; Noſque in dies magis, quibus par fuerit, ornamentis, ac meritis inſtruemus. Apoſtolice vobis interim ex animo benedicimus. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Febr. 1645. Pontificatus noſtri anno 1.

Gaſpar de Simeonibus.

502 His ad ipſam Facultatem datis addidit Innocentius X. Breve aliud ſpeciale ad eximium D. Valentinum Randour Facultatis Decanum, qui ardenti religionis zelo Apoſtolica Pontificum decreta Ianſeniſmi hæreſim profligantia contra *Filios iniquitatis* generoſe defendit voce & ſtylo acri ſane ac pereleganti, ut videre eſt tum in orationibus pulcherrimis eruditione, & piiſſima in Pontifices obſervatione plenis pro veritate & æquitate, & contra ſynopſin de gratia & annexis Samuelis Mareſii Calviniſtæ, quas in ſcholis publicis magno ſpiritus ardore pronunciavit, ac poſtmodum amicorum hortatu ad majus Eccleſiæ bonum typis mandari curavit, tum in duabus Epiſtolis contra Libertum Fromundum celebrem, Vniverſitatis Lovanienſis Doctorem, Ianſenii amicum, ejuſque Dogmatum fautorem, quas reperies in libro ſupra citato, cui titulus *æquitas & veritas*.

Porrò zeloſiſſimi huius ac obedientiſſimi Eccleſiæ filii, pro tuenda authoritate Pontificia & veritate, Apoſtolica piiſſimas ac doctiſſimas elucubrationes tanti fecit Innocentius, ut earum authorem dignatus ſit ſpeciali, ac perhonorifica Benedictione honorare contenta hoc Brevi.

Dilecto

Dilecto Filio Valentino Randour S. Theologiæ Doctori ac professori Regio in Accademia Duacena.

INNOCENTIUS PAPA X.

503 Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quæcumque ex Ecclesiæ Catholicæ sententiâ decrevimus nuper de quinque propositionibus, quibus tamdiu antea controversis fidelium animi in ingens salutis discrimen vocabantur, judicia sane oris Dei fuerunt, qui factus est nobis sapientia in ostensione Spiritus & virtutis. Iam, & preces, quas enixe ad eum effudimus, & certus gregis ductus, cui nos sibi substituit Pastor æternus, argumento erant, futurum nobis a dextris Dominum, qui nunquam defectura tuitione regit vestigia nostra in semitas veritatis. Eis verò te in Academia ista jam pridem institisse, ac sanctæ hujus Sedis sanctionibus obsequenti prorsus mente, ac summa studii alacritate sponte occurrisse cùm perjucunde quidem intelleximus, tum plurimum etiam Nostræ in te voluntatis exinde provocari sentimus. A viro siquidem doctrina ac virtute egregie commendato, quod hactenus in Catholica rei tutelam aggressus est omni ope, atque ingenio perfectum iri confidimus; quod ut ardentius, ac fœliciùs exequaris, te dilecte Fili, conatusque religione tua dignos Apostolica Benedictione munimus. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXI. Martii MDCLIV. Pontificatus nostri Anno decimo.

Aliud Breve Innocentii X ad Valentinum Randour, acerrimum Iansenismi hostem & veritatis Catholicæ vindicem.

504 Post tot illustria Duacenæ Universitatis facta & Pontificum encomia, meritò dixit D. Randour in sua oratione pro *veritate & æquitate*: *Hac sit Sacra Facult. nostræ immortalis gloria in toto orbe Catholico, quod ex ipsa nullus defectionis hujusmodi & Apostasiæ reus fuerit à condita Universitate*. Et infra: *Incedo omnibus lætitiis dum integram contemplor in omnibus nostris Facultatibus obedientiam erga sanctissim. Petri Successorem*, ac tandem sic concludit: *Gratulor tibi alma Uni-*

Randourius merito gratulatur Universitati Duacenæ gloriam veritatis constanter defensa.

Universitas, quod promptitudine obediendi summis Pontificibus omnes superasti, gratulorque tibi ò Sacra Theologia Facultas, quod tuorum nemo vestigia majorum non sit secutus, sc. in veritate Catholica generose tuenda.

Atque hæc dicta sint, ut omnes intelligant quanta sollicitudine, quantoque zelo studuerit Ecclesia Iansenii errores exterminare; quanta fide ac reverentia erga Pontificum decreta eosdem errores Universitas Duacena sit execrata; quanta denique temeritate & pertinacia *iniquitatis filii* non sint veriti perniciosis cavillationibus Pontificum definitionibus illudere, ut horum impiam temeritatem omnes detestentur; illorum verò pietatem ac zelum *pro veritate & æquitate* censurarum ac decisionum Apostolicarum omnes imitentur.

Alii errores Baii & Ians.

Alii Baij & Ians. errores sunt. 1. dona justitiæ originalis esse homini naturaliter debita. 2. ante peccatum non potuisse sine illis creari 3: gratiam in natura integra solùm dare posse operari, non ipsum operari, & consequenter stare cum libertate indifferentiæ; in natura lapsa voluntatem necessitare & similia, quæ efficaciter refellunt, & à Luth. & Calvin. aliisque hæreticis mutuata demonstrant Annatus, Steph. Deschamps, Petrus à S. Ioseph. Moraines, Ripal. & alii Scriptores Catholici, qui favente Rege Christianissimo, Pontifice summo & Deo ter optimo de Iansenismo triumpharunt.

§. II.

Diversi naturæ status.

505 TRiplex præcipue à Theologis distingui solet naturæ status

Tres status naturæ primus est puræ, importat facultates naturaliter debitas.

Primus est naturæ puræ, hoc est habentis præcisè facultates, & perfectiones sibi naturaliter debitas, cum proportionato Dei concursu, absque ordinatione ad finem supernaturalem per dona supernaturalia, & corruptione naturæ per peccatum originale.

Secun-

Secundus est naturæ integræ, hoc est ultra perfectiones naturaliter debitas, habentis per dona sibi indebita perfectam subjectionem appetitus, aliarumque facultatum sensitivarum ad rectam rationem, & ipsius rationis ad Deum ut finem ultimum, cum exemptione à doloribus, & cæteris infirmitatibus corporis. Subdividi potest in elevatum ad finem supernaturalem, qualis fuit status justitiæ originalis in primis parentibus; & non elevatum ad supernaturalia, sed solummodò ordinatum ad beatitudinem naturalem per dona naturalis ordinis, qualis est possibilis.

2. Integra, insuper subjectionem appetitus ad rationem &c.

Tertius est naturæ lapsæ, id est, quæ justitiam originalem & integritatem, quam in primo parente acceperat, per ejus peccatum perdidit. Subdividi potest in statum naturæ lapsæ, per Christum reparatæ quoad infirmitatem culpæ, licet non quoad infirmitatem concupiscentiæ, & mortalitatis, qualis est in justificatis; & non reparatæ, qualis est in peccatoribus.

3. Lapsa dicit privatio non gratuitorum propter peccatum.

506 Statum puræ naturæ esse possibilem negarunt Luth. Calvin. aliique hæretici, & e Catholicis Bajus & acerrime Ianſ. tom. 2. totis tribus libris docens ejus assertores Manichæis suffragari, cum Atheis de immanitatis palma certare, Deum crudelitatis arguere ejusque providentiam ac justitiam funditus exinanire.

Possibilis est status naturæ puræ, est omnium Cathol. contra Luth. Calv. Bai. Ianſen. Iprenſ.

Affirmativa tamen sententia est S. Thom. 1. p. qu. 95. art. 1. Scot. in 2. dist. 28. qu. unic. & saltem nunc, omnium Catholicorum & certa ex Decreto Pontificum, Pii V. Gregorii XIII. contra Baj. & Vrbani VIII. contra Ianſ. quo damnantur hæ propositiones, 26. inter Bajanas: *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis conditio* 55. *Deus non potuisset ab initio talem hominem creare, qualis nunc nascitur.*

507 Eandem esse Augustini demonstrant Ripal. Morain. Annat. Deschamps, & alii ex plurimis ejus testimoniis l. 3. de lib. arb. c. 20. & 21. ubi docet Creatorem fore laudandum, licet *naturalis esset*, id est à prima creatione homini conveniret, *ignorantia &*

Est etiam Aug. docenti hominem non esse natura Dei Fil.

difficultas, quæ nunc est pœnalis, quod confirmat 1. retract. c. 9. *Ad quam miseriam justa damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suæ; nec ab isto malo, nisi gratia, quisquam liberatur: quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione Dei descendere, negantes peccatum originale, quamvis ignorantia, & difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem tertio libro disputavimus*. Item lib. 3. contra Maxi. c. 15. *homo, ad Dei similitudinem factus, non est verus Filius; & ideò sit gratia Filius, quia non natura*, & l. 6. de Gen ad lit. c. 105. *posse non mori præstabatur Adamo de ligno vitæ, non de conditione naturæ*. Ratio est autem, quod in tali statu nulla ostendi potest repugnantia.

Vnde cont. Iul. solùm vult quod (ex hypot. præsentis providentiæ de immunitate hominis a miseriis, si non peccasset) Deus foret injustus si parvulis peccati expertibus tot infligeret mala.

508 Dices 1 August. lib 2. contra Iul. c. 10. absolute dicit: *Si Deus tanta parvulis mala nihil peccati trahentibus, irrogaret apparet injustus* lib. 6. cap. 5. *quomodo autem non est injustum jugum grave, si nullum est in parvulis malum, propter quod justè jugo premantur gravi*, & lib. 1. operis imperfecti, fol. 42. *Quis non videat, si habent parvuli, qualem prædicas innocentiam, in gravi jugo eorum, Dei non esse justitiam*. R. loquitur ex hypothesi præsentis providentiæ ex Scripturis à Iul. admissis: satis probatæ, qua Deus constituerat hominem, à miseriis servare immunem si non peccasset: alioqui enim ejus argumenta, si soli insisterent parvulorum innocentiæ, & Dei iustitiæ, æque urgerent contra malum cœcitatis, cœco nato, Ioan. 6 non propter sua aut parentum peccata inflictum. Item contra plurima hujus vitæ mala, quibus constat adultos innocentes & Sanctos absque ulla injustitia sæpe affligi.

Iuxta Aug. & Cœlest. Dona iustitiæ originalis sunt naturalia hoc sensu,

509 Cùm verò de Spir & lit. cap. 27. ait: *Hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus instauret in nobis*: solùm vult dona justitiæ originalis, fuisse naturalia, 1. hoc sensu quod in primo creationis initio cum ipsa natura primo homini sint collata. Eodem sensu Cœlest.

lect. I. Epistol. ad Episc. Gal. quæ habetur in fine operum Prosperi, dicit: *In prævaricatione Adæ, omnes naturalem possibilitatem* (id est facultatem in prima creatione, omnibus necessariis instructam ad opera salutaria) *perdidisse*. 2. hoc sensu, quòd non sint contra naturam ut vitium, sed sint naturæ qua rationali consentanea, eamque perficiant & adjuvent ad operandum, conformiter rectæ rationi, quod patet ex his, quæ subjungit: *Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia, proindè naturaliter homines, quæ legis sunt, faciunt: qui enim hoc non faciunt, vitiosè faciunt*, quod juxta August. S. Thom. & omnes Theol. est operari contra naturam qua rationalem: unde gratia, qua homo operatur non vitiose, sed virtuose est naturalis hoc sensu, quod non sit sicut vitium contra naturam, sed potiùs secundùm ejus exigentiam; licet non sit ei naturaliter debita. 3. quod ad actus supernaturales vitales habeat virtutem inchoatam, quam non habet lapis.

1. quod sint concessa initio creationis cum natura.

2. quod sint natura consentanea, non contraria, ut vitium.

Deinde dici potest, quod Aug. per *imaginem, in qua naturaliter facti sumus*, non intelligat similitudinem, quam habemus cum Deo per dona sanctitatis, sed per dona naturalium facultatum animæ rationalis, quæ per peccatum vere vitiantur.

Anima nostra est imago Dei etiam secundùm facultates naturales.

510 Dices 2. August. l. 13. de civit. cap. 15. ait: *Constat nobis corporis mortem non lege naturæ, sed meritò inflictam esse peccati*. R. solùm vult hominem de facto non mori ex naturæ exigentia, sed ex merito peccati, quod si homo non admisisset, Deus decreverat contra naturæ exigentiam, ejus mortem impedire.

Eodem sensu lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. ait: *Non posse à libidinosis operibus temperare non natura instituti hominis, sed pœna damnati*: sc. ex vi præsentis providentiæ, non ex natura rei; cùm eodem lib. c. 20. 22. & 24. doceat posse hominem creari, qualis nunc nascitur, nempe quoad naturalia & secluso peccato originali.

Mors & infirmitates humanæ sunt, ex vi præsentis providentiæ pœna peccati in pura natura fuissent pœnalitas.

Miseria in statu puræ naturæ fuisset pœnalitas naturalis, non pœna strictè, quæ supponit culpam,

de qua sola Aug. l. 3. de lib. arbit. c. 18. dicit: *Omnis pœna si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*. Et ibid. c. 9. *Si miseria* (sc. habens rationem pœnæ) *peccata præcedit, rectè dicitur deformari ordo universitatis*.

Deus ex Aug. fuisset injustus, non in nostra, sed in sententia Manichæorum, qui docebant 1. Deum animas de se innocentes cogere ad peccati miseriam 2. destinare ad miserias æternas ex solo metu vano mali imminentis à gente tenebrarum: unde contra Fortunat. disp. 1. dicit; *Si Deus nihil pati potuit: quia inviolabilis est, crudeliter huc nos misit, ut ista patiamur*.

Homo ex Aug. in suis actibus non est indifferens in individuo.

511 Dices 3. Aug. de peccat. merit. l. 12. c. 18. docet hominem non posse esse, seu fieri in statu indifferenti ad bonum & malum. R. solùm vult non dari actus indifferentes in individuo, quod indicat his verbis: *Mirum est, si voluntas potest ita in medio consistere, ut nec bona, nec mala sit*.

Concupiscentia non est moraliter mala præcise ut est rebellis, sed vi per extortum voluntatis consensum, causæ malum.

Dices 4 homo in statu puræ naturæ vi suæ creationis haberet concupiscentiam rebellem rationi, quæ, cùm ex Aug. l. 5. contra Iul. c. 7. sit mala, non potest esse à Deo. R. concupiscentiam ut rebellem, hoc est, ut ex se necessariò appetentem delectabilia sibi proposita, etiam rectæ rationi repugnantia, non esse malam malitia morali; cùm secluso voluntatis consensu, nulla in ejusmodi appetitione sit libertas, adeoque nec moralis malitia: solùm esse malam malitia naturali, seu esse imperfectionem naturalem, ut sunt peccabilitas, mortalitas, fatigabilitas, & similes naturæ corruptæ imperfectiones, ei prout est ex nihilo convenientes: concupiscentia verò spectata quatenus sup rata voluntatis resistentia est causa operis mali, contra dictamen rationis (de qua Aug. sup. intelligendus est). est quidem mala malitia morali; sed ut sic non est, nec esset à Deo in statu puræ naturæ. sed ex vitio voluntatis libere cedentis, cùm absolute posset resistere.

Hinc subjectio perfecta partis inferioris ad superiorem, seu sensitivæ ad rationalem, sic ut illa non moveatur nisi ex hujus imperio, qualis fuisset,

set; si Adam non peccasset, non est homini naturalis sed supernaturalis, ut patet ex hac 13. prop. Bajana à Pontificibus damnata; *Integritas primæ conditionis non fuit indebita natura humana, sed naturalis ejus conditio.*

Nec propterea inordinatio, seu perversitas est de intrinseca constitutione hominis; quia ordo naturalis solùm postulat; ut pars superior dominetur inferiori & non contra: dominatur autem superior in inferiori, licet inferior rebellet contra superiorem quoad solum sensum, quando superior retinet dominium consensus atque operis, ut retinere posset in statu naturæ puræ.

Hominis rectitudo naturalis exigit, ut voluntas concupiscentiæ dominetur quoad consensum & opus, non quo ad motus rebelles.

512. Dices 5. homo essentialiter ordinatur ad Deum amandum eoque fruendum: R. non modo supernaturali per gratiam, sed modo naturali, ad quod sufficiunt auxilia ordinis naturalis, quæ ipsi non defuissent in statu puræ naturæ, quibus potuisset, (saltem potentia antecedente) vitare peccatum & carere vitio, quod est contra ejus naturam.

Vnde homo eo in statu creatus, esset rectus rectitudine naturali, & consequenter ejus errores & peccata, non potuissent tribui Deo naturæ authori; quia ista mala non essent illi naturalia, & inevitabilia absolute, sed solùm inevitabilitate consequente.

Conflixit August. cum Iul. de peccato originali, & de mortalitate, &c. in ejus pœnam, non de possibilitate status puræ naturæ.

513 Ex his, patet præcipuum conflictum Aug. cum Iul. non fuisse de possibilitate status puræ naturæ, ut contendunt Bajani, volentes Pelagianos docuisse de facto existere statum puræ naturæ in parvulis; Aug. verò illum statum impugnasse, idque argumentis ejus possibilitatem destruentibus: quod ex dictis constat esse falsum. Vnde totus conflictus Aug. cum Iul. fuit de existentia peccati originalis, de mortalitate & concupiscentia in ejus pœnam inflicta, quæ negavit Iul. volens concupiscentiam esse bonam, & Adamo ante peccatum tanquam beneficium, collatam, nos verò illa tanquam fidei dogmata recipimus cum August. nec ullo modo pugnant cum possibilitate status naturæ puræ, uti nec argumenta Aug. cont Iul.

Natura lapsa non est intrinsece infirmior natura pura.

514. Natura lapsa juxta Cajet. Suarez contra Alvar. Zumel. & Ripald. non est intrinsece infirmior natura pura, hoc sensu, quod non habeat omnes facultates naturales, aut non æque perfectas intrinsece, & substantialiter, ac haberet natura pura; neque hoc sensu, quod ejus facultates naturales, redditæ sint intrinsece minùs expeditæ ad honestum, & magis propensæ ad malum per ablationem accidentalis cujusdam qualitatis naturalis, aut impressionem alicujus innaturalis. Nullum est enim fundamentum in Scripturis aut PP. ista astruendi, & repugnet Dionys. de div. nom. c. 4. docenti in Angelis post peccatum remansisse omnia naturalia, ex quo recte infert S. Thom. 1. p. q. 95. art. 1. O. idem dicendum esse de homine.

Nisi hoc sensu quod sit positive indigna auxiliis naturalibus naturæ puræ moraliter debitis.

Est tamen intrinsece infirmior hoc sensu, 1. quod ratione peccati originalis, quo Deus juste infensus est contra totum genus humanum, sit positive indigna, adeoque destituta speciali protectione Dei, & auxiliis ordinis naturalis, quæ naturæ puræ essent naturaliter debita, saltem debito quodam morali, fundato in eo, quod suavissimam ac sapientissimam Dei providentiam, non deceat naturam rationalem innocentem destituere præsidiis, quibus possit finem suum naturalem non solùm physice, sed etiam moraliter & facilè assequi; imò in quibusdam individuis illum de facto assequatur. 2. quia in statu naturæ lapsæ dæmones magis sæviunt tum in pœnam originalis hoc Deo permittente, tum ex majori dæmonis odio in hominem, cui invidet elevationem ad finem supernaturalem. 3. quia est major intemperies humorum in corporibus orta. ex vitiis progenitorum, ex qua sequitur inordinatio operationum animæ.

Hoc sensu homo per peccatum est vulneratus in naturalibus.

514 Hoc sensu August. l. 3. de lib. arb. c. 18. dicit: *Non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Araul. can. 1. *peccato Adæ, totum hominem secundùm corpus & animam in deterius esse mutatum*. Trident. sess. 6. can. 1. *Liberum arbitrium esse viribus attenuatum*. Ambr. & Bed. in parabolam spoliati à latroni-

tronibus, docent peccato hominem non solum esse spoliatum gratuitis, sed etiam vulneratum in naturalibus. Quamquam hæc & similia possint etiam explicari de ablatione donorum pure gratuitorum, ex qua secuta est divisio facultatum naturalium inter se pugnantium, quæ esset in statu puræ naturæ, sed non ut habens rationem pœnæ peccati, quæ mala est præsuppositive.

516. Dices I. de nat. & grat. c. 3. ait: *Natura humana medico indiget, quia sana non est: vitium verò, quod ista naturalia contenebrat & infirmat, ut illuminatione, & curatione opus sit non ab inculpabili artifice contractum est, sed ab originali peccato*. Ergo ex mente Aug. tenebræ & infirmitates naturæ lapsæ majores sunt & diversæ ab iis quæ forent in natura pura. R. majores sunt modo rejecto sup. 513. N. modo explicato & concesso C. — **In natura lapsa est cæcitas & infirmitas major privative.**

Differt natura pura ab integra non solum per gratiam sanctificantem, & dona supernaturalia ei annexa, sed etiam in eo quod in natura integra non esset ribellio partis inferioris per motus prævenientes rationem; in pura verò esset, sed facile superabilis vi specialis Dei protectionis & auxiliorum naturalis ordinis, quæ non est in natura lapsa. — **In natura integra non esset ribellio præveniens rationem, ut in pura.**

§. III.

Gratiæ necessitas in statu naturæ integræ

517. HOmo in statu naturæ integræ, non indiguit gratia supernaturali ad totam legem naturalem constanter servandam usque ad finem vitæ, quia habuit principia naturalia ad eam facile servandam per se sufficientia, absque ullo ignorantiæ aut rebellantis concupiscentiæ impedimento. — **Homo integer non indiguit gratia ad servandum legem naturalem.**

Præceptum, cujus violatione peccavit Adamus, pro quo servando, gratiam ei fuisse necessariam docet Aug. de cor. & grat. c. 11. *Si hoc auxilium Angelo, vel homini defuisset, non utique sua culpa cecidissent, &c.* Non erat legis naturæ, sed divinæ puræ positivæ & quidem servandæ ex fide, & obe-

dientia Deo debita, ut gubernanti providentia supernaturali, contra quam directe pugnavit gravis tentatio dæmonis.

Indiguit ad supernaturalem, ad quam pertinebat prohibitio esus pomi.

518. Indiguit tamen ad servandam legem supernaturalem & merendam vitam æternam gratia proprie dicta, ipsius naturæ indebita, donante non solum posse, sed & ipsum operari: est omnium Catholicorum & certa, cont. Baj. prop. 7. dam. *primi hominis integri merita fuerunt prima creationis munera*, & Ians. de gratia primi hominis c. 7. 8. 9.

Dices ergo requiritur gratia ad peccandum contra legem supernaturalem. R. tanquam aliquid necessarium ad posse servare legem simpliciter, & libere, quod prærequiritur, ut legis violatio possit esse peccaminosa. C. tanquam aliquid per se movens aut aliquo modo concurrens ad legis transgressionem. N.

Quia juxta Aug. & Anselm. etiam Angelo, & 1. homini convenit illud quid habes quod non accepisti, & istud: charitas diffusa est &c.

Prob. ex Apost. hanc doctrinam tradent. 1. ad Cor: 4 *Quid habes, quod non accepisti*, &c. quibus verbis etiam comprehendit opera meritoria Angelorum, & primi hominis ante lapsum, eaque significat à Deo accepta esse, & donata per gratiam, ut diserte docet Ansel. l. de casu diaboli c. 2. *Constat ergo, quia ille Angelus qui stetit in veritate, sicut ideò perseveravit; quia perseverantiam habuit; ita ideò perseverantiam habuit, quia accepit, & ideò accepit, quia Deus dedit*, & ad Rom. 5. *charitas diffusa est in cordibus nostris*, &c. quæ verba etiam ad Angelos & consequenter ad ipsum primum hominem pertinere testatur Aug. l. 12. de civ. c. 9. *Confitendum est igitur cum debita laude creatoris non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de S. Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum S. qui datus eis*, quod ibid. confirm. his verbis: *Si boni Angeli fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in se ipsis Deo non operante fecerunt, ergo meliores à se ipsis quàm ab illo facti sunt? absit:* & infra, *profecto & bonam voluntatem, quà meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris habere non possent.*

Hinc gratia sanctificans non est debita & connaturalis homini in statu naturę integrę, alioqui etiam actus supernaturales fidei &c. essent ipsi connaturales.

519. Ne-

519 Neque his repugnat de cor. & grat. c. 14. *qua futura erat* (nempe vita æterna) *& homini sicut facta est Angelis merces meriti, nunc autem per peccatum perdito bono merito, in iis qui liberantur factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat &c.* 12. *habens* (sc. primus homo) *virtutem liberi arbitrii, quamvis non de futuro adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet: fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* Illis enim locis solùm vult merita Adami non fuisse donata à Deo; iis specialibus gratiæ titulis quibus merita hominis lapsi, quæ censentur esse donata ex majori gratia, 1. quia homo lapsus positive indignus est. 2 quia indiget gratia Incarnationis pro redemptione à peccato. 3. quia cùm sit infirmior, indiget auxilio intrinsece fortiori ad vincendas tentationes, & concupiscentiæ vires. 4 quia ad actus bonos non solùm indiget illustratione ex parte intellectus, sed etiam inspiratione ex parte voluntatis; qua primus homo in statu innocentiæ, & immunitatis à rebellione concupiscentiæ adversus spiritum non indigebat. 5. quia in prima creatione non accepit cum natura gratiam sanctificantem, cum habitibus supernaturalibus, & hoc sensu potentiam & libertatem naturalem ad actus supernaturales & meritorios, ut homo primus.

Quia tamen homo lapsus eget maiori gratia, ideo eius merita ex Aug. sunt specialius Dei dona quam merita hominis integri.

520 Vnde licet vita æterna etiam respectu hominis integri, futura fuisset gratia in radice, & respectu hominis lapsi sit merces etiam juxta Aug. Epist. 105. *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita meritò justitiæ, ut stipendium vita æterna:* quia tamen, ob rationes allatas, merita lapsi sunt ex majori gratia, minus censentur esse ipsius merita, & consequenter vita æterna eorum respectu, minus proprie habere rationem mercedis.

Respectu eius vitæ æternæ in radice fuisset gratiæ, sed minor quam respectu lapsi magis indigni.

521 Gratia sanitatis, seu naturæ integræ, & medicinalis, seu naturæ lapsæ, non differunt (ut volunt Baj. & Iansf.) in eo quod illa relinquat libertatem indif-

Gratia sanitatis non differt à me.

dicinali in eo quod illa relinquat libertatem indifferentiæ, nec non.

indifferentiæ, seu à necessitate, hæc illam tollat, & relinquat solam libertatem à coactione, neque in eo quod illa sit connaturaliter debita, hæc indebita, neque in eo quod illa non det meritum, nec discernat operantem à non operante; hæc utrumque præstet: neque in eo quod illa non sit necessariò connexa cum effectu, & consequenter solùm sit auxilium sine quo non, seu sufficiens tantum; hæc verò sit necessario connexa cum effectu, & consequenter auxilium quo, seu efficax. Quæ omnia patent ex dictis, tam hic, quam sup. de libero, & amplius patebunt ex dicendis infra de gratia sufficienti.

Sed in eo quod illa non præsupponat indignitatem concupiscentiæ rebellionem, hæc verò præsupponat, adeoque Aug. requirat motionem voluntatis non illa.

In variis tamen differunt 1. in eo quod illa non præsupponeret positivam indignitatem, sicut hæc 2. in eo quod illa non indigeret virtute accepta à Christo redemptore; hæc autem indigeat ad sanandam peccati infirmitatem, juxta illud Aug. de nat. & grat. c. 3. *Natura hominis qua unusquisque ex Adam nascitur medico indiget; quia sana non est*. 3. in eo quod illa non esset concupiscentiæ rebellanti restitiva: hæc autem sit. Hujus differentiæ meminit Aug. de cor. & gra. c. 11. *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? immò verè habuit magnam sed disparem*. Et infra: *Ille non opus habebat eo adjutorio quod implorant isti, cùm dicunt: video aliam legem in membris meis, &c.* 4. in eo quod ad illam necessaria non esset motio voluntatis, sed sufficeret illustratio intellectus, quia cùm voluntas Adami esset libera à motibus concupiscentiæ retardantis à bono, & inclinantis ad malum, & instructa habitibus per se infusis, ei sufficiebat honesti propositio per illustrationem mentis, ut absque ulla difficultate in illud ferretur etiam per actum supernaturalem: ad hanc verò requiratur motio voluntatis, ad vincendam resistentiam concupiscentiæ trahentis ad malum.

Vnde August. de spir. & lit. dicit illustrationem mentis ad bene agendum nobis non prodesse, *ubi non adjuvat Spiritus inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam*.

§. IV.

§. IV.

Gratiæ necessitas in Statu naturæ lapsæ.

522 Potest homo lapsus absque Christi gratia cognoscere aliquas veritates practicas, non solùm in universali; sed etiam in particulari, prout requiritur ad dirigendos actus moraliter bonos. Ita cum S. Th. cont. Greg. DD. communissimè 1. ex Script. Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: quibus verbis juxta Aug. in istum locum. Cyril. l. 1. in Ioan. & interpretes communius, significatur, quod lumen naturale nobis dictet quid faciendum fugiendumve sit. Ex Chrysost. & Aug. potest homo lapsus cognoscere veritates practicas, directivas actuum moraliter bonorum.

2 Ex PP. Chrysost hom. 54. in Gen. *nemo prætexat, quod ignorans virtutem negligat, &c. sufficientem enim habemus magistrum conscientiam, & fieri non potest, ut quis illo magistro privetur*. Aug. in Ps. 57. *veritas manu formata in cordibus nostris scripsit, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: hoc ignorare nemo permissus est*.

523 Cùm ergo Epist. 105. ait: *nemo rectè sapit, nemo rectè intelligit, nisi acceperit spiritum Sapientiæ, &c.* loquitur, sicut & Apost. 2. ad Cor. 3. *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis &c.* de cogitatione pertinente ad salutem vitæ æternæ: ut satis indicat infra addens, *nemo est pie sciens, aut scienter pius* &c.

Fide certum est cont. Pelag. & Semi pelag. non posse hominem lapsum absque gratiæ auxilio quidquam cogitare, velle aut facere, quod conducat ad vitam æternam: hoc enim evidenter docet. Script. Ioann. 6 *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, &c. 15. *sine me nihil potest facere*, 1. ad Cor. 12. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu S.* Non tamen conducentium ad vitam æternam quæ est supra omnem creaturæ exigentiam & virtutem.

524 Idem constat ex definitionibus Conc. Arausf. can. 7. Trid. sess 6. can. 1. 2. 3. ac PP. testimoniis, August. præsertim plusquam triginta libris cont. Pel. & Ratio est quod cùm vita æterna sit quid super-

Pat. ex Scrip. CC. & PP.

pernaturale, excedens omnem naturæ creatæ, & creabilis exigentiam, etiam media ei subordinata debeant esse supernaturalia, adeoque omnes naturæ vires excedentia.

Potest naturæ viribus exercere actum moraliter bonum.

Potest tamen per solas naturæ vires facere aliquod opus moraliter bonum, seu, ut loquitur Aug. Epist. 130 *quod ad præsentis vitæ honestatem valet*; non verò quod ullo modo etiam solùm remote ad salutem conducat. Est S. Th. & aliorum longe communior.

525 Colligitur ex Script. ad Rom. 2. *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*. Quæ verba Orig. Chrysost. Hier. Ambr. aliique PP. ac DD. passim apud Suar. accipiunt de gentilibus, etiam non conversis ad Deum, qui naturaliter id est lumine, & viribus naturæ in variis bene operantur.

Colligitur ex Scrip. PP. & contrariis propositionibus in Bajo damnatis.

526 Licet Aug. l. 4. contr. Iul. c. 3. illa intelligat de conversis ad Christum, nostrum tamen sensum etiam approbat de Spir. & lit. c. 28. ubi admittit in infidelibus aliqua bona opera ratione quorum etiam dici possunt, quæ legis sunt, naturaliter facere; *quia*, inquit, *non usque adeo in anima humana terrenorum affectuum labe imago Dei detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; unde dici possunt etiam in ipsa impietate vitæ suæ, facere aliqua legis, vel sapere, quæ*, ut habet paulò superiùs c. 22. *secundùm justitiæ regulam meritò rectèque laudamus*. Ibidem c. 27. & 28. dicit nihil profutura impio ad salutem æternam aliqua opera bona, *sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*.

527 Hinc damnatæ sunt hæ propositiones Bajanæ 22. *cum Pelagio sentiunt, qui textum Apost. ad Rom. 2. gentes, quæ legem non habent* &c. *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*. 26. *omnia infidelium opera sunt peccata*. 28. *liberum arbitrium sine gratiæ adjutorio, non nisi ad peccandum valet*. Et meritò, quia non solùm repugnant Aug. iam cit. sed & Basil. Hier. Damasc. aliisque PP. apud Suar.

Dices

Dices 1. Script. CC. & PP. sup. n. 522. diserte docent ac sæpissimè inculcant hominem, sine Dei adjutorio nihil posse, aut ut Cœlestinus ad Episcop. Gal. *neminem nisi per Christum bene uti libero arbitrio*. R. loquuntur de bono opere ad vitam æternam conducente, ut satis indicant frequenter addendo, vel *sicut oportet* ut ad Rom. 8. v. 16. Arausic. can. 6. & 25. Trid. sess. 6. can. 3. vel *sicut expedit ad pietatem pertinens*, ut Arausic. can. 7. vel *quod attinet ad verum Dei cultum*, ut Aug. de dono persev. c. 13.

Scrip. CC. & PP. solum volunt sine gra. hominem nihil posse quod conducat ad salutem.

Pro his solùm operibus bonis à Deo obtinendis orant oratione, *quæ est clarissima gratiæ testificatio*, ut inquiunt PP. CC. Cartag. in epist. ad Innoc. Hier. epist. ad Cresiphontem & Ambros. epist. 84. col. 3. per Dei auxilium, quod requirunt ad singula opera bona, manifeste intelligunt concursum Dei ut causæ 1.

Dices 2. Aug. de spir. & lit. c. 3. dicit: *nam neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum vellet, si lateat veritatis via*: R. non est intelligendus in rigore verborum, alioqui coincideret cum propositione 28. Baij damnata; sed dicendus est ibi solùm considerare opera, ad vitam æternam conducunt vel abducunt, e quibus sine quæ Dei gratia, hæc tantùm potest, non illa; vel certe censendus est loqui juxta usum communem, quo de mendaci vere dicitur, nihil nisi mendacia loquitur, quamvis subinde sed rarò loquatur vera: quia nempe ut habet ibidem c. 27. *si discutiatur quo fine fiant* (sc. opera bona infidelium) *vix inveniuntur, quæ justitia debitam laudem mereantur*: subinde tamen aliqua reperiuntur nullo malo sine vitiata & consequenter, saltem in actu exercito, & implicite relata ad Deum naturæ authorem, ut ad finem ultimum, quod sufficit, ad bonitatem moralem in ordine naturæ. Sic ordinatissimus astrorum motus enarrat gloriam Dei sui authoris.

Spectando tantum merita & demerita lib. arb. sine gra. ex Aug. solum valet ad mala non ad salutaria.

Dices 3. Arausi. can. 22. ex Aug. tract. 3. in Ioan. dicit: *nemo habet de suo nisi peccatum & mendacium*: R. ut sibi ita proprium ut nullo modo sit Dei ut Authoris C. sic ut de se nihil possit nisi peccatum N.

Peccatum est ita hominis, ut non sit Dei.

Dices

Cogitatio congrua ad actum moraliter bonum requisita non est gra. strictè sed latè seu provi. dens.

Dices 4. ad opus moraliter bonum requiritur cogitatio congrua R. istam cogitationem non esse gratiam strictè & simpliciter: licet enim sit magnum Dei beneficium à creatione & conservatione distinctum, & hic & nunc omninò indebitum, ac proinde rectè dicatur gratia late, seu providens: cùm tamen non excedat ordinem providentiæ naturalis, nec elevet hominem ad aliquid quod sine il a non possit etiam moraliter, quandoquidem non sit necessaria, nisi necessitate consequente, & quidem non fundata in infirmitate naturæ, sed in eo præcise quod homo pro sua libertate non sit eum alia cogitatione hic & nunc operaturus bonum, non est gratia strictè, seu evehens supra naturæ vires, de qua sola loquuntur Scriptur. & PP. dum docent homini lapso ob infirmitatem ex peccato contractam ad omne opus salutare necessariam esse gratiam.

Nisi detur ex speciali affectu ut aliquo modo conducens ad salutem aut pænarum minutionem.

528 Quod si tamen ejusmodi cogitatio congrua ex speciali affectu à Deo detur, ut aliquo modo remote sive per se, & positive, sive solùm per accidens, & negative conducens ad salutem, est speciale Dei beneficium ex meritis ejus qui *venit salvum facere*, id est, nobis mereri omnia, quæ quomodocumque ad salutem pertinent; secus si ad vitam æternam nullo modo conducat; tunc enim solùm est ut docet Aug. Epist. 130. de bonis operibus infidelium, *sicut corporis forma, vires & salus, ex Deo creatore & perfectore naturæ*, non ex Christo justificatore, qui teste eodem August. Epist. 105. *Non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est ut justificarentur*.

Vnde omnia beneficia etiam entitative naturalia quæ de se aut ex Dei intentione aliquo modo conducunt ad vitam æternam, vel in reprobis ad mitigandas pœnas æternas, conferuntur ex meritis Christi juxta Aug. l. de patientia c. 26.

Potest homo lapsus natu. ræ viribus amare Deum super omnia

529 Potest homo lapsus, solis naturæ viribus amare Deum super omnia, amore naturali tum concupiscentiæ, tum amicitiæ efficaci quoad affectum, id est tali ut cum eo stare non possit voluntas peccandi mortaliter, adeoque etiam quoad effectum

pro

pro brevi tempore quo durat: quia potest homo in præsenti statu naturæ lapsæ, non adjutus auxilio sibi indebito, cognoscere Deum ut primum principium, & finem ultimum in esse naturæ; adeoque ut summe & super omnia bonum, bonitate tum respectiva, tum absoluta, ergo cùm Deus præsentatus sub tali ratione boni, contineatur intra objectum naturale voluntatis, etiam potest (seclusa gravi tentatione aliove impedimento) solis naturæ viribus in illum sic cognitum ferre amore proportionato, idque efficaci, saltem ad breve tempus; cum nullum appareat solidum fundamentum dicendi quod hoc eius vires superet.

amore naturali, efficaci etiam quoad effectum pro brevi tempore.

Quod Confir. ex hac 36. propositione Bajana à Pontifex damnata, *amor naturalis qui ex viribus naturæ oritur ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus*.

Quia Deus ut summe amabilis est intra objectum naturale voluntatis. & 36. propos. Bajana huic doctrina contraria est damnata.

Dices Aug. Epist. 107. dicit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*: R. intelligendus est de amore constanter per longum tempus efficaci, quoad effectum, vel de amore supernaturali ad vitam æternam conducente, de quo se explicat l. 4. contr. Iul. c. 3. dum dicit: *Amor Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi à Deo*.

De hoc solo egerunt PP. per se & explicite, de naturali tamen meminerunt implicite, cùm dixerunt gratiam esse necessariam ad diligendum Deum, *sicut oportet*; quibus verbis significant dari aliam dilectionem, non *sicut oportet*, pro qua necessaria non est gratia.

530 Eodem sensu explicanda sunt alia Script. CC. & PP. testimonia, quibus charitas dicitur esse donum Dei. Pelagius autem ab Aug. aliisque PP. damnatus fuit, non quod docuerit hujusmodi amorem Dei naturalem, esse viribus arbitrii possibilem, sed quod voluerit ad vitam æternam conducere.

Negans CC. & PP. de amore salutari.

Probabile est (quod docet Ripalda de ente supernaturali disp. 20 & 114. sec. 13.) amorem Dei naturalem nunquam separari à supernaturali simul

elicito

elicito; quia, cum gratia Dei sit semper parata, cogitationibus & affectionibus honestis ex causarum secundarum concursu naturaliter excitatis semper interferuntur & conjunguntur supernaturales circa idem objectum: cum enim voluntas gratiis instructa se ex cogitationibus naturalibus applicat ad eliciendum actum naturalem honestum, eodem conatu simul elicit supernaturalem, neque est in ejus libertate istos actus ab invicem separare, quamvis ex se sint separabiles. Hinc à PP. computantur pro uno & eodem opere meritorio.

Potest potentia physica servare legem naturalem totam collective.

531 Potest quoque potentia physica, absque gratiæ auxilio servare totam legem naturalem, non solùm totam distributive, sed etiam totam collective, sic ut constanter, & per longum tempus abstineat à peccato gravi. 2. Quia primi parentis peccato, nullum ex principiis ad id requisitis, amisit 3. Quia illud videtur necessarium ad libertatem quæ requiritur ad hoc ut quovis casu legis transgressio sit peccatum; hæc enim libertas, ægre, aut nullo modo salvaretur, cum sola potentia physica respectu singulorum præceptorum, non verò respectu totius collectionis per certum longi temporis spatium, v.g. unius anni: posito enim quod lex solum constet 10. præceptis, & 9. servaverit, physice non poterit servare decimum: quia alioqui servaret totam legem collective, quod, ut supponitur, est ipsi physice impossibile: ergo decimum necessariò violabit, adeoque illud violando non peccabit. Item posito quod totam legem servaverit per 11. menses, non poterit physice mẽse 12. eam servare, adeoque necessariò eam violabit. Quod dictum est de mensibus, applicari potest instãtibus, & sic deveniri ad unũ instans in quo necessariò legem violabit ac proinde peccabit & non peccabit.

Cum ad id nihil ei desit, hocque requirat ejus libertas.

Et ad id teneatur quovis instanti.

3 Denique quia homo, in ista hypothesi tenetur hoc instanti, & quovis sequenti servare totam legem collective, cum teneatur hoc instanti non peccare, quod est servare totam legem collective, seu vitare peccata ei contraria omnia collective, ergo hoc instanti & quovis sequenti habet potentiam physicam ad servandam totam legem collective sicut habet

ad

ad non peccandum, alioqui non posset peccare, nec obligari ad observationem totius legis collective.

532. Dices PP. absolute dicunt esse homini impossibile servare totam legem sine gratia: ergo ad id non agnoscunt in homine potentiam physicam, quæ ei det illud posse simpliciter & sufficienter ad libertatem R: N. seq. quia PP. supponunt hominem sine gratia posse peccare, & consequenter habere libertatem requisitam ad peccandum violando legem; loquuntur tamen absolute quia impossibilitas moralis simpliciter, sufficit ad hoc ut aliquid dicatur simpliciter impossibile.

PP intelligendi sunt de impotentia morali simpliciter.

Aug. Epist. 106. reprehendit Pelagium eo quod doceret liberum arbitrium aliquantulum valere ad non peccandum; quia per hoc libero arbitrio non solùm tribuebat potentiam physicam ad non peccandum sed etiam moralem ad diu servandam totam legem sine gratia, licet difficilius.

Non tamen potest potentia morali servare totam legem collective: potest, seclusa gravi tentatione, servare totam distributive.

Non tamen potentia morali.

1. Pars nunc adeò certa est, ut oppositum passim habeatur errori proximum. Sumitur præcipue ex Apost. ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati: infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per IESVM CHRISTVM &c.* & c. 8. *quod impossibile erat legi* &c. Idem colligitur ex Concil. Milevit. can. 5. Trid. sess. 6. c. 13. & ex PP. apud Suar. præsertim Aug. de grat. & lib. arbit. c. 4. ubi ait: *& tamen Dei donum est sine quo servari castitatis præcepta non possunt.* Quod etiam clare traditur Sapientiæ 8. *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.*

Pat. ex Scrip. CC. & PP. præsertim Aug. docente sine gra. non posse servari castitatem.

533. 2. Pars prob. quia in observatione præceptorum legis naturæ singulorum seorsim, seclusa vehementi passione aut tentatione, nulla est gravis difficultas; quæ non sit solis naturæ viribus facile superabilis: ergo &c.

Potentiæ omnium distributive non est actuabilis adæquate.

Dices contra 1. part. homo sine gratia potest potentia morali servare legis naturæ præcepta omnia

distributive nullo excepto, ergo etiam omnia collective: quia servare aut servasse omnia distributive nullo excepto est servare aut servasse omnia collective. R. N. seq. ad prob. dico quod servare omnia nullo excepto non sit actus potentiæ servandi omnia distributive, hæc enim potentia non est actuabilis adæquate, sed solùm inadæquate per observationem unius aut alterius præcepti, semper connotando aliqua non esse servata, servabilia quidem at non omnia simul, sed solum seorsim. Patet à simili in eo qui habet 10. panes sufficientes uni completæ refectioni, talis enim potest unica refectione absumere istos panes omnes distributive nullo excepto, id est tam hunc quàm illum, vel istum &c. non tamen sic ut unica refectione omnes absumantur, nullo excepto: actus enim colligit quod potentia distribuit.

Lex positiva Humana non potest obligare ad moraliter impossibile secus lex naturæ, quæ vetat antecedenter mala.

Dices 2. Lex non potest obligare ad aliquid moraliter impossibile; cùm lex debeat esse rationabilis & utilis: atqui non est rationabile, nec utile, sed perniciosum, hominem obligari & quidem sub mortali ad aliquid sibi moraliter impossibile. Ergo homo sine gratia non obligatur ad servandum totam legem naturæ, vel certe illam potest servare etiam potentia morali. R. dist. ma. lex positiva, saltem humana C. quia legislatori humano non est concessa potestas obligandi ad aliquid, quod de se & antecedenter ad legem est indifferens, nisi illud sit moraliter & humano modo possibile, ita nempe exigente bono communi, cui servire debet lex ut sit justa & valida: lex naturalis. N. quia hæc quatenus præcipiens respicit ea, quorum omissio est antecedenter ad legem intrinsece mala, & quatenus prohibens ea, quæ similiter sunt per se naturæ rationali qua tali disconvenientia.

534. Vnde obligat 1. rigidius sc. cum quovis incommodo & vitæ periculo, ut patet in præcepto non mentiendi, non pejerandi &c. 2. indispensabilius; cùm nequidem Deus possit directe in ea dispensare 3. rationabiliter cum quavis difficultate, aut morali impossibilitate, modò non desit possibilitas

litas physica; cùm sit dictamen rectæ rationis, cui repugnat non esse rationabile.

Adde quod nunquam obliget in actu secundo, nisi quando habetur, quod nunquam deest auxilium sufficiens ad posse moraliter.

Dices 3. Deus non potest imperare sub mortali, ut singulis aleæ jactibus jaciam numerum parem, quod tamen est physice possibile (cum subinde fiat per solas naturæ vires) & solùm moraliter impossibile: ergo neque ut servem totam legem; eo casu quo est mihi moraliter impossibile. R N.seq. disparitas est quod solùm habeam potentiam physicam ad jaciendum numerum parem fortuito non libere & ex propria electione, cùm nesciam quomodo jaci debeant aleæ, ut resultet numerus par: habeam autem potentiam physicam ad legem servandam libere, & ex propria determinatione: unde ad hoc possum obligari, non ad illud.

Ad obligationem prærequiritur posse libere, non sufficit posse fortuito.

535. Consistit autem moralis impotentia simpliciter, de qua hic agimus, in tanta difficultate operandi, ut licet physice actus fieri possit, numquam tamen contingat fieri, nec Deus per scientiam conditionatam cognoscat ullam voluntatem ex creatis, vel creabilibus, quæ in talibus circumstantiis sit bene operatura: hæc autem tanta difficultas, quæ circa exercitium boni in natura lapsa sæpissime contingit, præcipue oritur, ut patet ex Apost. sup. n. 522. ex vehementia concupiscentiæ delectabilia prosequentis & fugientis contraria.

Moralis impossibilitas simpliciter nunquam superatur, oritur ex vehementia concupiscentiæ.

Hinc probabile est dari aliquod tempus determinatum, Deo notum, ultra quod homo in talibus circumstantiis, non possit moraliter vitare peccatum, sic, ut proinde in illo determinato instanti peccet necessariò necessitate morali, posito quod in præcedentibus non peccaverit: sive interim, quod videtur, intelligibilius, ista necessitas procedat ex majori difficultate pro isto instanti orta ex fatigatione resistendi toto tempore præcedenti; sive, ut quidam volunt, ex sola inconstantia & fragilitate humanæ mentis, inferente vagam necessitatem deficiendi aliquo instanti intra certum tempus, adeoque in ulti-

Datur tempus ultra quod homo non potest moraliter vitare peccatum.

mo, posito quod in præcedentibus non defecerit, qualis reperitur in multis aleæ jactibus, ut aliqui sint impares; in magna hominum multitudine, ut aliqui loquantur. Vnde in isto ultimo instanti homo secundum se spectatus non est absolute minus potens, & indifferens ad non peccandum, quam aliis instantibus præcedentibus, sed solum spectatus ut subest inconstantiæ ac fragilitati humanæ, & ex hypothesi, quòd non peccaverit in præcedentibus, in quorum singulis subjacebat eidem necessitati peccandi ex hypothesi quod in aliis instantibus intra certum tempus non esset peccaturus.

Cujus ultimo instanti si prioribus non peccaverit, necessitatur moraliter, quatenus subest humanæ fragilitati.

536 Certum est, hominem lapsum absque gratiæ auxilio non posse vincere ullam tentationem victoria salutari, posse verò victoria damnabili, id est unum peccatum vitando per aliud. Vnde solùm dubitari potest de victoria sterili, seu ad meritum & demeritum indifferenti, de qua.

Dicendum est 1. posse non tantum physice, sed etiam moraliter sine gratia superare aliquam tentationem levem: quia, cùm tentatio levis non adferat difficultatem gravem vitandi malum, ad quod inclinat, non apparet in quo fundari possit impotentia moralis eam superandi. Adde quòd damnata sit hæc 29. Baij propositio *non solum fures ij sunt & latrones, qui Christum viam veritatis & vitæ negant; sed etiam qui dicunt tentationi ulli sine gratiæ ejus adjutorio hominem posse resistere.*

Non potest homo sine gratia vincere ullam tentationem victoria salutari potest levem etiam moraliter, victoria sterili.

537. Dicendum 2. posse etiam quantumlibet gravem vincere potentia physica: quia potest sine gratia cedendo tentationi peccare; ergo etiam potest sine gratia, tentationi resistendo non peccare, cùm sine gratia posse peccare essentialiter dicat, sine gratia posse non peccare, sine quo stare nequit libertas ad peccandum requisita.

Physice potest vincere quantumlibet gravem moraliter ut ex Script. docent PP.

Dicendum 3. non posse potentia morali, tentationem quantumlibet gravem superare, sine indebito Dei adjutorio; saltem naturali, hoc enim significat Scrip. 1. Cor. 10. *non patietur vos tentari supra id quod potestis*: ex quo Chrysost. Theoph Theodor & alii rectè inferunt dari tentationes quæ arbitri

sibi

sibi relicti vires, saltem morales superent. Idem docent PP. tum jam cit. apud Suar. tum August. l. 22. de Civ. c. 23. his verbis: *in hoc bello periculorum plenissimo, nec de viribus nostris speretur facienda victoria, nec viribus nostris facta tribuatur; sed ejus gratia*, de quo Apost. ait: *qui dat victoriam per Christum*.

538. Dices 1. PP. docent gratiam esse necessariam ad quamlibet tentationem superandam. Ergo falsum est quod homo possit, etiam moraliter sine gratia, superare aliquam tentationem levem; prob. anteced. ex Chrysostomo homil. 24. in 1. ad Cor. *sunt ergo tentationes, quæ sufferri non possunt, & quæ sunt hæ? omnes ut ita dicam*. Et infra: *nam ne illas quidem moderatas & mediocres propria virtute feremus, sed in his quoque egemus auxilio, ut eas pervadamus*. Theophilacto in 1. ad Cor. c. 10. quævis tentatio vires nostras superat, nisi iste auxilietur nobis. R. PP. uti & Conc. Arausi. c. 4. loqui de tentationibus gravibus, hoc enim indicant S. Leo Epist. 90. *si vehementer tribulatio* &c. Cyril. in Ioan. c. 45. *neque acres diaboli laqueos evitare*. Et Chrys. sup. addendo hanc correctionem; *ut ita dicam* vel certe agunt de victoria facili, aut salutari. Deinde tentatio levis pro nulla habetur.

PP. loquuntur de tentationibus gravibus dum dicunt nullam posse superari sine gratia.

Dices 2. potest homo etiam potentia morali solis naturæ viribus superare gravissimas difficultates ex motivo vanæ gloriæ aut alio naturali, ut patet in hæreticis tolerantibus tormenta, & mortem ipsam pro suis erroribus pertinaciter tuendis. Ergo similiter superare gravem tentationem. R. N. sequel. dispar. est quod motiva sensibilia & humana, in præsenti statu naturæ corruptæ, non multò magis afficiant, quàm spiritualia & supernaturalia, à sensibus remotiora: hoc enim quotidiana experientia demonstrat.

539. Iustus cum ordinariis gratiæ auxiliis potest vitare omnia venialia etiam collective potentia physica ut contra varios docent Veg. Gran. Ovied. & patet ex dictis sup. n. 510.

Ista tamē impossibilitas non est antecedens.

Non tamen potentia morali. Hoc fide certum cont. Pelag. apud August. de bono persever. c. 5. & de

Iustus cum gratia ordinaria potest vitare omnia venialia etiam collective potentia physica non morali, patet ex CC. & PP.

nat. & gra. c. 7. ex Script. Ecclesiastæ 7. *Non est homo justus in terra qui non peccet*. Iac. 3. *in multis offendimus omnes*. Idem constat ex definitionibus CC. Milev. Can. 2. Trid. sess. 6. Can. 23. ubi dicit anathema ei *qui dixerit justificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia*, & ex clarissimis PP. testimoniis Aug. l. 1 cont. 2. Epist. Pelag. c. 14. *multi quidem baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim*. Quod fere totidem verbis repetit Greg. 21. moral. c. 9. Ratio autem est quod gratia sanctificans nec per se, nec per auxilia actualia sibi connaturaliter debita tollat rebellionem concupiscentiæ, cui numquam consentire, saltem imperfecte, & ex subreptione ac infirmitate absque speciali auxilio, est moraliter impossibile.

Votum de moraliter impossibili, est dubii valoris.

540. Hæc impotentia juxta nonnullos, favente Gran. sufficit ut votum de vitandis omnibus venialibus collective sit nullum: quia votum est lex privata quam vovens sibi imponit; lex autem cùm essentialiter sit justa & rationabilis, non potest obligare ad moraliter impossibile; adeoque nec votum: hoc tamèn varii negant quando votum est de vitanda re antecedenter prohibita, tunc enim prohibitionis obligationem firmat & auget.

Sola B. V. fuit immunis ab omni peccato etiam veniali.

541. Certum est B. Virginem fuisse immunem ab omni peccato actuali, etiam veniali, quantumvis levi, patet ex Trid. sup. n. 538. Aug. loco jam citando, & ex traditione & sensu totius Ecclesiæ, ex quibus varii censent esse de fide.

Hoc privilegium extendunt ad S. Ioan. Baptist. Galatin. Cathar. & Lorin. quod cæteri reiiciunt ut aperte repugnans Augúst. l. de nat. & gra. c. 36. ubi expresse dicit *hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos & sanctas, cùm hic viverent congregare possemus; & interrogare utrum essent sine peccato, quid aliud responsuros putamus?* & infra una voce clamassent *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c.*

542. Po-

542. Potest justus potentia physica & antecedente absque speciali auxilio, cùm solis ordinariis & communibus, quæ justis nunquam denegantur, perseverare in gratia sanctificante per longum tempus, usque ad finem vitæ; non tamen potentia morali & consequente.

Iustus potest diu perseverare in justitia, cum gratiis ordinariis, etiam usque ad mortem, potentia physica, non morali.

Vtrumque est de fide. Primum quidem ex definitione Arauf. can. 25. Trident. sess. 1. c. 11. dicentis: *nemo temeraria illa à PP. sub anathemate prohibita voce uti debet: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*, & Innocent. X damnantis *ut impiam, blasphemam, & hæreticam* hanc Iansf. propositionem: *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant*. Ex quibus patet Deum justis omnibus conferre donum perseverantiæ in actu primo. Secundum verò ex Trident. sess. 6. can. 22. ubi dicitur anathema ei qui dixerit *justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse*, & ex unanimi Cœlestini primi, Cyp. Hieron. Fulg. Prosp. Anselm. aliorumque PP. consensu apud Suar. Gran. ac nominatim August. de bono persev. c. 1. 2. & 19.

Vtrumque est de fide ex CC & PP.

543. Oritur autem hæc impossibilitas ex rebellione concupiscentiæ, quam gratia sanctificans non compescit, nec per se formaliter, aut per suos habitus hominem juvat ad illam faciliùs vincendam, sed solùm per auxilia ipsi connaturaliter debita, quæ ex CC. & PP. jam cit. communiter non sunt talia, ut diuturnam perseverantiam præstent, licet ad eam absolute sufficiant. Non apparet tamen cur non possit etiam potentia morali absque speciali Dei auxilio perseverare per breve tempus usque ad finem vitæ, ut si non diu post acceptam justificationem, priusquam occurrerit ulla difficultas superanda ad non peccandum, subitò moriatur. Fatendum tamen cum August. de cor. & gra. c. 8. *donum Dei esse ut finiat homo vitam istam antequam ex bono mutetur in malum*.

Hæc impossibilitas oritur ex concupiscentia quam gratia sanctificans seipsa non compescit.

544. Homo existens in peccato mortali, non

Peccator non potest potentia morali diu abstinere à novo mortali.

potest potentia morali cum ordinariis gratiæ auxiliis diu vitare omnia mortalia, sic ut in novum non incidat, ita S.Thom.q.109.a.8 & cæteri communissime cont. Dur.

Prob. ex Thren. c. 8. *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est*. 2. ex PP. Greg. Hom. 11. in Ezech. *si citiùs pœnitendo non tergitur* (sc. peccatum præcedens) *justo judicio omnipotens illigatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere*. Et Homil. 11. in Evangelia, *peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit*. August. de nat. & gra. c. 16. *sanat ergo Deus, non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus*.

Quia Dei inimicus meritò privatur gratiarum abundantia.

Ratio est quod juxta leges à divina providentia constitutas peccatori Dei inimico non concedatur ea auxiliorum abundantia & efficacia, quæ justis conceditur, ut possint vitare omnia peccata mortalia; ei tamen non denegantur auxilia sufficientia, quibus omnia vitare possit potentia physica: hoc enim ad libertatem requiritur ex dictis sup. num. 530.

§. V.

Gratia actualis, præveniens, adiuvans, efficax, sufficiens.

Gratia actualis est transiens Dei auxilium ad bene operandum.

545. GRatia actualis interna & propriè dicta, formaliter & quoad conceptum, est speciale Dei auxilium transiens, hominem interiùs excitans aut elevans ad bene operandum ut oportet ad salutem. Quoad rem verò est, partim illustratio intellectus & inspiratio, seu motio voluntatis, partim auxilium transiens per modum principii activi potentias, habitu supernaturali destitutas, elevans ad actum supernaturalem.

Consistit in illustratione inspiratione & vi activa.

Dixi, *interna*, quia de gratia actuali externa, qualis est exhortatio, bonum exemplum &c. hic non

non agitur, sed de sola interna, sine qua prodesse non potest externa.

546. Illustratio autem & inspiratio non sunt aliud, quam actus intellectus & voluntatis indeliberati, quos juxta Arausf. can. 9 & 20. & August. l. 1. ad Simp. q. 2. *Deus operatur in nobis sine nobis*, sc. moraliter, & libere concurrentibus. Porro isti actus indeliberati ex parte intellectus, sunt, apprehensiones fortes, vel judicia bonum suadentia, aut imperantia; ex parte voluntatis verò, sunt actus amoris Dei & cujusvis alterius boni pertinentis ad salutem, vel desiderii faciendi actum, quem Deus à nobis exigit, vel subinde (quod saltem fieri potest) etiam ipse actus bonus, quem Deus 1. producit in nobis sine nobis, ut deinde posita sufficienti advertentia, eundem libere & cum merito continuemus.

Illustratio & inspiratio sunt actus intellectus, & voluntatis indeliberata

547. Iis, qui habitibus supernaturalibus non sunt instructi, necessarium est auxilium ab istis actibus indeliberatis distinctum, quod habeat se per modum principii activi, potentias de se ad actum supernaturalem improportionatas, elevantis & complentis in esse principii in actu primo proxime sufficientis; cùm enim potentiæ naturales ex se non habeant vim sufficientem ad actum supernaturalem producendum, nec possint ad id effective juvari per ipsos actus indeliberatos, utpote non activos physice, saltem sic, ut possint, potentias de se insufficientes complendo, coefficere actus supernaturales (alioqui enim frustra darentur habitus supernaturales) necessariò admittendum est, aliquod auxilium elevans, ab istis actibus distinctum: quod non est aliud, quàm vel specialis assistentia Dei extrinseca, seu Deus ut paratus cum potentia concurrere concursu supernaturali, vel connaturalius, quædam qualitas transiens non vitalis, à Deo potentiis, eo tantùm fine impressa, ut, per modum comprincipii, earum virtutem de se ad supernaturalia insufficientem, compleat ac constituat in actu primo sufficienti.

Habitu destitutis ad actus supernaturales necessarium est auxilium potentias activè elevans.

548. In-

Habitu instructus necessaria est illustratio non inspiratio seu motio ex parte voluntatis.

548. Instructus habitibus supernaturalibus, non potest absque gratia excitante, saltem tenente se ex parte intellectus, elicere ullos actus supernaturales: videtur tamen probabilius posse aliquos absque ulteriori excitante ex parte voluntatis.

Primum Scripturæ CC. & PP. requirunt ne alioqui initium actui salutaris sit ex viribus naturæ, seu ex cognitione naturali.

549. Primum tuemur ut longe conformius Scripturæ Ioan. 6. *nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*, CC. Trid. sess. 6. can. 3. definiente hominem *sine præveniente Spiritus S. inspiratione non posse credere, sperare, diligere &c. sicut oportet* (ubi inspirationem sumit late, prout etiam illuminationem intellectus comprehendit ut patet ex c. 5. ejusdem sess.) Arausi.can.5.6.7.9 20 & 25. ad omne opus bonum requirente gratiam prævenientem & PP. præsertim Aug.l.4 cont. duas Epist. Pelag. c. 6 *in omnibus quæ quisque agit secundùm Deum misericordia ejus prævenit eum*.

Quæ & similia, licet juxta varios possint sufficienter explicari ad vitandum semipelagianismum, vel illa intelligendo de prima conversione infidelium habitibus infusis carentium; vel gratiæ prævenientis nomine intelligendo habitum supernaturalem cum concursu sibi proportionato; tamen hæc explicatio videtur violenta & à Scripturæ & PP. mente aliena, deinde sic posset voluntas actu naturali intellectum habitu instructum sufficienter applicare ad producendum actum supernaturalem v.g. fidei, aut intellectus cognitione naturali sufficienter prælucere voluntati instructæ habitu ad amorem supernaturalem, atque ita, initium actus salutaris, esset ex viribus naturæ, quod est semipelagianum.

Non secundum.

550. Secundum vero quia Scripturæ, CC. & PP. non videntur ad actum salutarem necessariò plus requirere, quàm præviam Spiritus S. illustrationem ex parte intellectus, qua posita, non apparet cur voluntas habitu supernaturali instructa, non possit se ipsam ad bonum actu supernaturali prosequendum determinare.

Gratia excitans movet ad actum.

551. Gratia actualis dividitur 1. in excitantem seu vocantem quæ est interna illustratio intellectus & inspiratio voluntatis, quibus nos Deus ad bo-

bonum invitat ; & in adjuvantem, quæ est auxilium, quo Deus nos concomitanter adiuvat, nobiscum non solum moraliter, sed etiam physice operando actum bonum, ad quem prævie invitavit. Excitans ut sic, præscindit ab executione actus ad quem movet ; adiuvans ut sic, illam importat: unde distinguuntur connotative, licet non necessariò entitative.

Illustratio enim & inspiratio, quæ, ut est tempore aut saltem natura prior productione actus, habet rationem gratiæ excitantis seu vocantis & pulsantis ; quatenus concomitanter re ipsa eam causat moraliter, seu per modum consilii & exhortationis ; vel ut Molina & alii etiam effectivè physice, habet rationem gratiæ adiuvantis. Præter hanc moraliter adiuvantem datur alia solùm physice adiuvans, qua nempe Deus siue seipso immediatè ; siue per auxilium transiens, aut habituale potentias nostras elevat ad actus bonos supernaturales ; eosque effectiue physice nobiscum operatur. Adjuvans cœfficit.

552. 2. In operantem quæ iuxta Aug. l. de grat. & lib. arb. c. 17. est illa, qua Deus, *ut velimus sine nobis*, (sc. libere agentibus) *operatur*, & cooperantem, quæ iuxta Aug. ibid. est qua Deus, *cùm volumus & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur*. Operans facit seu operatur, ut velimus seu consentiamus inclinando & per modum suadentis quadantenus determinando voluntatem ad consentiendum, siue consensum obtineat siue non: suasor enim agit & laborat, ut quod suadet alter velit, siue hic persuadeatur, siue non. Operans agit sine nobis, cooperans nobiscum.

553. Hæ divisiones quoad rem coincidunt : cùm gratia excitans seu vocans, operans, & præveniens sint idem realiter ; sicut in re ipsa etiam idem sunt gratia adiuvans, cooperans & concomitans seu subsequens, quippe quæ solis connotatis distinguuntur.

A quibusdam tamen gratia dicitur præveniens quatenus in nobis causat primum effectum, v. g. primam volitionem boni operis ; subsequens verò, quatenus causat secundum effectum ipsam sc. boni operis executionem. Quod habet fundamentum in

Aug.

Aug. Enchir. c.32. ubi ait: *Nolentem prævenit, ut velit, volentem sequitur, ne frustra velit.*

Iuxta prædeterminatores gratia operans est gratia S. cogitationis & inspirationis, qua Deus nos excitat & hortatur ad consensum in bonum; cooperans est motio media inter gratiam excitantem & consensum, qua Deus voluntatem applicat & prædeterminat ad consentiendum. Hanc autem motionem volunt ejus assertores, saltem plerique, esse qualitatem mortuam, non vitalem.

Sufficiens solum dat posse.

554. 4 In sufficientem tantùm, & efficacem. Sufficiens tantum est, quæ ita dat posse, ut quantum est de se, possit habere effectum, licet reipsa illum non habeat ex defectu libertatis creatæ, ea non bene utentis.

Efficax etiam ipsum agere, & quidem infallibiliter.

555. Efficax est quæ non tantùm dat posse, sed etiam, & quidem infallibiliter, ipsum operari, vel, ut volunt Suar. & alii voluntati determinationem relinquendo, ita tamen congruè suadendo, ut persuadeatur, vel, quod malunt Alvar. aliique Thomistæ probabiliter, voluntatem ad operandum physice prædeterminando, juxta quos proinde gratia sufficiens, ita dat simpliciter posse, ut ad ipsum operari aliquid ulterius requiratur, nempe auxilium physice prædeterminans, quod cùm non sit in potestate habentis gratiam sufficientem, quæ juxta ipsos sistit in actibus inefficacibus, quos physice prædeterminat, & tamen ad efficaces sit absolute necessarium, quo admisso ægre salvatur vera gratiæ sufficientia & perfecta indifferentiæ libertas quam tamen contra Calvinistas & Iansenistas fortiter tuentur, & probabiliter salvant prædeterminatores.

556. Sunt qui gratiam efficacem subdividunt, in efficacem strictè & efficacem late, seu efficientem, juxta quos.

Efficax strictè est etiam in actu 1. infallibiliter connexa cum effectu.

Efficax strictè est, quæ etiam spectata in actu primo habet, siue ut quidam volunt ab intrinseco; siue ut alii partialiter ab extrinseco (ratione scientiæ, qua prævidetur effectum obtentura) infallibilem connexionem cum effectu, sic, ut proinde sit, instrumentum idoneum divinæ prouidentiæ ad quos-

vis fines certò obtinendos. Est morali æstimatione bonum longe majus, & objectum longè specialioris benevolentiæ, ex qua decernitur, quàm quævis gratia sufficiens tantùm.

557. Efficax late, seu efficiens est illa, quæ ex sententia quorumdam Catholicorum (quos tamen non sequimur) spectata in actu 1. non intelligitur habere connexionem infallibilem cum effectu, & consequenter nec esse objectum specialis benevolentiæ, sic, ut proinde solùm intelligatur esse efficax in actu 2. seu efficiens, ex eo præcise quod effectum sortiatur. Potest juxta varios voluntas nostra quamvis gratiam sufficientem reddere efficacem hoc posteriori sensu, cùm absolute possit ei consentire: non tamen priori; cùm non possit efficere, ut Deus ex speciali effectu, ipsi se legerit gratiam, quam prævidit fore efficacem.

Efficax latè seu efficiens solum in actu 2.

Sic quævis sufficiens à nobis reddi potest efficax.

558. Aliam suo dogmati novo & erroneo gratiæ sufficientis definitionem accomodavit Iansf. volens gratiam sufficientem esse illam; quæ ita dat posse, ut voluntatem ad actum non determinet, sed ab ea debeat determinari, sive interim habeat effectum sive non, hancque solam ait congruere naturæ integræ, eique soli; non lapsæ: quod falsum est & erroneum.

Gratia sufficiens Iansenistica dat posse.

559. Dari enim gratiam sufficientem etiam in natura lapsa, omnibus Catholicis cont. Luth & Calvini ita certum est, ut Ban. Suar. & alii velint esse de fide, quod saltem nunc videtur certum ex decreto Innocent. X. has duas prop. *aliqua Dei præcepta hominibus justis sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, damnantis ut hæreticas, & meritò cùm aperte repugnent Scripturis Isaiæ 5. *Quid est, quod ultra debui facere vineæ meæ & non feci*. Prov. 1. *vocavi & renuistis*. Act. 7. *vos semper Spirit. S. resistitis*. Apoc. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis mihi aperuerit*, &c. CC. Arausf. can. 25. Trid. sess. 6. c. 11. can. 4. & Senon. contra Luth. sic definienti: *Nec tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quidem*

Dari gratiam sufficientem etiam in nat. lapsa constat ex Scripturis CC. & PP. cont. Iansf.

dem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum; nec denique tale sit ejusmodi trahentis Dei auxilium cui resisti non possit.

Eam admittit Aug. docens è duobus æqualiter affectis subinde unum deficere, non alterum, Deum non deserere nisi prius deseratur.

560. Frustra in hujus erroris patrocinium nituntur Ianseniani trahere Aug. cùm gratiam sufficientem etiam in natura lapsa manifeste admittat 12. de civit. c. 6. ubi ait: *Si enim duo æqualiter affecti animo & corpore*, & ut habet paulò inferius, *eadem tentatione ambo tententur, videant unius corporis pulchritudinem, qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret*. Tum quærit, cur unus consentiat alter non. Respondet: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere*, &c. de nat. & grat. c. 29. *Deus non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur: sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus nisi candore lucis adjuvetur, non potest cernere, sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* Vbi certum est ipsum non loqui de desertione per subtractionem gratiæ habitualis propter peccatum, sed per subtractionem gratiæ actualis ad bene vivendum: ut clare verba sonant, & postulat ejus scopus cont. Pelag. volentem necessariam non esse Dei misericordiam ne peccemus; sed quia peccavimus.

Carens gratia efficaci potest converti potētia antecedente, licet non consequente, de qua intelligenda sunt Script.

561 Dices l. 1. ad Simpl. q. 2. docet destitutos gratia efficaci non posse converti his verbis: *Ad alios autem vocatio quidem pervenit; sed quia talis fuit, qua non possent moveri, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi*: Ergo non agnoscit gratiam sufficientem. R. N. seql ibi enim solùm vult eos non posse converti potentia consequente, cum quo stat posse simpliciter seu potentia antecedente, quod posse confert gratia sufficiens, nec plus requiritur ad perfectam libertatem, quam non destruit, sed eius exercitium saltem in statu conditionato, præsupponit impotentia consequens.

De

De hac explicabis illud Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*: quamvis æquè possit intelligi de potentia antecedente, si per ly *nisi traxerit*, excludatur etiam gratia sufficiens.

562. Cùm verò Aug. l. de bono persev. c. 14. de Tyris & Sidon. dicit: *Quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum*: solùm contendit iis, qui de facto non credunt, certò non dari gratiam efficacem, & subinde nec proximè sufficientem, ut illis, quibus fidei mysteria nullo modo annunciantur. Increduli ex Aug. carent gra. efficaci, & subinde etiam proximè sufficienti.

563. Ex his manifestum est falli Ianf. l. 2. de gratia Christi c. 9. ubi asserit gratiam sufficientem esse adjutorium possibilitatis in naturam lapsam à Pelag. invectum, & ab Aug. & tota Ecclesia reprobatum: cùm gratia sufficiens à nobis admissa, semper fuerit ab Aug. & tota Ecclesia contra hæreticos propugnata, nec sit adjutorium possibilitatis ad mentem Pelagii, hoc est (ut patet ex Aug. l. de gestis Pelagii apud Suar. prologomeno 6. c. 7.) non dans naturæ simpliciter posse; sed solùm faciliùs posse, quod propriis viribus potest, seu adjuvans ejus possibilitatem naturalem; sed hoc longe alio sensu Augustiniano & Catholico, quod nempe solum det simpliciter posse actus salutares, non ipsos actus; & in statu naturæ integræ adjuvare possibilitatem naturalem; id est voluntatem donis supernaturalibus instructam in ipsa prima hominis origine, & eo sensu naturalem. V. Aug. l. de cor. & grat. c. 11. 12. Gratia sufficiens non est adjutorium possibilitatis Pelagianum, id est, facilitans posse. Sed Augustinianum dans ipsum posse.

564. Gratiam efficacem non consistere in cœlesti delectatione victrice necessitatem inferente, tenent hodie omnes Catholici tanquam indubitatum fidei articulum ab Innocent. X. definitum, dum hanc 3. Ianf prop. *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione* damnavit ut hæreticam, quod priùs satis aperte docuerant CC. Senon. contra Luth. verbis sup. relatis nu. 558. & Trid: sess. 9. c. 5. ubi contra Luth. & Calv. Gratia efficax non est delectatio necessitans, est de fide contra Ianf. ex CC. & definitione Innoc. X.

docet,

docet, quod adulti *qui per peccata à Deo aversi erant per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abjicere potest* : & Can. 4 ubi contra Luth definit : *Liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum cooperari assentiendo Deo excitanti* ; & contra Calvin. *posse dissentire si velit* : quibus non solùm violentiam, sed & omnem necessitatem, absolutam nempe, & antecedentem à gratia efficaci removent.

Est manifesta Aug. doctrina, qui gratia consentire aut dissentire tribuit nostræ potestati & voluntati.

565. Mirum sanè est non erubuisse adversarios huic suo errori Augustini authoritatem obtendere cùm oppositam fidei veritatem toties & tam apertè tradiderit, ut de ejus mente nihil possit ambigi, sic enim loquitur de spir. & lit. c. 34. *Misericordia Dei prævenit nos : consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* l. 2. contra Litteras Petil. c. 84. *quomodo attrahit* (nempe Pater ad filium) *si dimittit, ut quis quod voluerit, eligat ? & tamen utrumque verum est, sed intellectu penetrare pauci valent* l. 50. hom. 16. *in tuo arbitrio posuit Deus, cui pares locum Deo, an diabolo*, de nat. & grat. c. 65. ubi refert, hoc dictum Hieron. sibi à Pelagianis objectum, *nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioqui ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est* : illudque tanquam certissimum approbans subjungit : *quis non agnoscat, quis non toto corde suscipiat ?* denique l. 1. de simpl. q. 2. *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo erat aptum eis, qui secuti sunt vocationem : nam cujus miseretur* (sc. specialiter) *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* & l. de dogmat. Ecclesiasticis c. 21. *initium ergo salutis nostræ Deo miserente habemus ; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* Verum quidem est quod hic liber Bellarmino &

Proinde falsò illum sui erroris patronum facit Jans.

no & aliis non videtur esse Augustini, est tamen authoritatis non levis, cùm fere totus sit conflatus ex sententiis Augustini desumptis ex certis ejus operibus, & Pontificum Innocentii, Zozimi; Cœlestini, & Conc. Arausicani.

Plura his similia V. apud Pennot. Petav. Deschamps, & Petrum à S. Ioseph, quibus Augustinus gratiæ efficaciam non solùm non ponit in vi absolute necessitandi, sed in vi movendi adeò congrua & humanæ libertati accommodata, ut boni operis electionem, ac formalem determinationem nostræ voluntati integram relinquat.

566. Dices Aug. gratiam efficacem l. 2. de peccat. merit. c. 19. vocat: *victricem delectationem*, de gra. & lib. c. 5. *efficacissimam*, de cor. & gra. c. 5. *potentissimam*: & de prædestinatione SS. c. 8. dicit *à nullo duro corde respui, quia ideò tribuitur, ut cordis duritia primitùs auferatur*: & de cor. & gra. cap. 14. Deum habere *humanorum cordium, quo placet inclinandorum, omnipotentissimam potestatem*. R. solùm vult, quod uno ore fatentur omnes Catholici Deum sc. sua præveniente gratia efficere, ut, quamvis libere & absque ulla necessitate antecedente, infallibiliter tamen, & ut loquitur Aug. de cor. & gra. c. 12. *indeclinabiliter, & inseparabiliter* voluntas humana propriissime seipsam ad bonum determinet, eo ipso, quo illam sua gratuita & præveniente misericordia, sic invitat, *quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat*.

Gratia efficax dicitur ab Aug. victrix omnipotentissima &c. quia facit, in quo infallibiliter, ut voluntas creata velit libere & ex propria determinatione quidquid Deus vult eam velle.

567. Nec plus intendit de cor. & gra. c. 14. ubi dicit: *Voluntati Dei humanas voluntates non posse resistere, quo minùs faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit*, idque ut loquitur Epist. 107. *omnipotentissima facilitate*; nempe movendo, *quomodo scit congruere*; cui motioni voluntas humana non potest resistere potentia consequente; potest tamen potentia antecedente: licet non ipsi voluntati divinæ efficaci actum, ad quem inclinat motio congrua, absolute intendenti: cùm repugnet voluntatem Dei fine efficaciter & absolute intento, per voluntatis

Eam sc. movendo, ut scit congruere.

Voluntas Dei actum efficaciter intendens solum inducit necessitatem consequentem, quia licet ei non possit resisti, potest tamen resisti motioni, qua movet.

humanæ resistentiam, frustrari. Inde tamen nulla necessitas antecedens & absoluta in actum humanæ voluntatis derivatur, cùm hanc non moveat efficax & irresistibilis Dei voluntas, se ipsa immediate, sed mediante motione congrua, cui juxta Senon. & Trid. sup. num. 163. *potest resistere & dissentire, si velit* ex qua proinde conformiter dictis de prædefinitione, 1. part. n. 170. non potest inferri necessitas nisi consequens humanæ libertati nihil officiens.

568. De hac dumtaxat necessitate loquitur Aug. enarratione in Epist. ad Gal. *quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est*. Vbi per ly *delectat*; non intelligit actum indeliberatum (in quo ex dictis sup. n. 544. sita est ratio gratiæ actualis) qui consensum voluntatis præveniat, ad eumque alliciat; sed amorem liberum, quo voluntas objectum quidpiam efficaciter prosequitur, & rectè dicitur delectatio: *Est enim*, inquit S. Thom. 1. 2. q. 32. a. 3. & 6. *omnis amor delectatio quædam*.

Ex August. necessario fit sc. necessitate consequente, quod magis delectat per actum deliberatum.

569. Quod autem hujusmodi actum intelligat August. patet ex eo, quod non dicat, *secundùm id velimus*, sed, *operemur, necesse est*, nimirùm ex hypothesi affectus efficacis nobis libera. Quamquam etiam possit verificari de actu indeliberato consensum præveniente; cùm homo dici possit necessariò operari, imò & velle, necessitate sc. consequente, id, quod per actum indeliberatum, sive cœlestem à Deo inspiratum, sive terrenum à concupiscentia vel dæmone excitatum, magis delectat, idest, modò hic & nunc magis congruo, ut voluntas moveatur.

Auxilium quo perseveratur juxta Aug. de cor. & gra. est ipsa formalis perseverantia, non gratia illa causans.

570. Dices August. de cor. & gra. c. 11. & 12. auxilium præveniens datum 1. homini ad perseverandum distinguit ab eo, quod jam datur Sanctis & de facto perseverantibus, in eo, quòd illud relinqueret libertatem; hoc verò inducat necessitatem, his verbis c. 11. *tale quippe erat adjutorium* (sc. datum primo homini) *quod desereret, cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet*, & infra *dederat adjutorium sine quo in ea* (scil. bona voluntate à

Deo

Deo accepta) *non posset permanere , si vellet : ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio ; & nunc verè Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis , non tale adjutorium perseverantiæ datur* (scil. quale primo homini) *sed tale ut perseverantia ipsa donetur ; non tantùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint , verùm etiam per hoc donum non nisi perseverantes sint* . Et infra , *fortissimo quippe permisit facere , quod voluit ; infirmis servavit ; ut ipso donante invictissimè , quod bonum est velint* . R. N. ass. ibi enim per adjutorium quo , non intelligit efficax auxilium præveniens , dans prædestinatis certò & infallibiliter bene operari , aut perseverare in genere causæ efficientis , saltem moralis ; nempe ita congrue suadendo, ut persuadeat ; sed ipsam bonam operationem , seu perseverantiam in genere causæ formalis tribuentem bene operari aut perseverare.

571. Hoc patet 1. ex eo , quod eodem c.12. beatitudinem , quam constat reddere beatum in genere causæ formalis, adferat pro exemplo auxilii quo , his verbis : *Beatitudo , quam non habet homo , cum data fuerit , continuò fit beatus ; adjutorium est enim , non tantùm sine quo non fit , verùm etiam quo fit propter quod datur*. 2. ex l. de bono persev. c.6. ubi occasione Massiliensium , qui ipsum acriter reprehendebant, quod , de cor. & grat. c. 12. docuisset donum perseverantię prædestinatis adferre necessitatem perseverandi , ita se ipsam explicat : *De illa enim perseverantia loquimur , quâ perseveratur usque ad finem ; quæ si data est , perseveratum est . Quoniam illam non habet quisquam, nisi perseveraverit* . Et infra . *Cùm autem perseveraverit quisque in finem , hoc donum non potest amittere* .

Quid pro exemplo auxilii quo ponit 1. Beatitudinem . qua homo formaliter fit beatus.

2. Perseverantiam, qua perseveratum est.

572. Ex quibus evidens est ; Aug. per auxilium quo fit , ut prædestinati perseverantes sint , non intelligere auxilium actuale antecedens ipsam perseverantiam , illamque causans ; tale enim auxilium habetur , antequam de facto perseveratum sit , sed intelligere ipsam formalem perseverantiam , usque in finem ; quæ tantum habetur , quando de facto

Quæ non quadrant gratia efficaci perseverantiam efficienter causanti.

perſeveratum eſt, aliamque non inducit neceſſitatem, quam conſequentem, & ex ſuppoſitione, quod (ut loquitur Aug.) *perſeveratum ſit*: nempe dependenter à libera determinatione voluntatis, auxilio Dei præveniente *&* *Quomodo ſcit Deus ei congruere*, ut moveatur liberrime utentis.

Invictiſſimè quidem, non tamen neceſſario niſi neceſſitate conſequente, quæ uti & auxilium quo, ſi per hoc illam intelligat ex Auguſt. ſtat cum libertate.

Deinde quamvis Auguſt. per auxilium quo, intellexiſſet (ut etiam è Catholicis ſentiunt nonnulli) efficax actuale auxilium, dans *invictiſſime quod bonum eſt velle*, non propterea nobis adverſaretur: cùm ex ejus mente illud non det abſolute neceſſitando, ſeu ſuadendo & alliciendo quo modo ſcit *aptum eſſe*, *ut invictiſſime* quidem, ſeu certò & infallibiliter, ſimul tamen liberrime conſentiat, *ut velimus enim*, inquit l. 1. ad Simpl. q. 2. *ſuum eſſe voluit & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo*.

Deus juxta Aug. hominem diſcernit radicaliter & in actu 1. homo ſe ipſum formaliter & in actu 2. Deus tamen principaliter.

573. Hinc Deus convertendum à non convertendo, & conſequenter ſalvandum à non ſalvando, per gratuitum efficacis gratiæ donum, ita ſolus *diſcernit* 1. ad Cor. 4. (ſc. in actu 1.) ut ſimul homo, ſicut *ſe emundat*, *ut ſit vas in honorem* 2. Tim. 2. ita ſe ipſum divinæ motioni conſentiendo, *cùm poſſit diſſentire*, *ſi velit*, aliquo modo diſcernat formaliter, & in actu 2. non ſic tamen ut poſſit *gloriari*, *quaſi non acceperit* 1. Cor. 4. ſed ſummo jure teneatur humiliter confiteri, *non ego*, *ſed gratia Dei mecum* ibid. 16. *ille enim* principaliter *diſcernit*, *qui* affectu converſionis & perſeverantiæ prædefinitivo, aut ſaltem ſpeciali & plane gratuito, *unde diſcernaris impertit*, Aug. l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 7.

Perſeverantia dans non poſſe deficere eſt ex Auguſt. propria beatorum, uti immortalitas dans non poſſe mori.

574. Quare cum in fine c. 11. de cor. & grat. dicit: *Prima erat perſeverantia poteſtas bonum poſſe non deſerere*, *noviſſima erit perſeverantia fœlicitas*, *bonum non poſſe deſerere*, per noviſſimam perſeverantiæ fœlicitatem, non intelligit, ut volunt adverſarii, donum perſeverantiæ, quod nunc prædeſtinatis conceditur, ſed eam, quæ beatis tribuitur in cœlo: ut manifeſtum eſt ex his immediate præcedentibus, *prima immortalitas erat poſſe non mori*,

noviſſi.

novissima erit multò major non posse mori. Quæ constat de beatorum immortalitate esse intelligenda, cùm alia non detur, adeoque de beatorum perseverantia, quæ subsequuntur.

575. Ex hac nostra & Catholica Aug. sententia, non sequitur contra expressam Arausf. definitionem can. 4. (quod insulse nobis obiici aut gratiæ necessitantis patroni) *ut à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expectare, & ut purgari velimus per Spiritus sancti infusionem & inspirationem in nobis non operari*, ut impie contendebant Semipelagiani, docentes posse hominem antecedenter ad omnem Dei gratiam per solas naturæ vires se disponere ad auxilium gratiæ, illudque aliquo modo promereri in quo juxta Arausf. sup. *resistebant Spiritui sancto per Salomonem dicenti: Praparatur voluntas à Domino, & Apost. prædicanti ad Philip. 2. Deus est, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate*.

Ex nostra & Aug. doctrina Deus non expectat, ut bonum velimus & operamur.

576. Ab hoc enim errore procul abest nostra & August. sententia, qua quidem docemus Deum voluntatem nostram non necessitare ad bonum, sic tamen ut simul cum Aug. l. de gra. & l. de lib. arb. c. 16. fateamur *illum facere ut faciamus, prabendo vires efficacissimas voluntati*, quod præstat non ei imprimendo determinationem, seu delectationem necessitantem, sed ut loquitur de Spir. & lit. cap. 34. *illi ita suadendo, ut persuadeatur, &* infallibiliter inducatur ad libere consentiendum: *Accipere enim, & habere*, inquit ibid. *anima non potest dona de quibus hoc audit* (sc. *quid habes quod non accepisti*. Cor. 4.) *nisi consentiendo*, nempe ex sua propria & libera determinatione. Sic ut, licet ex August. & totius Ecclesiæ sensu, Deus sua gratia ita nos præveniat, *ut initium salutis nostra Deo miserante habeamus*, de dogmat. Ecclesiasticis ca. 21. in ipso tamen actuali exercitio voluntas nostra, non quidem propriis naturæ viribus; sed ut priùs à Deo elevata, censeatur quasi actum salutarem inchoare; quatenus supposita motione congrua, *cui potest dissentire, si velit*, &

Sed sua præveniente gratia facit ut velimus, non necessitando, sed ita suadendo, ut infallibilissime & simul liberrime persuadeamur, & consentiamur.

Vnde primù saluti initium est à solo Deo, ita tamen ut formalis determinatio ad actum salutarem sit formaliter à sola volun-

tate creata ut libere libcitate immediata operante.

concursus supernaturalis præparatione, ad illum concurrit, ut causa immediate libera, & se determinans; Deus verò ut causa necessaria & sinens se determinari, sicut verum sit dicere, Deum hic & nunc idcircò operari cum voluntate, quia voluntas operatur: quamvis hoc ipsum, quod est voluntatem nunc operari, radicaliter refundendum sit, ut in primum salutis initium, in ipsam gratiam, seu in specialem & omnino gratuitum benevolentiæ affectum, quo Deus pro suo beneplacito, huic homini potiùs quàm alteri independenter ab ejus meritis, etiam conditionate prævisis, selegit eam Spiritus S. illustrationem & inspirationem, quam novit congruere, ut libere consentiat, & ad actum salutarem se ipsum determinet.

Deus facit nos velle bonum, 1. ex necessitate per inspirationes. 2. libere per volitiones inspirationibus causatas saltem moraliter.

577. Ex dictis colliges 1. varie Deum efficere, ut velimus bonum, 1. per volitiones boni & honesti nobis inspiratas, seu productas in nobis sine nobis moraliter seu libere influentibus: his enim ipse solus facit, ut velimus bonum, in quod tendunt istæ volitiones: his ipsis volitionibus transeuntibus in rationem gratiæ adjuvantis nobiscum faciendo, saltem moraliter, imò juxta varios etiam physice, actum quo gratiæ excitanti libere consentimus. 3. per habitum supernaturalem, si eo instructa sit voluntas, vel eo deficiente, per auxilium transiens, aut per immediatam suæ potentiæ assistentiam nostram voluntatem elevando, & cum ea physice producendo omnes nostros actus salutares.

3 Effective physice per auxilium supernaturale permanens aut transiens.

578. Colliges 2. Deum causare determinationem nostræ voluntatis ad bonum moraliter & physice, modo jam explicato: cùm enim voluntatis determinatio aliud non sit, quàm ejus volitionis libera positio, hujusve productio, si non producatur seipsa, eodem modo Deus causat voluntatis determinationem, quo ejus liberam volitionem.

Similiter causat moraliter & physice enti-

Volitio tamen, formaliter ut est nostræ voluntatis libera determinatio, est à sola voluntate nostra in genere causæ formalis extrinsecæ: cùm ut sic, sit denominatio extrinseca formaliter resultans ex

eo

eo præcisè, quod procedat à voluntate, ut antecedenter active indifferenti. Id est à nullo alio determinata & potente seipsam determinare. Siquidem determinatio est essentialiter actus 2. potentiæ, seu actus primi antecedenter indeterminati, cùm determinatio ex suo conceptu sit sublatio indeterminationis natura prioris.

tatem determi[illegible]ionis nostræ voluntatis sic tamen ut rationem determinationis liberæ habeat à sola voluntate nostra ut antecedenter active indifferenti.

Vnde libera nostræ voluntatis determinatio non potest haberi à Deo prævie nostram voluntatem determinante physice alioqui enim volitionis nostræ productio non esset actus 2. potentiæ antecedenter indeterminate, quod ex dictis requiritur ad rationem determinationis liberæ: neque aliter; cùm Deus non possit in ullo genere causæ supplere defectum causæ formalis etiam extrinsecæ, v. g. faciendo ut paries sit visus sine visione ad ipsum terminata, quod manifeste repugnat. Dixi, *physice*, quia admitti potest Deum per gratiam congruam determinare nostram voluntatem moraliter, per modum suadentis faciendo, & quidem infallibiliter, ut seipsam determinet; adeoque æquivalenter physice in ordine ad infallibilitatem.

579. Colliges 3. Deum quodam sensu bono & Catholico expectare & non expectare voluntatem nostram ut à peccato purgemur, & bene operemur. 1. enim non expectat voluntatem nostram secundum se spectatam, seu ullum ejus actum solis naturæ viribus elicitum, ut conferat gratiam excitantem, quæ est primum salutis initium, omninò gratuitum. Est de fide ex C. Arausf. 2. can. 4.

Deus non expectat voluntatem nostram se ad gratiam viribus naturæ parantem: expectat tamen eius dispositionem per gratiæ vires ad gratia sanctificantis eiusve augmenti collationem.

2. Expectat voluntatem nostram gratia præveniente excitatam, ut ipsa cum gratiæ auxilio actum contritionis aliumve salutarem libere producat, & hujus intuitu gratiam sanctificantem aut ejus augmentum conferat. Constat ex Trid. sess. 6. c. 5. ex Script. Zachar. 5. *Convertimini ad me, & convertar ad vos*. Isai. 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*.

3. Non expectat determinationem voluntatis nostræ præveniente gratia instructæ natura priorem supernaturali influxu Dei, quo determinetur Deus

ad voluntatem nostram gratiæ concomitantis concursu adjuvandam : cum manifeste repugnet voluntatis determinatio natura prior Dei auxiliantis concursu; alioqui enim non esset immediate à Deo, quod hic supponitur repugnare.

Vnde inter influxum voluntatis auxilio prævenienti elevatæ, & influxum gratiæ concomitantis in actum salutarem, v. g. contritionis, nulla est proprie dicta naturæ prioritas, sed simplex simultas & concomitantia. Vnde gratia concomitans non est pedissequa liberi arbitrii, sed comes adjutrix, quæ valde differunt; cùm esse pedissequam dicat posterioritatem in essendo vel in agendo & esse comitem importet simultatem & meram concomitantiam.

Non expectat determinationem nostræ voluntatis: cum illa non sit prior eius concursu secundum rem: sed solum aliquo modo secundum rationem.

580. Recte tamen dicitur concursus Dei per gratiam esse prior, sc. prioritate dignitatis, independentiæ, & consequentiæ; non naturæ, licet alio sensu influxus voluntatis non male dicatur esse prior sc. prioritate rationis, quatenus ipsa agit, ut priùs natura absolute indifferens indifferentia activa, adeoque libere libertate immediata; Deus verò, ut per decretum exhibendi concursum supernaturalem in actu 1. indifferentem, determinatus ad suam potentiam determinationi nostræ voluntatis permittendam, seu ad sinendum se determinari, adeoque solum libere libertate mediata, non immediata. Hinc actio solùm habet rationem determinationis activæ, seu actus secundi, principii antecedenter indifferentis respectu nostræ voluntatis, non respectu Dei antecedenter determinati. Ex his sequitur, secundùm rationem, veram esse hanc causalem : *Ideò hic & nunc Deus agit, quia voluntas agit, non contra* : quia nempe voluntas agit ex determinatione propria, Deus ex aliena.

Ita gratiæ congruæ assertores, à quibus probabiliter dissentiunt gratiæ prædeterminantis authores, qui volunt Deum determinare voluntatem creatam per motionem physicam ipsi impressam, priùs natura quàm agat : omnes tamen contra gratiam necessitantem in eo catholice conveniunt; quod

quod gratia nullam inferat necessitatem antecedentem, nec tollat indifferentiam libertati essentialem.

581. Rejecta, ut omnium Catholicorum sensu erronee asserta gratiæ efficacia, in vi absolute necessitandi sita, restat agitatissima inter Catholicos controversia, in quo tandem consistat infallibilis gratiæ efficacia, creatæ libertati nullo modo noxia.

Difficillimum est etiam judicio Aug. gratiæ efficaciam conciliare cum libertate arbitrii.

Hanc porrò efficaciam conciliare cum arbitrii libertate adeò est difficile; ut etiam præcipuus gratiæ Doctor ac defensor August. hic pene hæreat, ut ipsemet l. 2. de peccat. merit. ca. 18. fatetur his verbis: *Quærentem vehementer angustiat, ne sic defendamus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur, rursum ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba impietate ingrati Dei gratia judicemur.*

582. Vnde eandem difficultatem perpendens Cajet. ad cap. 9. Epist. ad Rom. v. 23. ait: *Cùm obiicis conjunge hac verba simul* (nempe electionem Dei esse infallibiliter effectum habituram, & quemlibet nostrum esse liberi arbitrii) *R. me scire quod verum vero non est contrarium, sed nescire hæc jungere: sicut nescio Mysterium Trinitatis, sicut nescio Verbum caro factum est*, & 1. p. q. 22. ar. 4. *salvare prædictam infallibilitatem* (sc. divinæ providentiæ) *cum indifferentia, seu libertate executionis seu eventus, hoc opus hic labor est;* & infra, *ad hanc dubitationem nihil scriptum reperi in S. Thoma; quoniam nullibi eum hoc novisse recolo* (in eo igitur non reperit Cajetan. gratiam physice prædeterminantem à junioribus inventam) *sed semper studuit ad salvandam contingentiam: in aliis quoque DD. nihil hactenus comperi ad quæstionem istam, nisi quæ communiter dicuntur de sensu composito & diviso, de necessitate consequente & consequentis: de libertate electionis divina in æternitate: & de natura causarum ad utrumlibet. Sed hæc omnia ut ex dictis patet, intellectum non quietant.*

Cajet. fatetur se mysterium istius conciliationis non magis scire, quam sanctissimæ Trinitatis, de eo nihil inveniri apud S. Thom. qui animum quietet.

583. De hac gravissima difficultate quatuor præ-

cipuæ

cipuæ sunt sententiæ in Ecclesia receptæ, ad quas cæteræ possunt revocari.

Opiniones 4. de gratia effic. quam Thomistæ ponunt in prædeterminatione physica: Scotistæ incongruitate & docente concomitante determinationem creaturæ.

Prima recentiorum Thomistarum docet infallibilem gratiæ efficaciam consistere in vi physice prædeterminandi, seu voluntatem ita physice movendi, ut cum ea motione non possit ulla potentia componi non actus, aut actus ei contrarios.

284. Secunda Scotistarum, rejecta præmotione physica, gratiæ efficaciam constituit in congruitate cum ingenio ejus, qui vocatur, & in Dei decreto non antecedente, sed concomitante determinationem voluntatis creatæ.

Hanc sententiam Magister Angelus à Monte Piloso Ord. Min. Conv. Tom. 2. part. 1. disp. 47. ar. 7. exponit his verbis: *Efficacia gratiæ est tantùm moralis, hoc est, ei per se non conveniens in genere qualitatis, sed in genere doni, & beneficii Dei, ex congruitate & contemperatione motionis divinæ in ordine ad ingenium, & in mores ejus, qui movetur. Infallibiliter effectum suum sortitur quatenus sic datur in tali temporis, & loci opportunitate, ut liberum arbitrium velit sua libertate consentire; ita tamen ut infallibilitatem effectus suscipiat; non quatenus divinæ scientiæ substernitur antecedenter ad omne Dei decretum? sed quatenus subiicitur absoluto, & efficaci decreto, quo Deus concomitanter cum voluntate creata absolute statuit illam motionem sic contemperatam infallibiliter effectum habituram. . . . Oritur tamen hujusmodi concomitantia & concordia in simul determinando, tamquam ex primaria radice, ex continentia eminentiali, & virtuali creatæ voluntatis in voluntate divina secundùm ejus virtutem & agendi differentiam. . . . Unde, inquit, ista gratia duo habet à Deo: nempe efficaciam moralem, ex peculiari congruitate cum ingenio & conditionibus naturalibus ejus qui vocatur, & infallibilitatem non ex eminentia sola divini intellectus, sed ex decreto certo, efficaci, & infallibili divinæ voluntatis, accedente etiam determinatione creatæ voluntatis virtute involuta in determinatione Dei.*

585. Dif-

585 Difficile est in hac via intelligere quomodo determinatio voluntatis increatæ ita concomitanter se habeat ad determinationem voluntatis creatæ, ut omninò simultaneè concurrant, sic ut neutra alteram naturâ antecedat, ut determinet.

Hinc Reverendissimus D. Fr. Hugo Cavellus Archiepisc. Armacanus in Scoto, (cujus opera summa diligentia, & eruditione à mendis purgavit, & scholiis illustravit) longe versatissimus & alii Scotistæ ab eo citati Dei decreto, ne libertati creatæ officiat, præsupponunt scientiam conditionatam; idque, ut opinantur, ex menti Scoti. Quod de Cavello constat ex ejus verbis in 2. dist. 73. in Scholio ante ¶. *ad solutionem*, ubi n. 14. ait: *Ex quo patet clare Deum* (utique ex mente Scoti, de qua ibi agit) *non prædefinire absolute actum peccati, nulla cooperatione nostra prævisa: alioquin certè non esset paratus, quantum est ex se actum bonum causare: si antequam videret, quid ego essem facturus, decrevit actum talem à se, & à me fieri debere.* Sic sentire videntur Scotistæ, Leuch. Bassol. Tart. Angel. Maj. Veg. Faber. in 1. dist. 39. & 45. c. 5. *qui ponit expressè scientiam conditionatam secundùm Scotum, ne admittat decretum determinans nostros actus ante omnem prævisionem nostræ cooperationis.* Et in tractatum Scoti de primo principio tom. 3. editionis magnæ Lugdunensis cap. 4 num. 3. Schol. ante conclus. 5. idem inculcat his verbis: *Itaque si admittantur illa decreta absoluta, seu determinatio Dei æterna de actibus nostris, admittenda etiam videtur scientia media, qua Deus ab æterno prævidit quid, quacumque occasione posita facturi eramus, ut salvetur nostra libertas, cui non minus officiunt talia decreta, negata illa scientia media, quam prædeterminatione physica quas docti passim insectantur. ... Et ideo illam scientiam mediam amplector.*

Hæc concomitantia est intellectu difficilis, nisi ei præsupponatur scientia media, quam ideò prærequirunt Cavellus, Faber, aliique Scotistæ.

586 Tertia infallibilem gratiæ efficaciam vult esse intrinsecam & antecedentem, eumque sitam in prædeterminatione non physica, sed morali. Pro hac sententia multos ex quovis Ordine citat R. P. Henr. à S. Ignatio to. 1. de Deo dist. 8. q. 6. a. 13. pag. 591.

Henr. à S. Ignat. Arag. Ferar. & alii ab Henr. citati istam efficaciam

statuunt in prædeterminatione moralis fit à vel in adoptatione vocationis cum ingenio vocati.

591. nu. 86. & seq. quos dicit *rejecta scientia media, unà cum prædeterminatione physica, mediam viam se cum tradere*. Istam prædeterminationem moralem varii varie explicant.

Primò enim quidam illam ponunt in quadam adaptatione & contemperatione vocationis cum voluntate hominis ea indole, ac humorum complexione, hisque corporis & animi affectionibus prædici, ut certis occasionibus & circumstantiis ei sit infallibiliter consensurus, etsi absolute possit dissentire.

Hanc viam, teste Henr. à S. Ignat. sup. sequuntur ex Augustinianis, Luisius Legionen. Arag. Basilius Pontius, Gibbonus: è Dominicanis Joannes Vincentius, Gonzales de Avelda, Aravio: è Societate Fredricus Xedeler, ex aliis Isambertus &c.

Vel in multitudine auxiliorum collectivè indefectibilium.

587 Secundò alii eam statuunt in multitudine tot ac tantorum seu tam aptorum adminiculorum & auxiliorum, ut quamvis singula possint deficere; omnia tamen simul sint infallibiliter effectum habitura. Pro hac opinione ab Henr. à S Ignat. sup. referuntur è Dominicanis Soncin. Capreol. Ferar. Deza, Basilius Verdu, Iosephus de Vita cum suis approbatoribus, quem, si ejus libro careas, vide in meo extractu edi o an. 1673. sub hoc titulo *authoritas contra physican bradeterminationem stabilita suffragiis DD. ex ordine Prædicatorum, ac præsertim P. Iosephi de Vita Siculi*, è Iesuitis Mariana, Henriques, Pererius, Bellarm Tiphanus & alii; qui tamen (excepto unico, quem sciam, Tiphano) scientiam mediam non reijciunt; sed vel apertè admittunt, ut de Bellarm. constat ex iis, quæ protuli in Authoritate contra prædeterminationem physicam desumpta ex Iosepho de vita Dominicano pag. 209. & seqq. vel certe variis locis insinuant ejus usum esse necessarium, ut Deus dirigatur in eligendis adminiculis, tot & talibus, quot & qualibus opus est ad consensum infallibiliter obtinendum. Et meritò ejusmodi præscientiam requirunt, ne alioqui decretum, quo Deus effectum per adminicula tot, & talia

talia absolute vult obtinere, exponatur frustrationi, vel certè seipso immediatè voluntatem creatam antecedenter determinet; adeoque ejus libertatem evertat.

588 Tertiò nonnulli eam collocant in quadam vi voluntatem ita alliciendi, aut impellendi, ut moraliter eam prædeterminet & velut necessitet, eo ferè modo, quo gravissima tentatio voluntatem sibi relictam ita determinat ad consensum, ut; quamvis physice possit resistere, etiam in sensu composito; moraliter tamen non possit non consentire. Qualiter etiam vir Sapiens, dignitate seculari, aut Ecclesiastica præfulgens, per cognitionem honestatis suam dignitatem decentis, aut turpitudinis eam dedecentis, efficaciter determinatur, & moraliter necessitatur ad non exercendas in templo, foro, aliove loco publico, ineptias pueriles, scurriles, turpes, aliasve actiones sibi indecentes. Gratiæ efficaciam hic olim ita explicuit ac defendit (simul tamen retenta communi Societatis sententia) piæ ac venerabilis memoriæ R. P. Everardus HocKius meus in Theologia Professor ac postmodum Provincialis.

Vel in vi voluntatem moraliter necessitandi, sicut facit gravissima tentatio, illæsa ejus libertate.

Verùm licet huiusmodi gratiæ efficacia, libertati amica, sit possibilis, & talis quandoque detur, ut probabiliter concessa fuit S Paulo in eius adeo subita & mira conversione, non videtur tamen ordinarie dari, cùm experientia constet gratiam efficacem, quà ordinarie de facto perducimur ad amplexum boni, & fugam mali, non habere totam vim quin facile ei possimus dissentire; cùm non nisi ægrè admodum ei consentiamus.

589 Quarta Iesuitarum, aliorumque plurimorum, primæ directe opposita, infallibilem gratiæ efficaciam constituit in eo, quod ex affectu gratuitæ, ac specialis benevolentiæ (& quidem, si de prima agatur independenter ab omni meritò) detur à Deo gratia congrua, inest genio ejus, cui confertur accomodata; iis circumstantiis, quibus per scientiam mediam certò prævisa est effectum habitura; quo posito æque est impossibile

Iesuita Malder. Diatel. aliique permulti efficaciam gratiæ collocant in ejus congruitate.

bile istam gratiam (quamvis ex suis intrinsecis indifferentem) suo effectu privari, quam impossibile est Deum falli.

Et datione ex prævisione conditionatam consensus, securi.

590 Hanc sententiam cum omnibus, fere Iesuitis (excepto uno quem sciam Tiphano) tenent plurimi ex quovis ordine apud Paulum Leonardi, Matthiam Borrull. Gabrielem Henao in scientia media historice propugnata secundò edita, è quibus multos retuli in meo *Philalethe Eupistino de authoritate contra prædeterminationem pro scientia media*. Inter quos eminent Hugo Cavellus Archiepisc. Armacanus sup. n. 584. Malderus Episcop. Antuerpiensis 1.2.q.3.a.3. dub. 10. memb. 4. ubi ait: *quòd secundùm scientiam mediam omnia, quæ Scriptura Sacra & PP. præsertim Divus Aug. de gratia efficaci dixerunt rectè explicentur, & quòd alius modus hactenus repertus non sit, quo æque clare, & commode explicari queat concordia gratiæ & liberi arbitrii*. Diotallevius Episcop. S. Angeli in opusculis de concursu cap. 2 ubi postquam proposuit quas sententias de gratiæ efficacia extreme oppositas, quorum prima eam explicat per prædeterminationem physicam; secunda per congruitatem & scientiam conditionatam ait: *posteriori opinioni libentissime subscribo*. Tum eam capitibus seqq. fuse probat.

Iesuiti suffragantur Mascarenhas & Daniel. à S. Ioseph. qui immerito à P. Henr. adjunguntur adversariis scientiæ mediæ, quam summis laudibus extollunt.

591 Eandem viam sequuntur Mascarenhas Algarbiorum Episcop. & Daniel. à S. Ioseph. Carmel. Calceatus, qui proinde perperam ab Hen. à S. Ignat. sup. num. 535. annumeratur iis, qui scientiam mediam una cum prædeterminatione physica reiiciunt: cùm Mascarenhas tract. de auxil disp. 2. p. 4. n 28. dicat: *mihi quidem pene certum est hujusmodi scientiam* (sc. mediam.) *reperiri in Deo; nec satis intelligo quonam modo sine illa possit constare scientia, quæ dicitur visionis, quam qui Deo neget, hæreticus sit. Si enim Deus more intelligendi nostro, non prius novit, quid facturus esset Petrus, si post trinam negationem tali auxilio præveniretur, quo pacto scire potuit cum tanta gratia fore reipsa convertendum, ut tantam conferret, si illum convertere decerneret? Nam*

colla-

collatio determinati auxilii non potuit Deum efficere certum de conversione Petri, nisi pranovisset illum cum tanto convertendum, cum minore non convertendum. Et disp. 3. p. 4. nu. 8. ubi habet *qua proposita sunt, optimè probant, necessariam esse mediam illam scientiam ad percipiendam concordiam gratia cum libero arbitrio, ad conciliandum inter se PP. dicta, ad intelligendam distinctionem gratia in sufficientem & efficacem, ad demonstrandam infallibilitatem divina pradestinationis, & ad alia hujusmodi in Theologia valde intricata.*

Daniel verò à S. Iosepho tom. 1. disputationum in S. Th. disp. 24. scientiam mediam per 8. capita ex Script. PP. D. Th. & ratione solide probat, ac tandem c. 9. sententiam affirmantem dari scientiam mediam neganti, varias ob causas, præferens, addi (ut refert Vehenus de Deo uno Trino disp 19 c. 4. n. 17.) *de hominum salute, qua tota divina gratia adjumentis liberoque arbitrio nititur, malè mereri eos, qui conditionatam à Deo scientiam rejciunt: Contra verò plurimum Rempublicam debere Christianam ijs, qui conditionalem scientiam absoluto Dei decreto priorem, Sacris ex Litteris, Patrumque, ac D. Thoma monumentis in quibus delitescebat, in lucem Theologia vocaverint; quoque modo liberam creatura voluntatem cum Dei scientia & auxiliis conciliet, atque ita VVicleffi, Lutheri & Calvini erroribus triumphet magno Christiani orbis bono ostenderint.* V hæc & plura ex eodem authore à nobis citata 1. p. n. 183 pag. 162.

Ex quibus patet hos DD scientiam mediam, ejusque usum pro explicanda gratiæ efficacis concordia cum libertate creata, non solùm non reijcere ut vult Henr. sed probare, prædicare, & ambabus ulnis amplecti.

592 Illa autem congruitas, in qua ultimæ tres sententiæ gratiæ efficaciam, saltem partialiter, ponunt, non consistit, ut quidam volunt, in eo præcise quo detur tempore opportuno, sic enim gratia solum foret extrinsece congrua, & potiùs dicenda esset gratia opportuna, quam congrua: sed consistit in qua-

Congruitas est quadam proportio gratia cum dispositione voluntatis

quæ illa movetur, unde est partim intrinseca, partim extrinseca, ut recte colligitur ex variis Aug. locis.

quadam proportione & accommodatione gratiæ cum voluntate creata hic & nunc sic affecta, ut ei infallibliter consentiat.

Vnde hæc congruitas est gratiæ partim intrinseca, nempe quatenus illustratio & inspiratio, in quibus sita est gratia, ex se dicit certam aptitudinem ad causandos varios animi motus, v. g. amoris, gaudii, spei &c. vel odii, timoris, tristitiæ &c. partim extrinseca, quatenus connotat certam dispositionem ejus, qui vocatur, hic & nunc, propter circumstantias loci, temporis, occasionis, constitutionis corporis, aut mentis his aut illis passionibus agitatæ, ita affecti, ut gratia tot vel tot gradibus intensa, de se amoris Dei & virtutum vel odii peccati & vitiorum excitativa, sit præsenti ejus dispositioni ita proportionata & contemperata, ut illum sit infallibiliter permotura. Atque hæc ex hypothesi quod relatio prædicamentalis identificetur fundamento, termino &c.

Si quis enim teneat esse formam realiter distinctam soli fundamento intrinsecam, consequenter dicere debet congruitatem, quæ est forma relativa, sicut similitudo, esse totaliter intrinsecam gratiæ.

593 Hanc gratiæ, efficacis congruitatem tangit Aug. de bono persev. c. 14. cùm ait: *ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant*. Vbi his verbis, *ingenio*, *&* *mentibus* indicat propriam naturæ, ejus qui vocatur, dispositionem, ad quam refert gratiæ congruitatem. Eodem spectant illa ejus verba l. 1. ad Simpl. q. 2. *hoc modo vocavit quomodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem* Vbi *ly*, *aptum*, eandem denotat dispositionem.

594 Ex his Mascarenhas disp. 3. p 4. nu. 6. infert 1. quod *gratia efficacia merito tribuatur Deo authori: quia cum infinita illa scientia, quà Deus omnia attingit, non solùm comprehendat quænam quisque modo, in quovis tempore affectus sit, verùm*

rùm etiam quanam, & qualis vocatio ei sic affecto aptè contemperetur, & ita congruat, ut vocatus consentiat: dum illam confert, quam videt effectum esse habituram, non tantùm dici debet gratiæ donator, sed etiam efficaciæ author, siquidem donans gratiam posset conferre talem, quæ cùm esset alioquin ad conversionem sufficiens, effectum tamen peccatoris vitio, non esset habitura.

Efficacia gratiæ in actu 1. non est entitas simplex est quo (etiam in nostra sent.) à solo Deo authore, ut recte Maschard.

2. Quòd *in gratia efficaci non sit aliqua entitas, quæ dicatur efficacia, quæ eadem non reperiatur in gratia non efficaci: nam quæ uno tempore, & secundùm unam subjecti dispositionem est efficax, eodem prorsus alio tempore, & secundùm aliam dispositionem erit inefficax.*

3. Quòd *potissima, ac totalis causa hujus efficaciæ in actu 1. sit Deus, qui non solùm gratis vocationem homini confert, sed etiam talem confert, quam prævidet effectu non carituram.*

4. Quòd *efficacia gratiæ in actu 1. & quodam modo habitualis, sita sit in tali proportione, & contemperatione vocationis cum dispositione ejus, qui vocatur, ut consensus sit, & prævideatur infallibiliter sequuturus.*

Ex congruitate jam explicata habetur infallibilitas moralis; ex præscientia conditionata effectus sequuturi, infallibilitas metaphysica.

595. Hæ omnes sententiæ solida habent rationis & authoritatis fundamenta, etiam in sancti August. & Divi Th. doctrina; hos enim SS. DD. pro se citant, nec sine probabili fundamento, omnes istarum sententiarum, quamvis inter se discrepantium, assertores: ac proinde sunt valde probabiles. De majori autem vel minori earum probabilitate, decretorum Pontificiorum religione hic non disputo, nec quidquam definio, sed eas tantùm (quod, ut tract. 6. de anima disp. 11 sec. 5. §. 1. 2. 3. demonstrat Suar. Iunior, est licitum) hic simpliciter propono; nec inutiliter, ut nempe videant doctrinæ Catholicæ studiosi difficillimam gratiæ efficacis cum libero arbitrio concordiam variis modis, posse probabiliter & Catholice explicari.

Hæ 4. sententiæ sunt probabiles & fundatæ in SS. Aug. & Th. quos pro se citant earum defensores.

596. Pauca tamen subiicio ad obturanda calumniantium ora, qui nostram de gratiæ efficacia sententiam prædeterminationi contrariam, & scientiæ mediæ innixam dicunt, vel cum Ianſ. Ipren tom. 1. de hæresi Pelag. c. 9. *esse dogma in August. veteres Pontifices & Antiquam Ecclesiam injuriosum, uti & Massilientium non esse gratiæ prædicationem, sed proditionem*, vel cum Mariales aliisque Thomistis quos inducit loquentes tom. 4. relect. 15. sect. 1. pag. 404. *non esse Iesuitarum, sed Pelagii inventum à D. August. impugnatum, enecatum, sepultum, incineratum*, & relect. 16. sect. 2. pag. 432. *esse novum figmentum, novum & horridum monstrum*: vel cum Hieron. Henneguler in sua thesi anno 1668. Duaci edita, eam (quatenus prædeterminationem reiicit, ut libertatis eversivam) *quamvis non in hæresim, tamen in Calvini errorem consentire*: vel denique cum Pseudophilalethe in sua *scientia media ad examen revocata*, & in suo *Thomistarum triumpho*, esse *fucatam, deformem, muscipulam pedibus insipientium, & zizania in medio tritici*: Pro quibus vide P. Franc Fourmestraux *in sua justa defensione adversus convitia & imposturas Pseudophilalethis* c. 1. sect. 1. §. 2. pag. 8. & sect. 3. §. 2. pag. 55. contra has itaque, & alias ejusmodi censuras conviciis plenas & Pontificum decretis non parum injuriosas solùm.

Nostra opinio à quibusdam immeritò reprehenditur cùm sit permissive approbata ut probabilis & sana: alia enim non permittitur scholis catholicis.

597. Assero quod quarta sententia sit æque probabilis, à censuris tuta, & permissive approbata ac opposita prædeterminatorum acerrimorum ejus hostium probabilis opinio. Quandoquidem post acrem 20. circiter annorum ejus oppugnationem, tandem gravissimo Pontificum decreto, ad omnibus censuris, quibus à suis hostibus fuerat temere confixa, sit liberata & Cathedris Theologicis permissa utique tanquam irreprehensibilis & sana, aliam enim non tolerat Ecclesia. Hoc fateri debent acturi omnes, qui debitam Christi Vicario Pontifici Romano observantiam non negant: de hoc enim inter Catholicos constat.

598. 1. Ex edicto Sixti V. seu Octavii Calatini

nuncii

nuncii Apostolici anno 1598. authoritate Pontificia edito, ut patet ex his in illo edicto Calatini verbis: *per Apostolica Scripta mandamus... nos pro munere nobis commisso à SS. D. N. I P. censuimus ... eadem authoritates nostra imò veriùs Apostolica decernimus*. Et infra: *Sicut per has nostra imò veriùs Apostolica Scripta ordinamus & mandamus &c.* Ex quibus manifestum est hoc edictum ab Annato & aliis meritò vocari bullam Sixti V. eo autem edicto sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipitur, ne quis in controversia de prædestinatione & gratia, opinionem suæ contrariam ulla censum nocet.

Et simul liberata ac protecta à censuris & convitiis gravissimè prohibitis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

599. Ex decreto Clem. VIII. quo permittitur ut ambarum partium magistri suam libere opinionem de gratia, præscientia, & prædestinationis efficacia cum libertate concilianda, publice tradant ac defendant; sic tamen, ut nisi graviter plecti velint, à notanda adversa opinione abstineant. Quod ex mandato supremi senatus fidei, ab inquisitionibus Toletana, Pintiana, Valentina, & Hispalensi, amborum ordinum Prædicatorum sc & Iesuitarum Provincialibus est intimatum anno 1598.

Hujus decreti meminere (ut refert Paul. Leonard. p. 1. num. 33. & 34.) Ioan. Puteanus tom. 1. ad q. 111. 1. 2. dub. 4. his verbis Clemens VIII. de hac *re consultus, fecit potestatem defendendi quamlibet* (sc. duarum extreme oppositarum sententiarum de auxil.) *modò tamen alteram nulla notaret censura*. Andreas Duvallius tom. 1. 2. tract. de gra qu. 4. his verbis: *Cùm à Clemen. VIII. DD. examini relicta sit hac controversia cum moderamine, qua neutra opinio hæresis, erroris, temeritatis, alteriusve qualificationis arguatur, ab omni asperiori dicto sedulò abstinebimus*. Et Petrus Ledesma in Præfatiuncula ad tract. de auxil. ubi ait: *Clemens VIII. propter doctrina utilitatem & necessitatem, Theologis concessit de hac materia disputare, ut constat ex litteris testimonialibus Illustrissimi Cardinalis Madrucii, quas ego vidi: omnibus tamen præcepit, ut à nota & cen-*

Per decreto Pontificum Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. Vrbani VIII.

& censura exposita sententia abstineant, quod Deo dante ita fiet.

De his decretis meminerunt Duval. Spondanus, Sylvius & alii.

600. 3. Ex Decreto Pauli V. anno 1606. quod refert Spondanus, in sua Historia ad eundem ann. his verbis: *Paulus V. disputationes de auxiliis conticessere jussit; sanxitque postmodum utrisque, dum aliud decerneretur, liberum esset suam sententiam in scholis modeste tueri, sed sine damnatione alterius partis*. Hoc Pauli V. Decretum confirmasse Vrbanum VIII. testatur Ioan. à S. Thom. tom. 1. in 1. p. disp. 20. art. 6. num. 1. ubi ait: *& quidem non licere in hac parte alteram partem censurare, aut qualificare ex mandato Pauli V. & Vrbani VIII. constat: nec licere etiam scribere & imprimere, in materia auxiliorum divinorum ex edicto ejusdem Pontificis iterùm roborato, & confirmato à SS. D. N. Vrbano VIII. in congregatione generalis inquisitionis die* 22. *Maii* 1625 His consonat Sylvius in præfat. monitoria ad 1. p. S. Thom. ubi ait: *sua Sanctitas præcepit, ne quis in posterum oblata de prædictis rebus tractandi occasione, contrariam sententiam sustinentes in censuram vocare vel dictis perstringere ullo modo auderet.*

Decreti Pauli V. publicatio Hispal.

Hujus autem Decreti à Paulo V. ann. 1605. editi universalis publicatio demandata est (inquit Leonardi p. 1. nu. 13.) ann. 1607. 5. Septembris, & ab inquisitionibus facta ann. 1608. ab Hispalensi quidem, his verbis à Leonar. sup. relatis; *facultatem præstamus, ut possint tractare de præfata materia, & mandamus sub pœna excommunicationis majoris ut nullus audeat censurare contrariam sententiam, nec utatur verbis mordacibus, quæ malam intentionem, animo latentem indicare videantur, advertentes puniendos cum rigore, qui aliter fecerint, ut inobedientes mandato Suæ Sanctitatis, & hujus Sancti officii.*

Fabula ab Annato & aliis explosæ.

641. De his plura & scitu digna habent P. Annat. de Scient. med. disp. 4. c. 1. & in Desp. ad fabulas quæstionarii Tolosani. Pet. à S. Ioseph in concor. suavi disp 4. sect. 4. n. 3. Paulus Leonar. p. 1. sect. 1. ar. 3. & seqq. Ripal. to. 2. de ente supernaturali disput.

put. 113. sect. 9. 10. 11. 12. & 13. Gab De Hennao in Scien. med. Historice propugnata in secunda præsertim editione eventilatione 1. 2. 3. & 4. apud quos solide refutatas, videbis narrationes Salmanticensium Discalc. 1. p. tract. 3. de Scient. Dei disp. 10. dub. 3 §. 2. num. 69 & seqq Ioan. à S. Thom. 1. p. qu. 14. disp. 40. ar. 6. num. 6. & seqq. Francisci Felicis, Vincent. Lenis seu Fromondi in Theriaca adversus libros Petavii & Richardi, Patris Xantes Mariales Dominicani & aliorum.

602. 4. Ex declaratione Innocentii X. quæ ad calcem decreti anno 1654. 23. Aprilis quo iterato damnat Augustinum Cornel. Ians & omnes libros in ejus defensionem conscriptos, habetur expressa his verbis: Innocentiu s X. & Alexander VII. suorum præ, cessorum decreta innovarunt.

Cæterum cùm tam Roma, quàm alibi circumferantur quædam asserta, acta manuscripta, & forsan typis excusa congregationum habitarum coràm fælicis recordat. Clemente VIII. ac Paulo V. super quæstione de auxiliis, tam sub nomine Francisci Pegnæ olim Rotæ Romanæ decani, quam Fr. Thomæ de Lemos ordinis prædicat. aliorumque Theologorum, qui, ut asseritur, prædictis interfuerunt congregationibus, necnon quoddam auctographum seu exemplar cujusdam assertæ constitutionis ejusdem Pauli V. super definitione prædictæ quæstionis de auxil ac damnationis sententiæ seu sententiarum Ludov Molinæ Societatis Iesu, eadem Sanctitas sua præsenti hoc decreto declarat ac decernit prædictis assertis, actis tam pro sententia FF. Ord. S. Dominici, quam Ludovici Molinæ aliorumque Societatis Iesu Religiosorum, & auctographo sive exemplari prædictæ assertionis constitutionis Pauli V. nullam omnino fidem adhibendam neque ab alterutra parte seu à quocumque alio allegari posse vel debere, sed super quæstione prædicta, observanda esse decreta Pauli V. & Vrbani VIII. suorum prædecessorum.

603. 5. Ex Decreto Alexandri VII. Romæ publicato 15. Septembris anno 1657. in quo damnantur, & sub pœnis in Concil. Trid. & in indice libro- Et declararunt nullam fidem esse adhibendam

narratiuncu. lis ex P. Le-mos aut aliis sive pro sive contra alte-rutram, ex opinionibus ab Ecclesia permissis in materia de auxiliis.

rum prohibitorum contentis prohibentur 18. Epist. Montaltii, aliquod Arnaldi, aliaque in defensionem Iansenismi edita, quibus nominatim recensitis subjungitur.

Et quia circumferuntur quædam folia impressa ann. 1657. quorum titulus est, Tredecim Theologorum, ad examinandas 5. propositiones ab Innocent. X. selectorum suffragia, seu ut appellant, vota summo Pontifici scripto tradita, *Eadem Sanctitas sua, præsenti hoc decreto illa prohibet, & declarat ac decernit, ijs tanquam apocryphis nullam fidem esse adhibendam, nec à quocumque allegari posse vel debere. Et præterea Epistolas, libellos, aut libros alios quoscumque, in quibus doctrina Cornelij Ipren. Episc. in 5. propositionibus per constitutiones Innocent. prædecessoris & Sanctitatis suæ damnata asseritur, aut quomodolibet approbatur vel defenditur, tam impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, vel quomodolibet etiam in scriptis evulgatos, vel in futurum evulgandos, Sanctitas sua omninò damnat ac damnatos & prohibitos esse voluit, mandans ut nemo cujuscumque gradus & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota dignos libros prædictos, aut aliquem ex illis, apud se retinere, legere aut imprimere, aut imprimi curare audeat, sub pœnis, & censuris contrà hujusmodi delinquentes statutis, sed statim quicumque illos habent, vel in futurum quandocumque habebunt locorum ordinariis, seu inquisitoribus sub iisdem pœnis exhibere teneantur.*

Insuper cùm hac occasione, & prætextu in lucem prodeant plures libri continentes & tractantes materiam de auxiliis, nulla prorsus petita vel obtenta licentia, ab hac sacra congregatione contra formam decretorum Pauli V & Vrbanni VII I. prædecessorum suorum (quæ quatenus opus sit, Sanctitas sua denuo confirmat, innovat, & inviolabiliter observari mandat sub censuris & pœnis in eisdem contentis) ideo illis inhærendo, dictos libros editos, & in futurum quomodolibet edendos, absque eo quod fiat de illis specialis mentio, ipso facto & absque alia

d ela

declaratione pro expresse prohibitis haberi voluit , & decrevit.

604. Ex his toties, ac tam seriò repetitis Pontificum decretis.

Patet 1. errasse Xantes Mariales tom. 4. suæ bibliothecæ imposturis & conviciis in Iesuitas eorumque doctrinam refertæ dum ait : pag. 217. *Romæ post plures congressus* (sc. coram Clemente VIII.) *sancitum fuit scientiam mediam* (*in qua omnes novitates nostri sacu'i fundantur*) *esse contra mentem SS. Aug. & Thom. ut inter alios gravissimi referunt Sancti & doctissimi Salmanticenses tract. 3. de Scient. Dei disp.* 10. *dub.* 3. *num.* 67. & pag 435. *Ecclesiam definivisse* , & pag 456. *Clement. VIII. cum* 30. *assertoribus doctissimis declarasse Scientiam med. adversarii SS. August. & Thom.* Item non detulisse satis obedientiæ Pontificibus , nec satis reverentiæ eorum decretis, cùm Societatis doctrinam physicæ prædeterminationi contrariam tom. 4. pag 77 dicit esse *universi inversionem* pag. 355. esse *impiam* : pag. 407. esse *blasphemiam in causam primam* : pag 224. & alibi esse *blasphemiam intolerabilem* , *sacrilegam* , *Cœlo execrabilem* , *omnia tolerabilitatis limina transcendentem* & similia, quibus horribiliora de Calvinismo & Mahumetismo excogitari non possunt.

Relata Pontificum decreta violarunt, aut certe non satis reveriti sunt Mariales & Pseudophilalethes.

605. Patet 2. ejusdem temeritatis ac irreverentiæ in Pontifices eorumque decreta reum esse Pseudophilalethen in sua *scientia media ad examen revocata* , ubi in proœmio Scientiam meo adeoque nostram de gratiæ efficacia doctrinam contumeliosissimis conviciis onerat , cùm eam dicit esse *fucatam deformem* , *deformitate suis defensoribus confusionem & ignominiam patiente* , *vanam* , *consortem factam impugnantium Augustinum* (id est Semipelagianorum) *inflantem liberum arbitrium* , *ab ea proinde fugiendum* , *sicut à facie colubri* . Denique dum eam comparat cum meretrice idololatra , de qua Isaiæ 57. pro quibus V. P. Franc. Fourmestraux in sua *justa defensione adversus imposturas* , *& convicia Pseudophilalethis* , ubi illum Pheudophilale-

then meritò appellat; quia prioris Philalethis pro Scientia media authoritate firmanda, à me editi nomen fraudulenter assumpsit, & falsò asseruit priorem Philalethen, re melius examinata, suam de Scien. med. sententiam revocasse: pergemus & nos hoc nomine ejus conviciis, imposturis, & calumniis debito, eum appellare, atque ita à vero Philalethe ipsum distinguere.

Falsò Pseudophilalethes asserit Ecclesiam nunc permittere impressiones de auxiliis.

606. Patet 3. Eundem Pseudophilalethen falli, & sui *Triumphi Thomistici* lectores fallere, quando in ejus præfatione contra expressam Innocent. & Alexand declarationem confidenter asserit jam cessare Pauli V. & Vrbani VIII. prohibitionem de non edendis libris aut tractatibus in materia de auxiliis, quod est aperte falsum, cùm Innocentius sup. num. 601. declaret *super quæstione de auxilio observanda esse decreta Pauli V. & Vrbani VIII.* Alexander vero num. 602. eadem *inviolabiliter observari mandat, sub censuris, & pœnis in iisdem contentis;* & tamen Pseudophilal. post speciosam protestationem: observantiæ decretorum Pontificiorum in eadem præfatione factam his verbis: *protestor me omnes bullas Pontificias summo habere honori ut par est Ecclesiæ Romanæ filium; absit ut in aliquo à decretis Pontificiis abscedam.* Ab iis non solum abscedit ipse, sed & alios abducit, dum asserere non veretur jam illa esse abrogata, in quo fallitur & fallit.

Nec eum excusat ignorantia.

607. Nec est quòd excuset ignorantiam; vana enim, & *Romanæ Ecclesiæ Filio* indigna est hæc frigida excusatio: illa enim decreta vir doctus, qui de auxiliis scribere præsumit, ignorare non debuit, nec potuit, nisi ignorantia crassa & affectata, quæ culpam non minuit, sed aggravat. Verbis itaque speciosis *omnes bullas Pontificias summo habet honori*, Pseudophilalethes factis autem contemptui: dum, non obstante adeo recenti directè contrario Alexandri mandato, confidentissime docet illas nullam modò habere vim.

Maluit sc. credere quibusdam, ut ait, *viris doctissimis* (sed innominatis, id est adeò exigui, aut

forte

forte etiam mali nominis, ut illos non dignetur aut veriùs non audeat nominare) qui dixerunt Ecclesiam nunc permittere impressiones de auxiliis, quàm Pontificibus contrarium expresse docentibus ac declarantibus *nullam omninò fidem esse adhibendam* frivolis ejusmodi dictis.

603. Quod in hujus sui erroris confirmationem profert ex mea synopsi edita an. 1664. in qua ait, me præfata Pontificum decreta non observasse; manifesta est impostura: cùm in ea p. a. n. 29. diserte profitear me *decretorum Pontificiorum religione*, de materia typis mandari prohibite, nihil disputare, quod non solùm (ut Pseudophilalethes) verbis speciosis protestatus fui, sed fideliter præstiti: ibi enim simpliciter proposui (quod nullo jure vetitum est) tres sententias de modo conciliandi infallibilem gratiæ efficaciam cum libertate creata, nullo prorsus allato ab authoritate aut ratione argumento pro nostra opinione stabilienda; quod solùm typis mandari vetitum est ad finiendam controversiam, de hac potissimum difficultate, concordiæ sc. gratiæ efficacis cum libertate, coram Pontificibus summo partium studio pluribus annis agitatam.

Forte [assu]mit me edidisse de auxiliis in puncto controversiæ typis prohibito.

Non enim vetitum fuit tractatus edere pro tuenda necessitate gratiæ adversus Pelagianos, nec pro reijcienda gratia necessitante adversus Calvinistas, aliosque hæreticos; sed solùm pro explicanda ab omnibus catholicis admissa, insuperabili gratiæ efficacia, arbitrii libertate illæsa: cujus tamen explicationem in scholis tradere ac de ea etiam thesibus impressis disputare, ex dictis sup. n. 602. non est prohibitum, ut erronee supponit Pseudophilalethes in fine suæ præfationis, ubi in confirmationem suæ assertionis falsæ & temerariæ de abrogata prohibitione imprimendi de auxiliis inaniter sibi adjungit *omnis hujus almæ* (sc. Duacenæ) *Vniversitatis Professores, qui de auxiliis publice dictant & disputant*.

609. Verum quidem est tractatum Suaris de auxiliis circa punctum controversiæ edi prohibitæ,

an.

Vanissimis rationibus nititur Pseudophilalethes persuadere decretorum Pontif. abrogationem.

ann. 1655. annis 38. post ejus mortem, nescio quo typographi artificio typis mandatum fuisse ipsa Societate inscia, nedum approbante; inde tamen frustra Pseudophilalethes validum quærit suo errori firmamentum; quia libri, alioqui prohibendi, distractio, non est facta nisi priùs licentia S. Congregationis favore Card. Richelli à Typographo obtenta.

Ignorare non potuit Pseudophilalethes hæc & alia ejusmodi argumenta, quibus decretorum Pontificiorum abrogationem persuadere nititur, vanissima esse; & falsitatibus plena: cùm tamen videre se contra severas eorum prohibitiones suum librum de controversia prælo vetita censuris, & conviciis in suos adversarios exaggeratis farcire, maluit etiam absque veri specie eorum abolitionem prætexere, quàm aperte se illorum prævaricatorem declarare. Advertere tamen debuisset, quamvis illa essent abrogata, legem naturæ imposturas & convicia indispensabiliter prohibentem non esse abrogatam.

610. Denique ex productis Pontificum decretis patet 4. hanc Molinæ & Societatis doctrinam post longa 20. annorum certamina victoriæ non dico offensivæ, sed defensivæ palmam obtinuisse; cujusmodi victoria meritò gloriatur Civitas, quæ oppugnantium insultibus fortiter repressis, est tandem sua virtute propria à diuturna hostium obsidione liberata.

Victoriæ doctrinæ Societatis demonstrata ab Annato Maurolico, Placido de Puga & ab omnibus cordatis concessa.

Cujus victoriæ palmam nostræ sententiæ invident, sed nunquam eripient Mariales. Pseudophilalethes, Consentaneus & alii ejusdem genii DD. in eam cum Iansenio spretis Pontificum decretis, irreligiosè debacchantes.

611. Hanc palmam ipsi semper gratulabuntur omnes cordati & obedientes Ecclesiæ Romanæ filii cum Annato in fine responsionis ad quæstionem Anonymi adversus Scientiam mediam æditæ an. 1644. ubi sic ratiocinatur: *Intenderunt Scientia media aggressores, ut illius assertio notaretur & prohiberetur, Defensores è contrario, ut liceret initam ejus tradenda tuendaque possessionem retinere*

sine ulla cujusquam censura. Ex quo sic argumentor, in hoc genere litium, qui provisoriam ut loquuntur, obtinet, ille interim victor existit; atqui defensores scientiam mediam provisoriam obtinuere ter, & à tribus Pontificibus: ergo &c. Minor patet ex Bulla Sixti V. per Catilinum Episc. in Belgio promulgata ex constitut. Clem. VIII. apud Paul. Leonard. 1. p. n. 33. pag. 39. item ex alia constit Pauli V.

Consonat Sylvester Maurolicus l. 5. Oceani religionum Molinam ejusque doctrinam hoc ornans elogio: *Ludovici Molinæ eruditus de auxiliis partus, positus in fornace examinis Pontificii, & sæpius igne probatus, deprehensum est aurum omnibus numeris purgatissimum.*

612 Hinc non cedit sapientissimus M. Placidus de Puga Benedictinus Academiarum Vallisoletanæ, & Salmanticensis Doctor ac Professor in sua approbatione encomiastica scientiæ mediæ per Gabr. de Henao historicè propugnatæ, ubi post relatas & maturo judicio ponderatas acerrimas Molinæ oppugnationes, ingenti ardore sæpius repetitas, ac tandem Pauli V decreto, illæsa Molinæ concordia depulsas, sic concludit[r]: *A summo tandem censore decretum est, ut libera sit utrique parti facultas suam propugnandi sententiam; quin è Molinæ concordia, post vigiles adeò & diligentes excubias, nec jota adimeretur unum, nec unus expungeretur apex; sed ea lege cautum est, ut utriusque sententiæ fautores à censuris & conviciis in oppositam sententiam abstinerent. Vicit ergo Molina & primam victricem palmam scientia media tulit. Actore enim non probante, nedum absolvitur reus, sed in delatorem victor assurgit.*

613 Hæc tamen victoria opinioni adversariorum nihil probabilitatis detrahit saltem directè; sed nostræ suam tuetur, confirmat & auget; auget inquam quatenus eam à censuris tuendo & scholis Catholicis permittendo, ipso facto declarat argumenta, quibus ei falsitatis & erroris notam inurere nitebantur adversarii, non esse valida: eam enim scholis permittere non posset veritatis

Hæc victoria doctrina nostra probabilitatem firmat, & auget.

mater

mater Ecclesia, si fuisset argumentis efficacibus de errore aut falsitate convicta.

Minuit ergo hæc exercita declaratio inefficaciæ argumentorum contrariorum probabilitatem falsitatis, quam ei impingebant ejus adversarii, & quòd inde evidenter sequitur auget probabilitatem ejus veritatis; qua enim proportione decrescit probabilitas unius è duobus contradictorie aut contrarie oppositis, eadem proportione necesse est, ut crescat probabilitas alterius.

Homo non potest solis naturæ viribus se ad gratiam præparare.

614 Non potest homo solis arbitrii viribus, se ad gratiam præparare etiam remotè, est omnium Catholicorum & certa contra Semipelagianos, ex Arausf. can. 3. 4. 5. 6. 7. damnante eum, qui dixerit: *Divinam gratiam per invocationem humanam posse conferri. Initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, non per gratiæ donum, sed naturaliter nobis inesse. Sine gratia Dei, credentibus, volentibus, desiderantibus & pulsantibus nobis misericordiam conferri. Per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, aut eligere posse hominem absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti.*

Constat ex CC. Arausf. Trident. & Scrip. ac PP.

Item ex Trid. sess. 6. c. 5. 6. & can. 1. 2. 3. quod etiam aperte docent Scripturæ, & PP. sup. numer. 522.

Deus petit, ut ad ipsum convertamur non per naturæ vires, sed per ejus auxilium nobis semper paratum ad conversionem.

615 Cum ergo Deus Zachariæ 1. dicit: *Convertimini ad me, & convertar ad vos*: non petit, ut per solas naturæ vires ad ipsum convertamur, *ut oportet*, quod nobis est impossibile, sed ut per ejus auxilium præveniens, quod ex dictis prima p. n. 183. semper adest, saltem remote sufficiens, ad ipsum convertamur eliciendo actus fidei, charitatis &c. propter quos, ut dispositiones vi præsentis providentiæ requisitas, ad nos specialiori affectu est convertendus, nobis conferendo ulteriora gratiæ auxilia, ac tandem ipsum justificationis donum: quod in hunc sensum exponens Trident. sess. 6. c. 5. ait; *Cùm in sacris lit. dicitur: convertimini ad me & ego convertar ad vos: libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: converte nos Domine ad te, & convertemur: Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Eo-

Eodem ſenſu intelligendi ſunt, illud Iſaiæ 30. *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri*, & alia ejuſmodi Scripturæ & PP. teſtimonia, ac nominatim Chryſoſt. hom. 17 in Ioan. & 12. in epiſt. ad Hebr. ubi ſentiunt nonnulli ipſum fuiſſe in errore, quem poſtea propugnavit Caſſ. ejus diſcipulus; ſed immeritò, cum hom. 4. in Epiſt. ad Epheſ. aliiſque locis apud Granat ipſam primam vocationem & fidem doceat eſſe ex divino munere.

Quam ſui præſentis providentiæ expectat ut convertatur ad nos ulterioribus gratiæ donis cumulando;

616 Hinc iſtud vulgatum *facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*. ſolùm verificatur de faciente, quod in ſe eſt, per auxilium gratiæ, nempe hoc ſenſu, 1. Quod per actuale Dei auxilium ponenti ultimas diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem Deus infallibiliter eam conferat. 2. Quod cooperanti primæ gratiæ actuali, Deus ulteriora det auxilia, quibus, ſi velit, juſtificari poſſit & ſalvari: quo utroque ſenſu, dictum illud eſſe veriſſimum, conſtat inter omnes Catholicos, & patet ex dictis tum hic ſup. n. 258. tum 1. p. n. 187.

Facienti quod in ſe eſt per gratiam quam habet, Deus non denegat ulteriores gratias, & ipſam juſtificationem ad ſalutem.

617 Sunt qui etiam volunt verificari hoc ſenſu, quod facienti quod in ſe eſt, per vires naturæ, ad eliciendum actum virtutis naturalem, omni ex rito iſtius conatus per vires naturæ; ſed antecedenparte honeſtum, ſemper adſit (non quidem ex meter ad illum vi miſericordiæ ac liberaliſſimæ Dei providentiæ ſupernataralis) auxilium gratiæ ad actum ſupernaturalem circa idem objectum formale, (quod utrique actui naturali ſc. & ſupernaturali commune eſt) ſimul eliciendum; ſic ut proinde vi præſentis providentiæ ab actu naturali omni ex parte honeſto nunquam ſeparetur ſupernaturalis circa idem objectum viribus gratiæ elicitus; quia non eſt in poteſtate voluntatis antecedenter inſtructæ auxilio ſupernaturali dividere ſuo concurſu actum naturalem à ſupernaturali. Quod ex Script. & PP. fuſe ac erudite probatum habes apud Ripal. diſp. 20. de ente ſupernaturali per totam, & 114. ſect. 13. & ſeqq.

Facienti viribus naturæ quod poteſt ad actum honeſtum, ſimul elicit actum ſupernaturalem circa idem objectum per auxilium gratiæ, quod ex pura Dei miſericordia; nunquam deeſt.

§. VI.

§. VI.

Iustificatio & ejus causa formalis.

Iustificatio est sanctificatio hominis per gratiam.

618 IVstificatio impii *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Trid. sess. 6. c. 7. In justificatione peccata verè delentur, est de fide ex Trid. sess. 5. in decreto de peccat. orig. § 5. & sess. 6. can. 11. Idque constat ex Script Ps. 50. *Dele iniquitatem meam* 1. ad Cor. 6. *sed abseluti estis, sed sanctificati estis.* Ioan. 1. *Ecce qui tollit peccatum mundi*, deinde si, (ut volunt Hæret.) non vere delerentur, sed solùm tegerentur, justificati reipsa manerent peccatores, ac proinde non possent à Deo vere diligi, cùm *odiosi sint Deo impius & impietas ejus:* Sap. 14.

Per eam peccata vere delentur alias non tegerentur oculis Dei.

Neque cum his pugnat illud Psal. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Nam peccata Deo esse tecta, est esse deleta, cùm aliter divinis oculis tegi non possint: unde Aug. Conc. 2. in eundem Ps. *Non sic intelligatis*, inquit, *quòd dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint.*

Fit ex CC. & PP. per formam inhærentem supernaturalem.

619 Iustificatio fit per formam inhærentem, est de fide ex Trid sess. 6. can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum, per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat &c. anathema sit.* Prob. 1. ex Script. Rom. 5. v. 5. *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis* quæ verba Aug. de Spir. & lit. c. 32. intelligit ad sensum conclusionis nostræ 1. Cor. 6. *membra vestra templum sunt Spiritus S. qui in vobis est* 1. Ioan. 3. *omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet* 2. ex PP. Aug. Epist. 85: quid est aliud justitia *cùm in nobis est, quàm interioris hominis pulchritudo.* l. 15. de Trin. c. 8 *quæ natura cùm à suo conditore justificatur, à deformi forma formosam transfertur in formam.* Ambr. Hier. & aliis apud Bel.

Ratio

348

Ratio est autem, quod, ut ex Script. citatis patet, homo ita justificetur, ut fiat verè justus, Dei amicus, & filius adoptivus, ac proinde accipiat aliquam similitudinem, & participationem divinæ naturæ per gratiam inhærentem, cùm ejusmodi participatio sit possibilis, & per eam melius intelligatur homo per justificationem accipere similitudinem cum Deo requisitam ad amicitiam, & filiationem divinam.

Quæ est quædam participatio & similitudo divinitatis, qua homo constituitur Dei amicus & filius adoptivus.

620 Unde Christus *factus est nobis justitia & justificatio*. Cor. 1. non formaliter, sed causaliter, sicut ibid. dicitur nobis factus Sapientia.

Christus factus est nobis justitia causaliter.

Et per ejus obeditionem justi constituuntur multi, sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ad Rom. 5 hoc sensu, quod sicut per Adæ peccatum; ejus posteri constituuntur in se ipsis vere & proprie peccatores, ita per Christi merita multi in se ipsis constituantur vere justi coram Deo: cum hoc tamen discrimine quod esse peccatorem sit effectus pure moralis, adeoque nullam requirat formam physice inhærentem, saltem positivam, at verò esse justum & Dei amicum ex nostris probationibus, sit effectus aliquo modo physicus, formam requirens physice inhærentem.

Christi obedientia homines fiunt justi sicut Adami inobedientia injusti, cum aliquo tamen discrimine.

621 Datur aliqua forma sanctificans, distincta ab omni actu justi, habitualiter inhærens, & permanenter justum constituens, quam vocamus gratiam habitualem. Est omnium Theolog & juxta Suar. certa & definita in Trident. sess. 6. c. 7. can 11. n. 618. Patet. 1. in parvulis quos constat per baptismum vere justificari absque ullo actu, 2 in adultis qui justificantur per Sacramenta cum sola attritione, quæ omnium consensu non est forma justificans. Deinde est longe connaturalis, ut forma justificans sit in omnibus uniformis, & aliquid permanens, quo, etiam cessantibus actibus, simus intrinsece Sancti & Deo amabiles.

Datur forma permanenter sanctificans distincta ab omni actu, ut in parvulis.

622 Vasq. & Merat. sentiunt etiam actum charitatis & contritionis perfectæ, esse formaliter justificativum; quod tamen negant cæteri communissime, & probant efficaciter ex Trid. sess. 6. c. 7. ubi

Actus charitatis, & perfectæ contritionis non

dicit:

justificat formaliter.

dicit: *Unica formalis causa* (nostræ sc. justificationis in via & de lege ordinaria) *est justitia Dei*, *non qua ipse justus est*, *sed qua nos justos facit*. Quod verò hæc justitia ex ejus mente sit solùm gratia habitualis, non etiam aliquis actus. Patet 1. quia initio ejusdem cap. dicit hanc justificationem fieri, *per voluntariam susceptionem gratiæ*, *& donorum*. 2. quia sub medium addit eandem justitiam recipi, *secundùm propriam cujusque dispositionem*, *& cooperationem*. 3. quia paulò inferius explicans dona, quæ in justificatione accipiuntur, dicit esse fidem, spem, & charitatem, quæ non possunt intelligi de ipsis actibus, quos constat non infundi in justificatione parvulorum; in adultis verò præcedere justificationem, & quidem actum fidei & etiam tempore, saltem plerumque.

Pat. ex Trid. & in parvulis quibus non infunditur talis actus.

623 Neque ibi Conc. solùm agit (ut volunt adversarii) de justificatione, quæ fit per Sacramentum: cùm sessionis titulus sit de justificatione in genere; & doctrina can. 10. & 11. sit generalis de omni justificatione, ac proinde etiam de ea, quæ fit extra Sacramentum, de qua manifeste agit can. 11.

Qui solum est dispositio ad gratiam justificationis.

Ratio est autem, quoe actus contritionis & charitatis perfectæ, sit dispositio ad gratiam justificanis, ut patet ex Trid. sess. 6. can. 3. & sess. 14. c. 4. ac proinde non possit esse forma sanctificans.

Hoc tantum volunt Script. & PP. vel loquuntur de charitate habituali gratia sanctificanti annexa, vel de ea, quæ Deus nos diligit, quæ pro termino habet formam sanctificantem.

624 Christus Ioan. 14. solùm vult actum charitatis esse dispositionem ultimam ad gratiam sanctificantem, dum ait: *Si quis diligit me*, *mandata mea servabit*, *& Pater meus diliget eum*. 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater*, *ut filii Dei nominemur & simus*: Agitur de charitate quà Deus nos diligit, & de charitate habituali infallibiliter connexa cum gratia sanctificante, de qua intelligendum est, quod habetur ibid. c. 4. *Omnes qui diligit*, *ex Deo natus est*, *& qui manet in charitate*, *in Deo manet*. Item Trid sess. 6. c. 7. tribuens justificationem charitati, quæ diffunditur in cordibus, & sess. 14. c. 4 justificationem tribuit actui contritionis ut dispositioni.

625 Aug.

625. August. de nat. & gra. c. 42. sumit justitiam pro conformitate cum lege, cùm dicit: *Charitatem esse verissimam justitiam*, quo sensu dicitur ad Rom. 13. *Plenitudo legis dilectio*, quatenus nempe actus charitatis perfectæ includit, saltem virtualiter, affectum efficacem servandi totam legem. Subinde etiam PP. nomine charitatis intelligunt, vel amorem quo Deus nos amat, cujus terminus est gratia sanctificans, vel vinculum amicitiæ inter Deum & hominem, quod gratiam includit, hoc sensu dixit Aug. charitate nihil excellentius.

Actus charitatis stare potest cum mortali habituali, non cum actuali.

Licet actus perfectæ charitatis absolute repugnet mortali actuali, de potentia tamen absoluta stare potest cum mortali habituali: unde non est amicitia Dei completa sed solùm incompleta, tenens se ex parte hominis.

Gratia sanctificans distinguitur à charitate habituali, ab hac tamen separari nequit de lege ordinaria.

626. Gratia sanctificans ex communissimo DD. sensu, non potest de lege ordinaria separari à charitate habituali, cui propterea effectus formales gratiæ à Script. & PP. sæpe tribuuntur in sensu concomitativo: ab ea tamen distingui realiter, nobis cum S. Thom. videtur probabilius, licet oppositum, quod cum suis docet Scot. sit etiam valde probabile.

Suadetur 1. ex Concil. Vien. Clement. unica de sum. Trin. ubi tanquam probabilior & PP. dictis conformior eligitur opinio docens, tam parvulis, quàm adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutem, & ex Trident. sess. 6. c. 7. ubi justificatio dicitur fieri *per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*, quibus verbis gratia recensetur, ut simpliciter adeoque ut realiter distincta à virtutibus.

Prob. ex Trid. & Dionys. requirente in homine statum divinum ad operandum divina.

627. 2. Ex Dionysio l. 2. de Ecclesiastica Hierarchia, ubi dicit in homine per regenerationem, fieri quemdam statum divinum, & neminem posse operari divina, qui hunc statum non sit consecutus: quia unumquodque ea tantum agit & patitur, quæ substantiæ statusque sui sunt, sicut nobis, inquit, priùs necessarius est humanæ vitæ status, ut sic demum humana possimus operari. Igitur

ex mente Dionys. forma per quam homo statum divinum consequitur, quæ non est aliud, quàm gratia sanctificans, habet se in ordine supernaturali, sicut forma substantialis in ordine naturali: ac proinde sicut hæc ex communiori Philosophorum sensu, distinguitur realiter à proprietatibus, & virtutibus activis, quarum est radix, ita & illa à virtutibus supernaturalibus, quæ juxta S. Thom. qu. 110. art. 3. disponunt hominem convenienter, secundùm naturam præexistentem (hoc est enim de ratione virtutis) non ut humanam præcise, sed ut elevatam ad esse divinum per gratiam.

Gratia habitualis sanctificat seipsa formaliter & absolute repugnat mortali.

628. Gratia habitualis seipsa præciso quocumque alio, hominem formaliter sanctificat, & constituit Dei amicum, sic, ut proinde etiam de potentia Dei absoluta stare non possit cum ullo mortali. Primò enim hoc indicat Trid. sess. 6. c. 7. ubi docet unicam causam formalem justificationis, adeoque seipsa formaliter præciso quovis alio justificantem esse justitiam inhærentem seu gratiam habitualem. 2. Gratia habitualis est terminus dilectionis efficacis, qua Deus homini peccata remittit, eumque assumit ad suam amicitiam; cùm non possit ista dilectio, per alium terminum commodiùs compleri in esse volitionis liberæ: atqui tam implicat terminum formalem talis dilectionis stare cum peccato, quàm voluntatem Dei efficacem suo effectu frustrari, ergo &c.

Et quidem habituali contradictorie.

629. Hinc 1. gratiæ habituali spectatæ, ut est forma remissiva peccati, seu terminus divinæ volitionis peccatum condonantis, contradictione repugnat peccatum habituale, quod etsi non consistat formaliter in privatione gratiæ, eam tamen indirecte includit, ut conditionem sine qua peccatum præteritum non perseveraret moraliter. 2. Infusio gratiæ & remissio peccati prout de facto exercetur, est mutatio realiter unica, virtualiter, seu morali consideratione duplex, sc. ab esse peccati, & non esse gratiæ ad non esse peccati, & esse gratiæ.

3. Gratia habitualis absolute repugnat etiam mortali actuali, cùm mortale etiam primo instanti,

quo

quo est, constituat Deo inimicum, quod repugnat amicitiæ, quam essentialiter confert gratia

630. De potentia absoluta remitti potest peccatum mortale absque collatione gratiæ, aut similis doni supernaturalis, per condonationem omninò extrinsecam; quia non repugnat Deum volitione in esse volitionis liberæ completa per terminum peccatori extrinsecum v. g. per locutionem in actu formatam, cedere jure quod habet ad justam aversionem, & pœnam peccatori infligendam, propter peccatum ejus præteritum; cùm in eo nulla appareat repugnantia, & de facto homines offensas contra se admissas sic remittant, uti etiam Deus juxta omnes remittere potest voti obligationem, atqui hoc est peccatum remittere absque ullo dono supernaturali peccatori collato per condonationem pure extrinsecam ergo &c.

Non repugnat mortale remitti absque infusione gratiæ per condonationem mere extrinsecam.

631. Potest autem hujusmodi condonatio sic fieri, ut per eam homo admittatur ad amicitiam Dei imperfectam: cùm possit Deus eadem voluntate qua potest homini absque intrinseca ejus mutatione peccatum remittere, eidem simul decernere fœlicitatem æternam, quod est exercere actum specialis benevolentiæ erga talem hominem, adeoque illum admittere ad amicitiam imperfectam.

Sic ut per eam homo fiat imperfecte Dei amicus.

Non potest tamen sic fieri, ut per eam homo constituatur perfecte Sanctus, Dei amicus, filius Dei adoptivus absque gratia inhærente aliove simili dono supernaturali intrinseco, qualia sunt unio hypostatica, visio beata &c. Ratio est; quia ad perfectam Dei amicitiam, qualis vi præsentis providentiæ de facto datur ex communi & certa PP. ac Theolog. sententia contra hæret. sup. n. 618. Requiritur intrinseca & supernaturalis similitudo ac participatio divinæ naturæ, quæ haberi nequit absque dono supernaturali intrinseco.

Non tamen perfecte filius Dei adoptivus, ad hoc enim ex PP. & S. Th. requiritur intrinseca Dei similitudo.

632. Cùm S. Thom. hic qu. 113. art. 2. O. dicit: *Non potest intelligi remissio culpæ, si non sit infusio gratiæ*, explicandus est vel de remissione ad perfectam Dei amicitiam evehente, vel de lege ordi-

naria sicut 3. p. q.86. a. 2. ubi docet peccatum non posse remitti sine pœnitentia.

Fides requiritur ad justificationem, non tamen sufficit, utrumque est de fide ex Script. & Trid.

633. Ad justificationem requiritur aliqua fides: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ad Hebr. 11. quod etiam diserte docet Trident. sess. 6. c. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo*. Sola fides tamen ad justificationem non sufficit, est, sicut & prius de fide ex Trident. sess. 6. can. 9. *Si quis dixerit sola fide impium justificari anathema sit*. Sumitur ex Script. 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Iac. 2 *fides sine operibus mortua est*. Confirmatione, qua constat, etiam credentes in Christum, posse esse fornicarios, adulteros, &c. Quales ex 1. ad Cor. 6. v. 10. *Regnum Dei non possidebunt*.

Iustificatio à Script. & PP. tribuitur soli fidei ut radici.

634. Dices 1. Ioan. 1. v. 11. & 3. v. 26. Rom. 5. v. 1. justificatio simpliciter tribuitur fidei nulla facta mentione charitatis & operum, R. ut formæ justificanti, aut dispositioni ultimæ se sola sufficienti; N. ut *primo fundamento & radici omnis justificationis* juxta Trid. sup.

Vel cum sola exclusione operum legis & naturæ; vel ut accipitur pro doctrina Evangelica servata ut oportet.

Dices 2. Apost. ad Rom. 3 dicit: *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus*: R. solùm excludit opera legis vel naturæ facta sine spiritu fidei. Eodem sensu intelligendi sunt PP. Ambr. in c. 3. ad Rom. *Sola fide justificati sunt dono Dei*. Leo Epist. 70. *sola fides Catholica vivificat & justificat*. Theophilact. in 3. ad Gal. *fides sola habet in se justificandi virtutem*.

Adde Script. quandoque & PP. nomine fidei intelligere totam doctrinam Evangelicam, quæ servata ut oportet, ad justificationem & salutem sufficit. Hoc sensu intelligendum est illud ad Roman. 10 *Omnis qui credit in illum* (nempe *ut oportet*, & observando omnia quæ docet) *non confundetur*. Illud Luc. 8. *Crede tantùm, & salva erit*, debet intelligi de salute corporali puellæ suscitandæ.

635. Fi-

635. Fides autem quam cum Apost. ad Hebr. 1. ad justificationem requirimus; non est fides divinarum promissionum specialis; qua unusquisque promissionem divinam apprehendens, & sibi applicans credat, seu potius confidat, peccata omnia per Christum sibi esse demissa. Primò quia ista fides est à Luth. Calv. aliisque sectariis absque ullo in Script. ac PP. fundamento, impie excogitata, & hæretice asserta, ad proinde à Trid. sess. 6. can. 12. 13. & 14. Anathemate damnata.

Fides justificans non est fiducia de peccatis sibi per Christum demissis, ut volunt Luth. & Calv.

Secundò quia talis fides citra specialem revelationem, est impossibilis: cùm nulla sit revelatio generalis, quæ mediante aliqua propositione lumine naturali evidenter nota cuipiam sufficienter applicari possit, ut divina fide credat se esse in statu gratiæ ut diserte docet Trid. sess. 6. c. 9. quod sic claudit, *quilibet de sua gratia formidare & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Talis fides seclusa speciali revelatione est impossibilis.

636. Nec solùm certitudine fidei; sed ne quidem certitudine physica quisquam scire potest, sit ne in statu gratiæ vel peccati: *Nescit* enim *homo utrum odio vel amore dignus sit*. Eccl. 9. Potest tamen homo habere certitudinem physicam de justitia aliena, ut qui scit se cum legitima materia & forma ac debita intentione infantem baptizasse; & moralem de propria, qualem habet, qui per scientiam experimentalem novit se fecisse, quod in se est, ad actum contritionis perfectæ de suis omnibus peccatis, aut ad Sacramentum pœnitentiæ rite suscipiendum, & ab eo suscepto per longum tempus abstinuit ab omni peccato mortali, quod ex dictis sup. nu. 543. fieri nequit ab eo, qui non est in statu gratiæ. De hac morali certitudine intelligendum est illud ad Roman. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro* (scil. per motus internos filialis fiduciæ fundatæ in testimonio bonæ conscientiæ) *quod simus filii Dei.*

Nullus potest esse physice certus de sua justitia, potest de aliena & de sua moraliter.

637. Vltima dispositio ad gratiam habitualem non procedit, effective ab ipsa gratia habituali, mediantibus suis habitibus: sed à præveniente gra-

tia actuali, à qua juxta Trid. sess. 6. c. 5. *Iustificationis exordium est sumendum*. Primo quia nulla est necessitas, nec argumentum aut signum talis efficaciæ in gratia habituali, & oppositum videtur conformius naturis rerum: cùm enim ista dispositio in genere causæ meritoriæ sit prior gratia habituali, non potest saltem connaturaliter, esse ea posterior in genere causæ efficientis physice: imò absolutè videtur repugnare; cùm causæ requirentes existentiam formalem ut causent (quales sunt causa dispositiva per modum meriti & causa efficiens) non possint se invicem causare, etiam in diverso genere absque mutua prioritate reali, secundùm idem esse, quod implicat. Secundò, quia Trident. sess. 6. c. 7. initio absolutè docet sanctificationem, seu infusionem gratiæ sequi suam dispositionem, ac proinde non est ullo modo ea prior. Quare, Deus non priùs nos diligit dilectione amicitiæ perfectæ, quæ pro termino habet gratiam habitualem, quàm ipsum diligemus, saltem habitualiter, sed solùm dilectione amicitiæ imperfectæ ad perfectam disponentis, quæ pro termino habet gratiam actualem.

Vltima dispositio ad gratiam habitualem ab hac non procedit effective.

Alioqui daretur mutua prioritas secundùm idem esse.

Nec plus volunt Ioan. in sua prima c. 4. *Quoniam ipse prior dilexit nos*. Aug. tract. 75. in Ioan. *Quomodo diligimus, ut Spiritum sanctum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non valemus*, & S. Thom. hic q. 113. art. 8. O. alioqui enim sibi contradiceret; cùm q. 109. art. 6. O. nostram conclusionem apertè tradat his verbis: *Ad hoc autem ut præparet se homo ad susceptionem hujus doni* (sc. gratiæ habitualis) *non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima; quia sic procederetur in infinitum: sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis*.

Deus nos diligit dilectione imperfecta, prius quam ipsum diligamus, non perfecta.

§. VII.

§. VII.

Meritum condignum, & congruum.

638. MEritum stricte & proprie in concreto, est opus bonum, in obsequium alterius factum, de se aptum ad aliquid obtinendum per modum retributionis; in abstracto autem est ipsius operis valor seu conditio, ratione cujus idoneum est; ut moveat ad præmium, cujus est correlativum.

Meritum est opus dignum præmio.

Differt ab impetratione, quod hæc moveat per modum submissæ petitionis; illud per modum obsequii à satisfactione, quod hæc sit redditio æquivalens injuriæ.

Meritum coram Deo de quo hic S. Thom. dividitur in congruum & condignum. Condignum est, quod eam habet æqualitatem cum præmio, ut hoc ei debeatur aliquo modo ex justitia, saltem accedente promissione præmiantis. Congruum est, cui deest ista æqualitas, aut saltem defectu promissionis non debetur præmium aliquo modo ex justitia, sed tantùm ex liberalitate præmiantis.

Condignum habet æqualitatem cum præmio debito ex justitia, congruum aliquam solum congruitatem.

639. Ad meritum condignum variæ conditiones requiruntur ex parte operantis, operis & præmiantis. Ex parte operantis requiritur 1. status viæ: id enim aperte significat Script. Eccles. 14. *Ante obitum operare justitiam*. Ioan. 9. *venit nox quando nemo potest operari*, ad Gal. 6. *dum tempus habemus operemur bonum*, & tanquam certum docent PP. Chrysost. homil. 2. de Lazaro August. apud Prosper. sententia 182. Hieron. in cap. 6. 1. ad Corinth. *Tempus sementis est præsens vita; cùm transierit operandi tempus aufertur*. 2. status gratiæ; hoc enim supponit Trident. sess. 6. c. 16. & can. 32. & colligitur ex Script. Ioan. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vita, sic nec vos, nisi in me manseritis*, &c. (ut cum PP. interpretes passim intelligunt,) per fidem & charita-

Ad condignum requiritur 1. in merente status viæ, & gratiæ patet ex Script. Trident. & Bajo damnato.

tem, juxta illud Apost. 1. ad Cor 13. *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

640. Unde meritò damnata est à tribus Pontificibus hæc 12. Prop. Bajana: *Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium.* Item 17. idem continens. Ratio autem est, quod ad meritum condignum vitæ æternæ non solùm opus, sed etiam persona debeat esse isti fini proportionata; adeoque per gratiam sanctificantem antecedenter elevata ad ordinem divinum & statum amicitiæ & filiationis divinæ: morali enim æstimatione valor operis in obsequium alterius, præsertim qui ex ipso opere nullam utilitatem percipit, plurimùm pendet à dignitate operantis, ut patet in Christo. Ideò vita æterna ad Coloss. 3. dicitur *retributio hæreditatis*: quia nempe ejus meritum præsupponit jus filii ad illam ut hæreditatem; unde etiam Script. sæpe significat meritum vitæ æternæ, esse meritum filii.

Merens, uti & meritum, debet habere proportionem cum præmio.

641. Ex parte operis requiritur 1. ut sit actus positivus: nam necesse est, ut sit quidpiam factum ex gratia in obsequium Dei; quod puræ omissioni convenire non potest: cùm non magis exerceatur ex bono motivo; quàm ex indifferenti aut malo.

Unde requiritur ex parte operis ut sit actus positivus, liber à necessitate, honestus in individuo, supernaturalis, & factus in obsequium Dei.

2. Ut sit actus liber, non solum à coactione, ut voluerunt Bajus, & Iansf. Iprens. sed etiam à necessitate, est nunc omnium Catholicorum & fide certa, ex hac 3. Propos. Ianseniana: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione*: damnata ut hæretica, quod etiam ex Script. & PP. probatum reperies sup. num. 44. & seqq.

3. Ut sit honestus in individuo, quia debet pertinere ad Dei obsequium eique esse acceptus.

4. Ut sit supernaturalis in substantia, est S.Thom. hic quæst. 114. art. 3 Suar. & aliorum communius, contra Sot. Val. Vasq.

642. Col-

642. Colligitur ex Script. Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Marc. 9. *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo,* &c. *non perdet mercedem suam.* Luc. 9. *Quicumque receperit puerum istum in nomine meo, me recepit:* quibus & similibus apud Matth. c. 10. v. 40. & 41. per ly. *Propter me, in nomine meo, in nomine discipuli,* &c. Significatur requiri, ut bonum opus procedat ex fide, & ex motivo aliquo supernaturali, ad hoc ut sit meritorium vitæ æternæ, quod aperte significant CC. cùm docent debere opus meritorium procedere ex gratia ut Arausi. can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant:* ubi per gratiam haud dubie intelligit supernaturalem, quam negabant Pelagiani & Semipelagiani, contra quos ibi agit Trid. sess. 6. can. 6. *Cùm Christus tanquam caput in membra, in justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit,* &c. *sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent.* Quibus concordant Cœlest. Papa Epist. ad Gal. c. 8. ubi ait: *Non placere Deo nisi opera illa, quorum ipse est author.* Aug. ser. 50. de tempore, *non virtus, sed causa virtutis apud Deum mercedem habet;* aliique PP. qui etsi non formaliter, virtualiter tamen & terminis æquivalentibus actus humanos distingunnt in naturales & supernaturales, dum ex iis cum Aug. agnoscunt aliquos solùm pertinere ad honestatem præsentis vitæ, alios ad pietatem Christianam, & salutem vitæ æternæ, quos dicunt sine Dei adjutorio fieri non posse, *sicut oportet.*

Colligitur ex Scripturis CC. & PP. exigentibus ut meritum sit ex gratia, & saltem virtualiter distinguentibus actus supernaturales à naturalibus.

Vnde cùm Script. CC. & PP generaliter significant bona opera justorum esse meritoria vitæ æternæ, subintelligunt & supponunt illis non deesse conditiones, quas alibi expressè requirunt.

Omnia opera Christi etiam pure moralia & entitative naturalia fuerunt meritoria 1. quia unio hypostatica habebat se antecedenter & influebat in omnia opera istius suppositi. 2. Quia Sanctitas Christi personalis erat superioris ordinis & simplici-

Hanc conditionem supponunt PP. dum rationem meritis bonis

operibus generaliter tribuunt V-nio hypostatica influebat in omnia Christi opera etiam naturalia.

pliciter infinita, ac proinde poterat omnia ejus opera elevare supra suum ordinem & eis dare supernaturalitatem moralem in ordine ad præmiū supernaturale, quod Sanctorum sanctitati non convenit.

643. Confir. nostra concl. ex dictis sup. 517. 522. Vbi contra Pelagian. ex Script. CC. & PP. demonstratum est nos nihil posse, quod conducat ad vitam æternam, nequidem dicere: *Dominus IESVS*: nisi ut habetur 1. ad Cor 12 *in Spiritu sancto*, seu per Dei gratiam. Et ratio est, quòd meritum debeat esse ejusdem ordinis cum præmio; quandoquidem sit ejus semen, ac proinde illud aliquo modo contineat: præmium autem vitæ æternæ, consistentis in clara Dei visione, sit in substantia supernaturale.

Hæc autem supernaturalitas solùm requiritur ad actus meritorios per se & immediate ratione sui; non verò ad meritorios extrinsece quatenus substant actui entitative supernaturali, à quo imperantur aut referuntur ad finem supernaturalem, quales sunt omnes actus externi, & varii interni, etiam voluntatis viribus, naturæ producti ex efficaci imperio actus supernaturalis.

Supernaturalitas reddit meritum proportionatum præmio, non laudabilius ut est à nobis.

644. Dices 1. substantialis supernaturalitas non est nobis libera, cùm non sit nobis nota neque in se neque in ulla ejus causa, ex qua necessariò resultet: ergo nihil conducit ad actuum nostrorum laudabilitatem & meritum: nulla enim actuum nostrorum conditio potest nos reddere laudabiles & dignos præmio, nisi sit nobis libera, cùm libertas sit fundamentum laudabilitatis & vituperabilitatis, dignitatis, præmii & supplicii. R. N. sequel. & dico conditionem nobis non liberam posse ad actuum nostrorum meritum conducere, non quidem tanquam aliquid reddens actus nostros, prout a nobis procedunt, laudabiles, aut laudabiliores; sed tanquam aliquid à præmiante requisitum, ut, meritum sit entitative proportionatum præmio simile est in statu justitiæ nobis ignoto ad meritum condignum requisito.

Dices 2. PP. non distinguunt inter actum naturalem

ralem & supernaturalem R. explicite & formaliter C. implicite & virtualiter, quatenus cum Aug. agnoscunt aliqua opera bona, quæ solùm pertinent ad honestatem vitæ præsentis, & alia ad Deum & pietatem Christianam pertinentia, sic N.

665. Non requiritur, ut actus sit à charitate elicitus aut imperatus etiam virtualiter proprie, idest per actum charitatis præteritum moraliter perseverantem in continuationem actionum ad finem charitatis ordinatarum. Ita Suar Vasq. Granad. & alii communius. Prob. ex Scriptura sæpissime aliis actibus, quam charitatis, aut ab ea imperatis vitam æternam simpliciter promittente, ut operibus misericordiæ Mat. 5. *beati misericordes* &c. & 25. *venite benedicti* &c. *esurivi enim & dedistis mihi manducare*: observationi mandatorum, quorum multa pertinent ad virtutes à charitate distinctas, Matth. 19. *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: denique omni operi bono 1. Cor. 15. *abundantes in omni opere Dei semper*, sive ut habet Trid. sess. 6. c. 16. *abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*.

Non requiritur ut actus sit a Charitate elicitus aut imperatus, cum etiam alii actus sint proportionati præmio supernaturali, ipsis in Scriptura simpliciter promisso.

Ratio est, quod omnis actus virtutis infusæ, præcise secundum se abstrahendo à charitate illum imperante, sit dignus laude & præmio, supernaturalis in substantia, & in justo meritum filii adeoque proportionatum vitæ æternæ ut præmio, quod indicat Trid sess. 6. c. 16. his verbis: *nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus illis operibus, quæ in Deo sunt facta, censeantur vitam æternam vere promeruisse*.

646. Cum Apost. 1. ad Cor. 10. dicit: *omnia in gloriam Dei facite*, vel solum dat consilium, non præceptum seu documentum de eo, quod est necessarium ad meritum; vel certe dicendum est, quod bona opera, quamvis nullo modo fiant ex motivo charitatis, eo ipso tamen quo fiunt ex motivo supernaturali alicujus virtutis infusæ, censeantur ex mente Apost. referri ad gloriam Dei, si non in actu signato, saltem in actu exercito, quatenus ex tali motivo operans & mandata servans verè glorificat

Requiritur tamen ut procedat à gratia habituali, cui annectitur Charitas, ex motivo Charitati consentaneo, cum relatione ad

gloriam Dei saltem in actu exercito atque ita in nomine Christi.

ficat Deum, faciendo quod est ei gratum ac gloriosum, & agit in nomine Christi, hoc est ex motivo virtutis Christianæ seu à Christo præceptæ, aut commendatæ in Evangelio.

Dum verò ad Gal. 5. dicitur quod ad salutem illa sola fides valeat: *qua operatur per charitatem*: sensus est quod ad salutem fides solùm valeat, quatenus excitat & dirigit opera, quæ fiunt ex motivo charitati consentaneo; aut quæ per charitatem habitualem, gratiæ sanctificanti identificatam, vel inseparabiliter annexam, dignificantur in ordine ad opera condignè meritoria vitæ æternæ.

647. Dices Aug. de moribus Ecclesiæ c. 15. ait: *quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim nisi summum amorem Dei*, quibus similia habet Epist. 52. Ergo ex ejus mente sola charitas conducit ad vitam æternam. R. solùm vult quod charitas sit virtus antonomastice, & ita cæterarum radix & forma ut sine ea ante mortem habita, aliæ virtutes non possint ad salutem perducere: unde nego sequelam.

Hoc solùm volunt Scripturæ, Aug. aliique PP. qui possunt explicari de charitate sumpta latè pro quavis affectione supernaturali, movente ad opera Deo grata, vel de charitate ut identificata gratia habi. ta principio dignificati. vo & effectivo unius actus boni.

648. Alia Scripturarum ac PP. loca, & præsertim Aug. Enchir. c. 117. *regnat enim carnalis cupiditas ubi non est charitas*, quibus significari videtur ad meritum requiri ut opus procedat ex charitate, rectè explicantur, 1. de charitate sumpta late pro qualibet affectione bona cujuslibet virtutis infusæ, quo sensu Aug. dicit l. 8. de Trin. c. 10. *quid est charitas quam tantopere scriptura laudat nisi amor boni*, & l. 2. cont. duas Epist. Pelag. c. 9. *quid boni cupiditas nisi charitas* 2. de charitate habituali spectata prout est moraliter unum cum gratia sanctificante sibi annexa, à qua ut à principio radicali dignificari, & mediante habitu infuso, procedere debet omnis actus condigne meritorius; vel de charitate sumpta late prout complectitur omnem virtutem infusam, qua fide prælucente, exercentur opera Deo grata, in ejus obsequium & gloriam cedentia, quæ exercere & velle est Deo bonum velle, adeoque ipsum amare, saltem late, 3. de processione à charitate virtualiter improprie & interpretative, quatenus est

opus

opus justi, qui, cum sit habitualiter conversus ad Deum, ut suum finem ultimum supernaturalem, censetur ad hunc finem aliquo modo referre quidquid facit, juxta proportionem & ordinabilitatem intrinsecam ipsius operis.

649 Adde 1. quod illud Aug. sup. *Regnat carnalis cupiditas ubi regnat charitas*, in rigore verborum, nimium probet, quod nempe actus supernaturales virtutum infusarum à charitati non imperati, non solùm non sint meritorii, sed vitiosi & demeritorii, quod est falsum. Idem dicendum de his ejusdem Aug. verbis in Ps. 18. *qui non vult servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati*, 2. quod Aug. & alii PP. ejusmodi locutionibus solùm velint peccatum habituale, quod est actus cupiditatis carnalis moraliter perseverans, regnare in omni anima, in qua non est charitas habitualis, qua deficiente, juxta Apost. 1. Cor. 13. *nihil nob s prodest* sc. tanquam meritum condignum, nec ullo modo ad vitam æternam si deficiat in extremo vitæ.

650 Dices habitualis prava dispositio peccatoris non facit ut omnia ejus opera referantur ad finem ultimum peccatoris alioqui omnia ejus opera essent peccata: ergo nec habitualis bona dispositio justi facit ut omnia opera e us bona ordinentur & conducant ad ejus finem ultimum supernaturalem, R. N. sequel. disparitas est quod habitualis sanctitas justi influat physice per suos habitus, & seipsa moraliter in omnia eius opera, saltem facta ex motivo supernaturali; at verò habitualis pravitas peccatoris nullo modo influat in eius opera moraliter bona.

Requiritur ex parte præmiantis promissio qua seclusa bona opera justorum solùm sunt condignè meritoria in actu 2. pat. ex Trid. & Aug.

651. Ex parte præmiantis requiritur divina promissio, ad hoc ut bona opera justorum, sint in actu 2. condignè meritoria vitæ æternæ; non ut in actu 1. seu ut ex parte sua, sint illi proportionata ut præmio. Prob. prima pars 1 ex Trid. sess. 6. c. 16. ubi dicit justis *proponendam esse vitam æternam tanquam mercedem ex Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis reddendam*. 2. ex August. in Psalm. 83. ubi agens de merito mercedis à Deo redden-

dendæ bonis operibus, sic loquitur: *debitorem ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo.* 3. quia meritum condignum in actu secundo, debet præmiantem aliquo modo obligare seu debitorem facere ut patet ex verbis Apost. ad Rom. 4. *ei, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum:* atqui non potest homo suis operibus ulla ratione Deum obligare, nisi ejus operibus præmium promiserit; cùm enim Deus ratione suæ summæ excellentiæ, & supremi dominii in creaturas, justissime possit, etiam nulla mercede proposita, ab homine quodlibet obsequium exigere, seclusa promissione, non est unde ullo genere debiti teneatur bonis operibus præmium dare.

Confir. quia alioqui non esset ratio cur Christus, non meruerit bonis Angelis augmentum gloriæ, malis reparationem, item cur animæ in purgatorio non mereantur.

Ex promissione non oritur condignitas præmii, sed ius ad præmium.

652. Secunda pars patet 1. quia bona opera justorum facta ex gratia (cùm sint supernaturalia quoad substantiam, & opera amicorum ac filiorum Dei) habent independenter à divina ordinatione, tum ex parte sua, tum ex parte operantis proportionem, & prudenti æstimatione, attenta præsertim infinita majestate & liberalitate Dei præmiantis æqualitatem valoris, seu condignitatem cum præmio vitæ æternæ, cujus gratia (à qua ut principio principali creato procedunt) 1. Ioan. 3. dicitur *semen*: quia nempe habêt vim mediante merito condigno illam moraliter causandi. 3. quia si ex divina promissione oriretur condignitas meriti, contritio peccatoris mereretur de condigno gratiam justificationis, cùm hanc Deus illi promiserit: quilibet actus honestus, supposita promissione divina, posset mereri de condigno unionem hypostaticam: Christi merita non essent infinita; cum illis promissum non sit præmium infinitum &c.

Non tamen jus Deum obligans ex justitia strictè.

653. Deus per meritum condignum non obligatur homini ex justitia strictè: hoc enim aperte significant PP. Aug. 1. confess. c. 4. *reddit debitum nulli debens.* l. de lib. arb. c. 16. *Deus nulli debet aliquid:* Ansel.

Ansel. prolog. c. 10. *justus es, non quia reddis nobis debitum; sed quia facis quod decet te summum bonum*. Bern. Ser. 2. de annuntiat. Vbi expresse docet, quod si Deus merenti negaret præmium, nulli faceret injuriam.

654. Ratio est quod Deus habeat supremum dominium in omnes creaturas, & quidem omni ex parte, etiam de potentia absoluta inabdicabile: cùm fundetur immediate & præcise in essentiali eminentia divini esse, de cujus essentia est, ut ipsum à nullo, cœtera vero ab ipso sint; & in absoluta dependentia omnis creaturæ à primo esse; vi autem hujus supremi dominii omnes creaturæ sunt magis Dei, quàm suæ, & consequenter omnia rarum jura magis Dei, quàm ipsarum, ac proinde repugnet Deum aliquo merito, aut sua promissione homini ex justitia strictè dicta obligari, cùm enim omne jus hominis sit magis Dei, quàm hominis, est in plena Dei potestate de illo absque ulla hominis injuria, pro libitu disponere illud tollendo, negligendo, aut actum ei oppositum faciendo: quare non obstante quovis merito, potest homini absque ulla injuria, gloriam negare, imo ipsum annihilare.

Quo Deum obligari repugnat supremo ejus Dominio, vi cujus creatura cum omni suo jure sunt magis Dei, quam suæ.

655. Supposita tamen promissione, Deus per meritum condignum obligatur homini, in gratia decedenti, vitam æternam reddere ex justitia late sumpta; cum ad id obligetur, tum ex veracitate, quæ inclinat ut dicta menti correspondeant, tum ex fidelitate, quæ obligat, ut facta dictis conformentur, quæ virtutes, cùm sint ad alterum, sunt partes justitiæ, non quidem subjectivæ, sed potestativæ, id est, propter affinitatem ei annexæ.

Iis ergo solum obligatur ex justitia late seu ex fidelitate nec plus intendunt Scripturæ.

656. Ideo autem Deo non repugnat obligari ex justitia late seu ex fidelitate: quia hoc non est Deum obligari alteri, seu ex jure activo alterius cui subijciatur, in quo involvitur diminutio juris supremi, quæ est imperfectio Deo repugnans; sed potius juxta Ansel. sup. est Deum obligari sibi ipsi. De hac iustitia intelligi debent Scripturæ 2. ad Timoth. 4 *reposita est mihi corona justitia*, ad Hebr. 6. *non est injustus Deus ut obliviscatur operis vestri*, & aliæ

eius-

eiusmodi, uti & Aug. Chrysost. aliique PP. dum obligationem justitiæ in Deo videntur agnoscere.

Ad meritum congruum requiritur ut actus sit liber honestus, supernaturalis & status viæ.

657. Ad meritum congruum requiritur 1. ut actus sit liber & honestus. 2. saltem in ordine ad præmium supernaturale, ut actus sit supernaturalis, & quidem ex probabiliori, etiam in substantia alioqui enim contra CC Script. & PP. sup. n. 522. possemus naturæ viribus aliquid, saltem remote & inchoatè conducens ad vitam æternam, 3. status viæ patet ex dictis sup. n. 638.

Sancti nobis impetrant, non merentur.

Quare beati nihil de novo merentur nequidem de congruo, unde cum beneficia nobis impetrant, Deus non movetur eorum precibus tanquam meritis aliqua ratione exigentibus præmium suo valori proportionatum, sed tanquam petitionibus personarum sibi amicarum & dignarum, quæ audiantur ob antiqua merita.

Promissio merito congruo non est necessaria, nec contraria: similiter status gratiæ.

658. Promissio non repugnat merito congruo, nec ad illud requiritur. Prima pars patebit ex n. sequenti, ubi ostendemus contritionem peccatoris mereri justificationem de congruo, quamvis sibi certa lege promissam. Secunda probatur quia ad hoc meritum sufficit, quod actus habeat bonitatem aliquam proportionatam, ut illius intuitu meritò possit Deus beneficium aliquod homini reddere, non ex iustitia aut fidelitate, sed (ut ex Ansel. & S. Th. loquitur Suar.) ex quadam decentia munificentissimæ eius providentiæ.

659. Hinc meritum congruum, aliud est habens infallibilem retributionem, ratione promissionis de ea factæ, aliud non habens infallibilem retributionem eo quod de illa nulla sit facta promissio: hoc secundum minus proprie participat rationem meriti; cum nullam inducat obligationem: unde vix differt ab impetratione cum qua confunditur, non solùm à Vasq. sed & ad Aug. & Trid. n. sequenti.

Non requiritur status gratiæ, ei tamen non officit, ut patebit ex dicendis.

§ VIII.

§. VIII.

Meriti Præmium.

660. HOmo non poteſt ſibi mereri primam gratiam actualem, nequidem de congruo, cùm ex dictis ſup. n. 522. ſine gratia præveniente nihil poſſit quod conducat ad vitam æternam.

Homo non poteſt mereri 1. gratiam actual. congruè, nec 1. habitualem condignè.

Neque primum habitualem de condigno, eſt D. Th. & aliorum communiſſima, & ita certa, ut Vega, & Tan. aſſerant eſſe de fide ex Conc. Arauſ. can. ult. Trid. ſeſſ. 6. can. 1. 2. & 23. quod tamen negant Vaſq. & alii. Ratio eſt, quod principium meriti non poſſit cadere ſub meritum, ut oſtenditur 3. p. de merito unionis hypoſtaticæ; gratia autem habitualis, ſit principium dignificativum meriti condigni, cùm ideo ad illud neceſſariò requiratur.

661. Illam poteſt mereri meritò congruo & infallibili, imo peccator eam ſic meretur per contritionem, eſt Aug. Epiſt. 105. *neque remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori*. Idem docet Trid. ſeſſ. 14. c. 4. ubi dicitur: *fuit autem quovis tempore ad impetrandum veniam peccatorum, hic motus contritionis neceſſarius*. Vbi, ut patet ex contextu, Aug. & Trid. impetrationem confundunt cum merito congruo. Ratio autem eſt, quia contritioni peccatoris nihil deeſt ad rationem meriti congrui, & quidem infallibiliter habentis effectum; cum, de juſtificatione ejus intuitu conferenda, facta ſit promiſſio.

Poteſt congruè, & quidem infallibiliter.

Dicimur tamen ad Rom. 3. v. 24. *juſtificati gratis*, & v. 20. *non ex operibus*; quia nempe ſine merito condigno, quod ſimpliciter vocatur meritum, & non ex operibus factis naturæ viribus, ſed gratiæ actualis auxilio omne meritum præveniente.

Iuſtificatio gratis, id eſt non ex merito condigno.

Iustus non potest sibi aut alteri mereri perseverãtiam, nec reparationem post lapsum.

662. Non potest homo quantumvis justus merito condigno, aut congruo habente infallibiliter effectum, sibi, aut alteri mereri donum perseverantiæ, reparationem post lapsum, imo nec ullam gratiam actualem, aliudve beneficium à gratia sanctificante & gloria distinctum, quia de illis nulla exstat divina promissio; imò in scripturis potiùs significatur contrarium. 1. ad Cor. 10. *qui se existimat stare videat ne cadat.* ad Philipp. 2. *cum metu & timore vestram salutem operamini*: quibus significatur cuilibet justo, meritò timendum esse ne a justitia excedat. Potest tamen illa mereri merito congruo, non habente infallibiliter effectum; quia potest ferventi oratione ista dona à Deo impetrare, ut concedit S. Thom. 1. 2. q. 114. a. 9 ergo & mereri de congruo. Favet Aug l. de dono persev. c. 6. ubi ait: *hoc donum* (sc. perseverantiæ) *suppliciter emereri potest*: unde c. 13. solùm excludit meritum condignum vel ex naturæ viribus cùm dicit: *unde satis dilucidè ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi gratiam Dei non secundùm merita nostra dari.*

Potest sibi mereri gratiæ & gloriæ augmentum, ipsamque vitam æternam.

663. Potest tamen quivis justus, etiam de condigno sibi mereri augmentum gratiæ, est S. Thom. 1. 2. q. 114 a. 8. & cœterorum adeò certa, ut Gran. Tan. & alii communiùs contra Vasq. censeant esse definitam à Trid. sess 6. can. 32. *si quis dixerit justificatum bonis operibus non mereri augmentum gratiæ anathema sit.* Est etiam Aug. Epist. 106. *non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ista gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.*

664. Potest quoque sibi mereri vitam æternam, atque gloriæ augmentum, & quidem de condigno; prima pars est de fide ex Trid. sess 6. can. 32. *si quis dixerit justificatum* &c. *non verè mereri vitam æternam, atque etiam gloriæ augmentum anathema sit.* Sumitur ex Math. 5. *quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* 16. *tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.*

Secunda pars quod sc. condignè, quamvis non definita in terminis, passim tamen habetur certa 1. ex

ex Trid. sup. definiente, justorum opera *verè mereri vitam æternam*, ubi per ly *verè* clarè indicat hoc meritum plus esse, quàm cujusdam congruitas 2. ex Script. 2. ad Timoth. 4. *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex* 2. Thess. 1. *ut digni habeamini* (id est sitis, ut passim interpretes) *regno Dei, pro quo & patimini.* Apoc. 3. *ambulabunt mecum in albis quia digni sunt*, 3. ex PP. apud Bel. Aug. Epist. 105. *sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* ser. 151. *promissor Deus debitor factus est bonitate sua.* Basil. Chrys. & aliis. Et ratio est, quod bonis operibus justorum factis ex gratia, nulla desit ex conditionibus sup. n. 638. & seqq. requisitis ad rationem meriti condigni respectu augmenti gratiæ & gloriæ.

Et quidem condigne, hoc constat ex Scripturis & PP. illud est de fide ex Trid.

Est tamen *gratia Dei vita æterna* ad Rom. 6. sc. in radice seu meritis quæ sunt Dei dona, ut pulchrè Arausi. can. 18. *debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant* & Aug. *cùm Deus coronat merita nostra, coronat dona sua.*

Vita æterna est gratia in radice.

Verè tamen *passiones huius temporis non sunt condignæ ad futuram gloriam*, ad Rom. 8. si nempe spectentur secundùm suam gravitatem, & durationem, cum quo stat earum condignitas in ratione meriti. Datur itaque vita æterna titulo hæreditatis ad Rom. 18. v. 17. & simul titulo mercedis, ex Scripturis sup. cit. Quod verò hi duo tituli se compatiantur, patet in gloria corporis Christi data titulo hæreditatis, tanquam proprietas debita ratione unionis, & titulo mercedis, debitæ Christi meritis.

Passiones sunt vitam æternam condignè in ratione meriti.

665. Contritio qua peccator ultimo disponitur ad gratiam, eamque eodem instanti accipit, meretur de condigno primum gradum gloriæ non 2. instanti, quo continuatur, ut volunt Bel. & alii inf. n. 673 sed 1. instanti quo elicitur est S. Tho. q. 112. a. 2. ad 1. ubi sic loquitur: *præparatio hominis ad gratiam habendam, quædam est simul cum infusione gratiæ, & talis operatio est quidem meritoria* (supple

Quamvis contritio peccatoris non mereatur de condigno primum gradum gratiæ, quia princi-

pium meritum, meretur tamen 1. gradum gloriæ qui non est ullo modo principium meriti, ut est 1. gradus gloriæ.

ple de condigno (*sed non gratia qua jam habetur, sed gloria, qua nondum habetur*. Idem docent Valent. Vasq. Sylvius, Suar. & apud hunc Cajet. Soto, Medina, & alii communiùs contra Greg. Gabr. Veg. Lugo, Ripal. & alios valde probabiliter dissentientes.

Colligitur ex Trid. sess. 6. can. 32. *Si quis dixerit hominis justificati opera non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si in gratia discesserit, consecutionem atque etiam gloriæ augmentum anathema sit*. Quibus verbis satis clarè docet non solùm augmentum gloriæ, sed etiam gloriam seu primum ejus gradum cadere sub meritum verum ac condignum, sicut ipsum gloriæ augmentum, dum vitam æternam & gloriæ augmentum recenset, ut duo præmia meriti ejusdem rationis distincta, veri sc., ac condigni & in eodem contextu aliter loquitur de gloria, quam de gratia: de hac enim agens, non dicit mereri gratiam scilicet verè & simpliciter id est de condigno; sed solùm gratiæ augmentum: quia nempe primus gradus gratiæ, cùm sit principium meriti condigni non potest cadere sub tale meritum; sicut potest primus gradus gloriæ, qui nullo modo est principium meriti.

Concil. agit generaliter de actibus justorum, quorum aliqui sunt meritorii solius gloriæ alii solum ejus augmenti, alii utriusque.

Porrò Conc. ibi non solùm agit (ut volunt adversarii de operibus antecedenter justificatorum) quæ merentur augmentum gratiæ, & consequenter augmentum gloriæ non primum ejus gradum, sed generaliter & indifferenter de omnibus operibus justorum, quorum aliqua merentur augmentum gratiæ & gloriæ, non primam gloriam; illa nempè quæ sunt tempore posteriora prima justificatione; aliqua verò solùm primam gloriam, non ejus augmentum, ut contritio, quæ est ultima dispositio ad primam gratiam eodem instanti dandam; aliqua denique juxta varios gloriam, & ejus augmentum, qualia sunt actus virtutum eliciti eodem instanti, quo ponitur ultima dispositio cum ipsa justificatione ad illam habentes se concomitanter: ii enim actus (inquiunt) una cum ultima dispositione per

mo-

modum unius meriti totalis merentur primam gloriam, quæ deberetur ultimæ dispositioni, si sola concurreret & præterea aliquam partem gradualem ipsi superadditam, quæ bono sensu dici potest gloriæ augmentum. Dixi concomitanter: quia actus eodem instanti habentes se consequenter ad justificationem & ab ea dependentes merentur de condigno gradum gratiæ & gloriæ distinctum ab eo, qui datur propter ultimam dispositionem. V. Vasq. Ariag. Ripald. Merat.

666. Ratio autem nostræ conclusionis est, quòd actus contritionis, per quem, ut ultimam dispositionem, eodem 1. instanti, quo est, obtinetur justificatio, habeat omnes conditiones requisitas, ut sit meritum condignum primi gradus gloriæ, non solùm ex parte sua, & præmiantis (quod omnes concedunt) sed etiam ex parte operantis: cùm sit actus hominis viatoris, & justi in eodem instanti reali, non quidem justi priùs, sed posteriùs natura, quàm ipse actus eliciatur; priùs tamen quàm primus gloriæ gradus in prœmium istius actus detur & decernatur: pro cujus elucidatione.

Vltima dispositio prius intelligitur dignificata per gratiam sui subjecti quam 1. gloria 1. ei decernatur.

667. Advertendum est, instans reale quo elicitur contritio, & simul tempore ejus intuitu confertur gratia semen gloriæ, & consequenter jus ad gloriam titulo hæreditatis, dividi posse in plura instantia naturæ, seu signa rationis.

Primum est quo intelligitur esse contritio meritoria de congruo, immediatè quidem gratiæ, mediate verò gloriæ, priùs natura, quam sit justificatio ad quam disponit.

Secundum est quo intelligitur gratia homini propter contritionem conferri, illumque iustificare & constituere Dei Filium.

Tertium est in quo intelligitur resultare jus ad gloriam, ut hæreditatem ex gratia & filiatione divina tanquam eius proprietas.

Quartum est quo à Deo decernitur gloria ut danda, tum titulo hæreditatis, tum titulo mercedis propter contritionem antecedenter dignificatam

Hic consideranda sunt 4. instantia rationis, quorum 1. est contritio meritoria de congruo 2. gratia propter contritionem data. 3. jus ad gloriam ut hæreditatem 4. decretum dandi gloriam titulo hæreditatis & mercedis.

per gratiam sui subjecti, priùs natura justificati; adeoque constitutam in esse meriti condigni respectu præmii necdum habiti nec decreti, nempe primi gradus gloriæ, de quo conferendo Deus nullam habet voluntatem, saltem remunerativam (inquit Ariag.) nisi priùs natura aut ratione dederit, seu dare decreverit gratiam: cùm vi præsentis providentiæ, nulli danda sit gloria, nisi priùs sit in Dei Filium regeneratus per gratiam. Vnde omnis actus meritorius gloriæ, est, & quidem priùs etiam meritorius gratiæ; licet non semper eodem modo, cùm, ut patet in nostro casu, sit meritorius gloriæ de condigno, gratiæ verò solùm de congruo.

Potest actus aliquis dignificari per gratiam se natura posteriorem atque ita spectatus physicè est illa prior moraliter posterior.

668. Quod autem actus contritionis possit dignificari per gratiam, se natura posteriorem, patet in actu charitatis, à justis eo instanti elicito, quo illius præceptum ita urget, ut ejus omissio esset peccatum mortale, quo gratia pelleretur; eo enim instanti conservatio gratiæ dependet ab actu charitatis, tanquam a removente prohibens, adeoque gratia est illo posterior natura, & tamen illum dignificat & constituit in esse meriti de condigno: cùm eo casu indubiè talis actus condignè mereatur augmentum gratiæ & gloriæ.

Quare etiam in nostro casu actus contritionis potest dignificari per gratiam se natura posteriorem, sic, ut licet spectatus physice & entitative non procedat à gratia, nec à justo ut justo formaliter; spectatus tamen moraliter, seu qua meritorius de condigno, sit ab illa ut dignificante, & consequenter actus justi formaliter ut justi.

Actus meritorius augmenti gratiæ per hoc non potest non reddi magis meritorius, cum illi ut merito condigno non decernatur nisi prosup-

669 Non potest tamen actus meritorius augmenti gratiæ per accessum istius augmenti similiter fieri dignior, & consequenter meritorius novi augmenti, & per hoc novum fieri meritorius ulterioris augmenti, & sic in infinitum: quia per gratiam actu posteriorem, tanquam ejus præmium, non potest augeri meritum actus extensive seu in ordine ad novum aut majus præmium: aliàs enim iretur in infinitum: Potest tamen augeri quasi intensive, seu in ordine ad novum, & perfectiorem modum merendi

rendi idem præmium, cum probationes nostræ id exigant, & nullum inde sequatur inconveniens.

670 Hujus autem disparitatis ulterior ratio est, quod gratia non possit habere se ut circumstantia constituens mensuram seu quantitatem valoris in actu, cujus est effectus per modum præmii condigni: quod enim datur ut præmium meriti condigni supponit valorem completum actus meritorii; cùm non possit præmium adæquatum assignari nisi præintellecta quantitate meriti, & consequenter omnibus circumstantiis, quæ possunt ad illam conferre: possit autem in nostro casu gratia propter actum meritorium de congruo collata habere se ut conditio, seu ut forma constituens personam, quæ actum elicit, in eodem ordine cum ulteriori præmio, seu primo gradu gloriæ, atque ita facere, ut ejus actui ex parte operantis jam nihil desit, ad rationem meriti condigni respectu primi gradus gloriæ, cui, quantum est de se, supponitur proportionatus.

posito adæquato ejus valore. Per illud tamen redditur non magis sed perfectiùs meritoriùs respectu ulterioris præmii modum decreti.

Hinc licet gratia dignificans operantem & ejus opera, possit etiam extensive augere valorem actus, à quo non dependet per modum præmii, non potest tamen augère valorem actus, cui datur ut præmium.

671. Quare cùm duo actus boni v. g. quorum unus est charitatis alter obedientiæ, à justo eliciuntur, eodem instanti dignificant se mutuò in ordine ad majus præmium per gratiæ augmentum, quod singuli addunt independenter ab invicem: non verò secundum illam gratiæ partem, quam unus super addit quatenus dignificatus ab altero, alioqui enim augerent se in infinitum.

Gratia non potest extensive augere valorem actus cujus est præmium, potest alterius actus sibi coexistentis.

672. Multò minùs potest primum opus bonum, quod baptizatus in infantia exercet, ubi pervenit ad usum rationis, esse meritorium primæ gloriæ, respondentis gratiæ baptismali (ut volunt Valen. Tan. & alii) quia opus tempore posterius prima justificatione condigne meretur novum gradum gloriæ, distinctum à prima gloria, tanquam præmium sibi adæquatum, ad hoc enim nulla ei deest

Primum opus bonum Baptizati in infantia non meretur primum gradum gloriæ.

conditio ex requisitis sup. n. 628. ac proinde eius valor non potest applicari ad merendum primam gloriam priùs tempore debitam, & non novum gloriæ gradum sibi adæquatum: hoc enim cederet in damnum operantis, qui sic privaretur fructu sui operis contra Scripturas & Trid. sup. n. 662. 663. neque etiam ad merendum istam gloriam, & simul alium gradum sibi adæquatum, quia sic præmium excederet meritum.

Vnde quidam adulti aliquid gloriæ accipiunt non ex suis meritis.

673. Hinc quidam ex adultis accipiunt aliquam partem gloriæ suæ, nempe primam, non ex suis meritis, ut docent Suar. Zum. Ovied. Ripal. Quod non repugnat Scripturæ ad Rom. 2. *reddet unicuique secundùm opera eius*. 1. Cor. 3. v. 8. Apoc. 22. v. 12. istæ enim Scripturæ uti & Trid. sup n. 662. 663. solum significant quod in retributione vitæ æternæ, habenda sit ratio operum quæ quisque fecerit, non verò quòd nulli adulto conferenda sit, nisi ex propriis eius meritis de condigno: cuius falsitas patet in eo, qui præsupposita intentione sufficienti & attritione in somno aut amentia per baptismum primò justificatur & statim moritur, item, in eo, qui in eadem hypothesi primò justificatur per martyrium: in talibus enim attritio, cùm physicè desierit, non potest per justificationem consequentem, constitui in esse meriti condigni: neque dici possunt casus illi impossibiles de lege ordinaria, cum nulla sit ratio id asserendi. Quare immerito Alvares l. 7. de aux. c. 66. n. 5. censet hanc nostram opinionem esse plusquam falsam.

Actus disponens ad 1. gratiam non meretur 1. gloriam, sed ejus augmentum 2. instanti quo continuatur.

674 Bellarminus, Hurtado, & Oviedus docent ultimam dispositionem ad primam gratiam mereri primam gloriam de condigno, sed non 1. instanti quo elicitur, sed 2. quo continuatur. Verum hoc dici nequit. 1. quia pro eo instanti meretur augmentum gratiæ & gloriæ suo valori adæquatum. 2. quia iste actus ut continuatus præsupponit 1. gradum gloriæ ut debitum pro priori temporis titulo hæreditatis & meriti congrui: unde cùm de lege, seu providentia ordinaria, Deus novis meritis & peccatis decernat nova præmia & supplicia abantecedeu-

cedenter debitis distincta, ut fusè probat Ripalda to 2. disp. 85. sec. 1. non potest rationabiliter, absque speciali fundamento dici, quod iste actus ut continuatus mereatur 1. gloriam.

675. Condignitas meriti de condigno non est perfecta, & absoluta æqualitas valoris meriti cum præmio; quandoquidem beatitudo, quæ (ex Gen. 15. *ego sum merces tua magna nimis*) est præmium, sit ipse Deus; & formalis, sit Dei possessio per cognitionem & charitatem perfectam, quibus utpote infinitis partim absolutè partim secundùm quid, nullum puræ creaturæ meritum æquari potest: sed est quædam æqualitas proportionis & virtutis, secundùm quam justus, per gratiam in Filium Dei adoptatus, morali judicio censetur propter actus supernaturales in Dei obsequium elicitos tali præmio dignus: sicut in humanis vir insigni scientia, probitate ac prudentia præditus, qui magna Ecclesiæ præstitit obsequia, censetur dignus Episcopatu, quamvis dignitas Episcopalis superet omnem personæ aptitudinem, ejusque obsequiorum valorem, quippe quæ nullo est pretio aut obsequio comparabilis.

Condignitas meriti non est perfecta æqualitas valoris cum valore præmii in se infiniti, sed est æqualitas proportionis, morali judicio justum reddens dignum tali præmio.

Vnde vita æterna rectè dicitur gratia pro gratia juxta illud Ioan. 1. v. 16. *de plenitudine eius omnes accepimus & gratiam per gratia*: nempe gratiam mercedis pro gratia meritorum, seu gratiam perfectæ charitatis patriæ, pro gratia imperfectæ charitatis viæ, ut exponit Aug Epist. 105. & l. de gra. & lib. arbit. c. 9. hoc sensu gratia est semen gloriæ ex illo Ioan. 1 3. *semen Dei manet in eo*.

676. Deus remunerat supra condignum prob. 1. ex Script. Matth. 5. *gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. & Luc. 6. *mensuram bonam & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum* 2. ex P. Fulgentio l. 1. ad Monimum c. 10. *gratia autem etiam ipsa* nempe vita æterna *non iniustè dicitur, quia non solùm donis suis Deus dona sua reddit, sed quia tantùm etiam ibi gratia divina retributionis exuberat: ut incomparabiliter meritum, quantumvis bona*

Deus remunerat supra condignum, sic ut præmium non habeat rationem mercedis puræ, sed dono gratuito permixta.

bonæ & ex Deo data humanæ voluntatis atque operationis excedat, Basil. in Psal. 114. *requies æterna non secundùm operum debitum, ac meritum retribuitur, sed juxta magnificentiam Dei his, qui ipsum speraverunt, exhibetur.*

Confir. quia hæc 14. propositio Bajana: *opera bona justorum non accipient in die judicii ampliorem mercedem, quàm justo Dei judicio mereantur accipere*: à duobus Pontificibus est damnata.

627. His non obstantibus, justi meritum habet condignitatem sup. explicatam cum præmio ut præmio, seu ut habente rationem mercedis strictè, licet non cum præmio, qua parte non habet rationem mercedis strictè, sed potiùs doni gratuiti ex præmiantis liberalitate superadditi.

Similiter pœnæ infligitur infra condignum, juxta Chrysost. & alios.

Probabile est Deum ex sua benignitate & clementia malis operibus reddere pœnam infra condignum: ita enim sentiunt varii Theologi apud Bell. de justif. l. 5. c. 19. quibus favet Chrysost. hom. 37. in Gen. Hoc tamen non est ita certum, cùm Script. & PP. id non nisi obscure significent, & Aug. in Psal. 76. istam sententiam solùm tolleret, non probet.

Licet ponere fiduciam de salute in operibus gratiæ non naturæ.

Non licet homini ponere aliquam de sua salute fiduciam (quæ juxta S. Th. est spes confirmata & perfecta) in bonis operibus factis per solas naturæ vires: quia hoc includit formaliter aut præsuppositive eorum Pelagianorum de naturæ operibus ad salutem sufficientibus, aut saltem conducentibus: licet tamen (quamvis non expediat propter incertitudinem justitiæ propriæ & periculum inanis gloriæ) collocare fiduciam in bonis operibus ex Dei gratia profectis. Prob. 1. ex Tob. 4. *fiducia magna erit coram summo Deo, eleemosyna omnibus facientibus eam* 3. ex PP. Cypria. serm. de eleemosyna: *salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salutare præsidium*. Ambr. Aug. & aliis PP ac DD. apud Bell. l. 5. de justifi. c. 7. cont. Calv. aliosque recentiores hæreticos. Principaliter tamen fidendum est in Dei bonitate nostram malitiam infinities superante, & in Christi meritis nostra de-

demerita infinite excedentibus, & quidem consultiùs in illis tantùm.

628. Meritum augent omnes illæ conditiones, quæ augent bonitatem moralem actuum nostrorum quales sunt 1. excellentia actus ex sua specie, seu ex objecto, 2. circumstantiæ ad ejus bonitatem conferentes, 3. major libertas, & major perfectio voluntarii penes majorem intensionem aut firmitatem actus, 4. difficultas orta ex objecto, ex impedimento extrinseco, & ex debilitate subjecti, ipsi non voluntaria, 5. duratio ut contra Ban. tenent Suar. & communius & rationabiliùs; cùm videatur per se notum quod actus sit, cæteris paribus, eò laudabilior, quo diutius durat, 6. juxta Valent. Suar. Mald. contra Medin. Vasq. Ariag. etiam major sanctitas operantis, quæ licet non habeat se antecedenter ad omnia bona opera justi, sicut sanctitas personalis Christi ad omnia ejus opera, sed solùm concomitanter, videtur tamen ex amicitiæ legibus ac decentia, sui subjecti opera magis dignificare pro quo V. Lugo disp. 6. de Incar. 7. juxta Cajet. Suar. Granad. contra Vasq. unio moralis, qua justi conjunguntur Christo tanquam membra viva suo capiti.

Quæ augent bonitatem moralem actus etiam augent meritum, ut intensio duratio &c.

Dices: si duratio seu continuatio actus meritorii augeat ejus meritum, sequitur meritum actus una hora durantis esse infinitum: prob. sequela, quia actus meritorius elici potest in instanti, eique sic elicito debitus est certus ac determinatus gloriæ gradus; ergo si duret una hora ei debebuntur infiniti gloriæ gradus, seu infinitæ partes graduales æquales uni certæ, ei nempe, quæ illi deberetur, si solùm extitisset, uno instanti, quandoquidem in quacumque parte proportionali istius horæ augeatur ejus meritum, & præmium debitum ratione istius augmenti in quacumque parte, seu morula istius horæ, etiam minori ac minori in infinitum, cæteris paribus, non possit esse minus, quàm debitum meritò instantaneo; cum enim instanti semper major sit quælibet pars proportionalis, meritum actus coexistantis cuilibet parti proportionali semper debet (in nostra hypothesi) esse majus aut saltem

Meritum unius horæ non constat infinitis partibus æqualibus merito instantaneos

non

non minus, quàm existentis unico instanti.

R. N. sequel. ad cujus probationem, Dico 1. istam difficultatem, supposita compositione continui ex partibus in infinitum divisibilibus, occurrere variis in materiis, ut in intensione actus per horam, aliisque similibus, & variè solvi, licet fatendum sit non videri perfecte solubilem in ista hypothesi.

1. quia repugnant indivisibilia metaphysica.

2. Totam vim istius calculationis evanescere in his & similibus, si in continuo nulla admittantur indivisibilia mathematica, & negetur possibilitas actionis instantaneæ, & consequenter meriti instantanei: aut certe dicatur (quod hodie est valde probabile) continuum non componi ex partibus in infinitum divisibilibus; sed ex punctis physicis, quoad occupationem loci virtualiter divisibilibus, numero finitis.

2. quia continuum probabiliter componitur ex finitis indivisibilibus physicis.

3. Denique, quia in duratione actus non reperitur eadem ratio libertatis, neque novus quasi conatus, & applicatio potentiæ, sed ejusdem continuatio, habens se ut circumstantia ipsius actus, quæ proinde non est tam difficilis, adeoque nec tanti valoris, quanti est ipsa prima determinatio, ac productio actus: unde deveniri potest ad tam brevem morulam durationis, in qua meritum minus sit, quàm in prima productione actus etiam instantanea: sic ut proinde, ex continuatione actus non sequatur incrementum meriti per infinitas partes æquales uni certæ, sed solùm per proportionales in infinitum decrescentes, cujusmodi partibus infinitis constat quodlibet continuum Aristotelicum, quamvis magnitudine finitum.

3. quia continuatio actus non est tam difficilis, adeoque nec tam meritoria, quam 1. productio.

F I N I S.

S Y-

1

SYNOPSIS SYNOPSEOS
SEU
INDEX COMPENDIO

Exhibens omnes assertiones, probationes, & solutiones, obiectiones, quæ fusius explicantur in hac secundâ parte Synopsis cursus Theologici.

DE BEATITVDINE, ACTIBUS HUMANIS, LEGIBUS, GRATIA ET MERITO.

CAPVT PRIMVM.

Beatitudo, voluntarium, liberum, intentio, electio, imperium.

§. I.

Beatitudinis essentia in Visione & fruitione sita. pag. 1.

FINIS ultimus generalis seu formalis est bonum plenè satiativum appetitus, particularis seu materialis est res habens bonitatem plenè satiativam sc. Deus. 1

Finem ultim. generalem homo in omnibus intendit interpretativè, non formaliter, cùm sæpe de eo nihil cogitet. 1. 2

Peccans mortaliter interpretativè statuit ultimum finem in creatura, cujus bonum præfert bono Dei ejusque amicitiæ: non peccans venialiter, nisi secundùm quid. 2

Beatorum supernaturalis beatitudo formalis non est unio physica Dei cum anima; neque transformatio animæ in Deum, quæ est impossibilis. Locutiones mysticorum intelligendæ sunt de transformatione morali, per conformitatem perfectissimam cum divina voluntate. 2

Non est etiam habitus; sed vitalis operatio beati, qua homo Deum possidet, & seipsum beat, sicut se justificat, sc. minùs principaliter. 3

Est optima in ratione possessionis satiativæ, non in ratione entis supernaturalis, cum ea sit præstantior unio Hypostatica. 3

Consistit in visione & fruitione Dei per amorem amicitiæ perfectissimum: Script. enim & PP. utrique actui tribuunt rationem beatitudinis. Idem docet Benedictus XII. non tamen definit, ut rectè Suarez contra Vegam. 3. 4

Hi duo actus requiruntur ad possessionem Dei sub ratione veri & boni perfectè satiativam, in qua sita est beatitudo formalis. 4

Per visionem Deus sistitur Beato, ita præsens, ut ex eo percipere possit Beatus omne commodum ab eo perceptibile, quod non præstat visio boni creati, & ideò non est ejus possessio. 4 5

Vna pars essentiæ est subinde prior altera ut in composito physico materia

teria est prior forma, similiter hic visio est prior fruitione. 5
VISIO est tota beatitudo partim formaliter in ratione assecutionis, partim radicaliter, quatenus ex ea necessario sequitur amor fruitiuus. Hoc sensu explicari possunt Script. Aug. aliique PP. imò & S. Th. 5
Si Beatitudo spectetur in genere moris consistit principaliter in amore secus si in genere naturæ, seu assecutionis objecti perfecte satiativi. 5
VISIO essentiæ sine personis bearet simpliciter (licet non omnino complete) quia esset boni simpliciter infiniti possessio, quæ etiam intensive & extensive inadæquata sufficit ad satiandum. 6
Modo per seipsam certificet de ejus existentia, quod non faceret si esset similis nostræ visioni corporeæ, quæ ab exercita objecti existentia non dependet essentialiter. 6
VISIO Beatifica est necessaria, ac perpetua, & quidem connaturaliter, si spectetur in esse naturæ essentialiter, si in esse beatitudinis formalis: quia sine perpetuitate, & quidem cognita, non esset perfecte satiativa, ejus tamen cognitio non est essentialis. 6.7
VISIO reflexa suæ perpetuitatis est essentialiter indestruibilis, cùm sit essentialiter vera. 7

§. II.

Visio Dei necessitat ad Dei amorem, & causat impeccabilitatem. pag. 7.

VISIO Dei necessitat ad ejus amorem quoad specificationem, & quoad exercitium, quia illum repræsentat sub ratione boni puri ad sui amorem infinite moventis, & hac virtute motiva omnem possibilem creaturæ resistentiam infinite superantis. 7.8
Videns Deum non potest apprehendere ullam rationem boni in cessatione ab ejus amore, ergo nec eam velle formaliter, adeoque nec interpretative, Aug. 8
BEATI sunt impeccabiles, est de fide ex Scrip. 1. Pet. 1. ubi Beatitudo dicitur *hæreditas incorruptibilis*, ita omnes contra Origenem. 8
Hæc impeccabilitas oritur immediate ex amore beatifico, mediate ex ipsa Dei visione Beatos ad perfectissimum Dei amorem necessitante. 8
POTENTIA peccandi in sensu diviso non stat cum visione prout de facto datur; staret, si data fuisset ut in sui conservatione dependens ab aliquo actu libero Beatis imperato sub peccato: tunc enim visio semper esset posterior isto actu, cujus proinde libertati nihil posset officere. 8.9
Vnde in ista hypothesi esset in Beatis potentia peccandi antecedens cum impotentia consequentia. 9.10
VISIO stare nequit cum ullo mortali, etiam habituali imo nec cum ullo veniali; quia est participatio divinitatis perfectissima, adeoque terminus divinæ dilectionis ad perfectissimam Dei amicitiam elevantis, quod non convenit amori etiam Beatifico, quia amor de se est conversio creaturæ ad Deum, non Dei ad creaturam 10
Vnica est forma sanctificans, sc. gratia habitualis, de lege ordinaria, non absolute. 10

§. III.

Voluntarium positivum & negativum. pag. 10.

VOLVNTARIVM late est ab appetitu, cum cognitione; stricte ab appetitu rationali, subinde confunditur cum libero à Scrip. Aug. S. Th. aliisque PP. 10.11

Volun-

Voluntarium directum est à voluntate ut agente, indirectum à voluntate ut non agente, cùm possit agere; vel volitum in causa, aut interpretative. 11

AD VOLVNTARIVM negativum non requiritur actus voluntatis, unde physice loquendo dari potest pura omissio libera, ad quam sufficit actum non poni à voluntate potente illum ponere. 11

Nec plus requiritur ut, supposita obligatione actus, omissio sit peccaminosa. 12

Moraliter tamen non potest dari pura omissio liberæ sine aliquo actu eam causante, vel occasionante. 12

Voluntas purè omittens habet negationem actus, à qua præscindit in statu indifferentiæ, in quo est non volens præcisive, non negative. 12

Potest omissio ex non libera fieri libera per mutationem in solis prærequisitis, non in voluntate. 13

Voluntas ad puram omissionem non movetur ullo motivo proprie, sed solùm improprie & negative. 13

Ad eam tamen prærequiritur cognitio motivi avocantis ab actu, sine qua haberi nequit indifferentia judicii; adeoque nec æquilibrium voluntatis. 13

Plura motiva ad omissionem simul proposita æqualiter ad eam concurrunt, quamvis aliqua inter se pugnent, & Deus videat voluntatem non omissuram, si hoc vel illud solum proponeretur. 13.14

Ad omissionem liberam requiritur potestas ad actum; sine hac enim non esset à voluntate non agente cùm possit agere: unde omnis omissio voluntaria est libera, & ad eam requiritur aliquis actus intellectus objectum proponens sub indifferentia, licet non actus voluntatis. 14

Hinc omissio peccaminosa ex ignorantia vincibili supponit cognitionem confusam obligationis agendi, quæ tamen obligatio non est necessaria ad omissionem voluntariam; sed solùm ad peccaminosam; de qua S. Th. 14.15

Vnde, seclusa obligatione actus oppositi, omissio est indifferens ad bonitatem & malitiam. 15

Vt effectus ex omissione secutus sit voluntarius, requiritur aliqua ejus cognitio, non obligatio eum impediendi, si sequatur per se; secus si per accidens, ut recte S. Th. Quia alioqui talis effectus non esset moraliter connexus cum omissione & omittente, ut ejus causa. 15.16

Hinc peccata non sunt voluntaria Deo omittenti illa impedire, nequidem indirecte & permissive. 16

Obligatio impediendi effectum, in eo causat rationem voluntarii indirecte, faciendo ut habeat connexionem moralem cum non impediente à quo debebat & velut exigebat impediri ratione cujus connexionis prudenti judicio effectus tribui potest non impedienti ut ejus causæ. 16.17

Ea obligatione seclusa habetur connexio in genere non impedientis, non verò aliquo modo causantis, ut ad voluntarium requiritur. 17

Id ex quo aliud sequitur per accidens non est ejus causa; causæ enim essentiale est per se influere. 17

Effectus ex omissione libera per accidens secutus adhuc esset vi suæ causæ, quamvis non esset omissio libera, nec potestas illum impediendi, imo nec ipse omittens impedire, ut patet exemplo Angeli n.22 17.18

Omittens cum prævisione effectus secuturi illum permittit, non vult: unde

unde non est ipsi libet, cùm non sit ab ejus voluntate, est tamen in ejus potestate ut non sit, non proprie ut sit. 18

Adeoque est in actu 1. liber ad effectus permissionem & impeditionem, non ad ejus positionem & non positionem. 18

Libertas immediata, seu respectu actionis propriæ, est saltem ordinariè, ad actionem & non actionem; mediata verò, seu respectu actionis alienæ, est subinde solùm ad non actionem, & ad actionem permittendam, non ad causandam; ut patet in Deo respectu appetitus innati; Coactum verò respectu peccati. 18.19

Dari potest libertas ad non actionem sine libertate ad actionem, si ad hanc tibi negatur concursus casu quo eam velis. 19

Effectus eum non impediendi subinde est volitus, non voluntarius; nisi impropriè & permissivè, qualiter mors fuit voluntaria Christo, & martyribus, qui non fugerunt cum possent. 19

Violentum est ab extrinseco, resistente passo, dicitur etiam respectu solius eliciti. 20

Necessarium dicitur respectu principii carentis indifferentia antecedente: in voluntarium respectu appetitus eliciti vel contrarii, vel non conformis. 20

Voluntas non potest propriè pati violentiam quoad actus à se elicitos; sunt enim voluntarii eo ipso, quo sunt à voluntate eliciti potest impropriè, imò & propriè quoad cessationem ab actu, sed à solo Deo. Item quoad actus imperatos materialiter, id est potentiarum, quibus solet imperare: non tamen quoad motum vitalem potentiæ motivæ, nisi à Deo. 20.21

Quòd fit ex metu, est voluntarium absolutè, & ordinariè in voluntarium secundum quid, ut jactura mercium metu naufragii; non semper, ut patet in efficaci fuga peccati ex metu gehennæ, unde metus minuit quidem peccatum, non tollit. 21

Concupiscentia per se loquendo causat voluntarium simpliciter, non involuntarium secuudùmquid, nisi per accidens r ut quando reluctatur conscientia: ratio est, quòd non movet ad minus malum studio vitandi majoris sicut metus; sed ad bonum delectabile, ad quod voluntas de se habet propensionem. 22

Unde auget voluntarium, licet minuat liberum, quatenus, augendo voluntatis inclinationem, minuit indifferentiam, ut rectè S. Th. 22

Auget cognitionem in ordine ad voluntarium, minuit in ordine ad liberum, faciendo ut minùs considerentur rationes à cõcupito avertentes. 23

Quod fit ex concupiscentia quæ est voluntati extrinseca, fit ab extrinseco mediatè, non immediatè. 23

Ignorantia antecedens non causatur à voluntate, & causat opus; concomitans neque causatur à voluntate, neque causat opus; consequens causatur à voluntate, si causet opus, est antecedens secundùm quid, si non causet; est concomitans secundùm quid. 23.24

IGNORANTIA affectata est studiose quæsita, crassa est orta ex gravi negligentia; non crassa ex levi; invincibilis & justa est, quæ moraliter vitari nequit, vincibilis contra. 24

Ignorantia absolute antecedens causat involuntarium simpliciter quoad circumstantias ignoratas, concomitans non causat voluntarium nec involuntarium positive, sed involuntarium privative, seu non voluntarium in subjecto capaci, consequens causat voluntarium simpliciter, & subin-

§. IV.

Liberum arbitrium in natura lapsa. pag. 30.

libertate indifferentiæ, non in sola essentiali seu à coactione, ut vult Jans. cujus Bajana hæc doctrina damnata est ut hæretica ab Innoc. X. & Alexan. VII. 31. 32

Estque apertè contraria Aug. qui iniquitatis, & insaniæ eos arguit, qui docent peccari in eo quod vitari non potest: quia, inquit, sine peccato ceditur ei, cui resisti non potest. 32

Quædam ex necessitate facta dicit esse mala, sc. materialiter, non formaliter. Soli primo homini in statu naturæ integræ tribuit libertatem à resistentia partis inferioris, non libertatem indifferentiæ. 33

Per peccatum quod simul est pœna peccati, cui negat libertatem; intelligit peccatum originale, non nostra, propter quæ, inquit, non essemus objurgabiles, si non fierent liberè. 33

Unde Aug. 2. de Civ. c.10 solùm vult necessitatem consequentem non officere libertati, quod declarat exemplo vitæ Dei, id est scientiæ & volitionis divinæ, liberæ respectu contingentium, quamvis sit necessaria respectu necessariorum. Quare necessitatus quoad aliqua objecta, potest esse liber, quoad alia. 33. 34

Aug. Damasc. Bern. aliique PP. sæpe liberum sumunt latè pro voluntario, & voluntarium strictè pro libero, & sæpissimè voluntatem pro libera, & naturæ opposita. Dum ergo dicunt, *ubi voluntas, ibi libertas*, non volunt omnem volitionem esse liberam. 34

Cùm Aug. Bern. S. Th dicunt libertati solam coactionem repugnare, coactionem accipiunt latè pro necessitate, non strictè pro violentia. 35

Juxta Aug. nobis liberum est, quod fit cum volumus sc. ex determinatione propria, non ex aliena. Similiter quod quis potest, si velit, est ipsi liberum, si sit in ejus potestate illud efficaciter velle ex propria determinatione, alias non. 35. 36

Peccans cum delectatione ex Aug. peccat magis liberè quàm peccans ex metu vim moralem inferente. 36

Juxta Aug. voluntas non potens peccare liberior est quàm potens peccare, sc. libertate à peccato; non tamen morali fundativa laudis & vituperii. 36

A veritate & Aug. mente aberrat Jans. dum ait voluntatem necessariò sequi delectationem victricem, quæ multùm differt à physica prædeterminatione juxta suos AA. non necessitante. 37

§. V

Ad libertatem requiritur potentia agendi & non agendi in sensu composito. pag. 38.

POTENTIA libera est, quæ, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere & non agere, hæc definitio communis PP. S.Th. aliorumque DD. intelligenda est in hoc sensu composito, quòd cum prærequisitis componi possit tam non actio, quàm actio. 38

Hoc cum Concil. Senonensi & S. Thom. indicat Trid. dum ait nos posse inspirationem abiicere, ei dissentire, resistere, sc. resistentia formali supponente existentiam excitationis; alioqui non repugnaret Luth. Calv. &c. qui nunquam negarunt potentiam resistendi in sensu diviso, seu materialiter. 38. 39

Libertas & dominium actus requirit posse agere & non agere in sensu composito: cum hoc requirat potentia ad utrumlibet proxima & expedita, ad perfectum actus dominium necessaria. 39

Si

Si decretum creandi mundum compleatur in esse liberi per ipsam creationem, non est prærequisitum; si non, hæc non est formaliter libera. 40

Concursus in actu 1 stat cum non actione, adeoque cum libertate; in actu 2. est ipsa actio & determinatio voluntatis; ac proinde non est unum ex prærequisitis unde voluntatis; ac proinde non est unum ex prærequisitis unde voluntas propriè determinatur agendo, non ad agendum per aliquid actioni prævium. 40

Prædefinitio scientiæ mediæ innixa, qualem admittimus, est in potestate voluntatis, cujus consensum conditionatum præsupponit, adeoque ejus libertatem non tollit, uti nec imperium intellectus, quod non requiritur ad omnem actum voluntatis & ejus dominio subest. 40

Gratia efficax materialiter stat cum non actu; formaliter ut efficax non est absolutè antecedens; sed consequens liberum voluntatis consensum conditionatè prævisum, ac proinde ejus libertati nihil efficiens. 41

Similiter habitus claritatis, eo instanti, quo urget præceptum amandi Deum, non est omninò antecedens, sed in potestate voluntatis, quovis instanti potentis gratiam sanctificantem cum habituali charitate ei annexa peccando abiicere. Unde nihil officit libertati; quamvis eo instanti stare non possit cum non actu. 41.42

Lugo tamen & Ovied. censent eo casu tolli libertatem, quod verum est, si nullo modo sit in potestate voluntatis, ut non est prædeterminatio physica. 42

Gratia sanctificans est in potestate justi, quippe qui potest quolibet instanti peccando eam abiicere, nec præ requiritur ad meritum condignum materialiter, sed solum ad condignum formaliter, sub qua ratione non est nobis immediatè liberum. 43

Justificatio est nobis libera in sua causa; uti & prædestinatio dependens à meritis, quæ insuper solùm influit per media indifferentia, & consequenter libertati nihil obstantia. 43

Sensus modalium divisus, aut compositus, petendus est ex subjecta materia, non ex forma verborum, ut perperam contendit Alvarez. 43

Hæc propositio, quod sequitur ex absolute inimpedibili est inimpedibile, vera est, nec fuit damnata in de Rivo. 44

Libertas formalis est indifferentia voluntatis, nō judicii, cum hac enim stat necessitas; ut patet in casu, quo Deus, ea permanente, negaret concursum. Unde non negatur à Luth. Calv. aliisque hostibus libertatis. 44

Voluntas & consensus ex Aug. & Bern. non sunt sine libertate saltem a coactione. 45

INDIFFERENTIA judicii est ex S. Th radix libertatis, cum qua componi potest necessitas orta ex defectu indifferentiæ tenentis se ex parte solius voluntatis, unde quamvis objectum non proponatur ut necessariò, amabile, potest amari necessariò, necessitate orta non ex parte objecti ut ab intellectu propositi, sed orta ex parte voluntatis ab alio determinatæ ad unum. 45

Libertas est bonum, adeoque ex integra causa, necessitas malum ac proinde ex quolibet defectu indifferentiæ, sive ex parte judicii, sive ex parte voluntatis. 45

Cùm voluntas prælucente indifferentia judicii, agit ex determinatione alterius, non operatur ex indifferentia judicii, sed cum illa concomitanter se habente. 46

§. VI.

Libertas potentiæ & actus. pag. 46.

LIBERTAS potentiæ in actu 1. remoto est sola voluntas, in actu 1. proximo est voluntas cum prærequisitis. 46

Libertas actus imperati est denominatio extrinseca à libertate imperantis, eliciti vero est denominatio extrinseca à modo procedendi à voluntate. 47

Vnde libertas formalis est accidentalis actui, ac proinde ab eo entitative invariato potest separari. Aptitudinalis seu in actu 1. remoto est essentialis potentiæ, & actui, simile est in vitalitate. 47

Actus liber non est aliquid simplex, sed complexe significabile plura diversimode importans, quod in eo directe Deo placet vel displicet, est ipse actus, non secundùm se; sed ut substans variis connotatis, positivis, negativis &c. è quibus varia sunt ad bonum & malum indifferentia, ut libertas. 47. 48

Libertas formalis non est relatio transcendentalis, sed prædicamentalis adeoque accidentalis. 48

§. VII.

Intentio, Electio, Imperium. pag. 48.

AMOR medii ut sic attingit ipsum finem, cujus bonitate in esse obiectivo ita informatur utilitas medii ut cum ea constet motivum totale appetitionis medii ut sic. Probabile est tamen oppositum, quod nempe amor medii ut sic non attingat finem, sed solùm præsupponat amatum per præviam finis intentionem. 48. 49

Potest unico actu simul appeti medium & finis, quando finis ab initio proponitur obtinendus per certum medium: unde potest idem actus simul diversis respectu esse volitio & nolitio, ut est volitio pœnitentiæ ex odio peccati. 49

Intentio realiter causat electionem, quando hæc ab illa realiter distinguitur; solùm virtualiter & secundùm rationem, quando sunt realiter idem actus: nunquam tamen efficientia physica, cum moralis abunde sufficiat. 49

Licet electio & intentio habeant eadem obiecta, differunt tamen specie propter diversum modum tendendi, quia quod intentio attingit directe, electio attingit indirecte & contra. 49. 50

Voluntas potest è mediis æqualibus eligere alterutrum, imo & minùs bonum, quia hoc est unde, & utilius non est necessarium. Ratio est quòd utrumque requiratur ad libertatem, cùm enim motiva in utramque partem semper proponantur ut æqualia vel ut inæqualia, semper esset vel suspensa in casu æqualitatis, vel necessitata ad unum in casu inæqualitatis. 50

Hinc volens salvari non necessariò eligit medium securius, alioqui ejus electio non esset libera, & consequenter nec meritoria. 50

Voluntas sive creata, sive increata necessitata ad melius non esset libera. Vnde certum est voluntatem divinam posse ex bonis creatis æqualibus eligere utrumlibet, & ex inæqualibus minùs bonum. 50

In motibus 1. primis voluntas rapitur non à propositione obiecti sub ratione boni tantùm, sed ab appetitu sensitivo. 51

Sola propositio obiecti ut indifferentis, id est, nec ut boni, nec ut mali, (ut si quis dixerit ama id, quod cogito) voluntatem suspendit 51

Volun-

Voluntas potest eligere minus bonum specificative, non reduplicative, sic ut minoritas boni sit formale motivum electionis: sic enim ferretur in malum qua tale. 51. 52

Electio minoris boni fit propter rationem tenentem se ex parte potentiæ v. g. ratione exercitii libertatis, seu quia ita placet. Vnde per hoc non præfertur minus bonum majori signate sed solùm exercite. 52

Voluntas est rationalis, quia ei prælucet ratio; non eò quòd semper sequatur rectam rationem: unde electio (juxta Arist. & Damasc.) est melioris, si sit recta & prudens, qualis potest non esse. 52

EFFICAX intentio finis determinat ad electionem unici medii, propositi ut hic & nunc necessarii, quo non obstante electio remanet libera, tum denominative, tum quoad circumstantias non necessarias ad finem, non quoad substantiam actus, cùm ut sic, sit necessaria ex suppositione antecedente, & non procedat à voluntate immediate ante indifferenti. 53. 54

Quia tamen est à potentia eo instanti libera, à Suar. dicitur formaliter libera quoad exercitium, ut re ipsa est regulariter: quia ordinariè intentio non est de fine hic & nunc obtinendo; & medii exequutio non proponitur ut necessaria hic & nunc: unde electio potest non fieri eo instanti, quo fit, & etiam sequentibus: quia pro illis cessare potest intentio; est tamen absolute necessaria quoad specificationem. 54. 55

Si necessitas executionis hujus medii pro hic & nunc, proponatur priùs saltem natura quàm eliciatur intentio, voluntas unico actu formaliter libero volet finem & medium. Potest voluntas per actum sibi liberum necessitari ex hypothesi, quod si actus inde sequens habeat objectum honestum, potest esse formaliter meritorius, quia ad rationem meriti sufficit libertas mediata in actibus per se respicientibus motivum honestum sibi proprium. 55. 56

INTENTIO non solet esse absolutè efficax ante medii cognitionem, sed habet hanc tacitam conditionem, si in medio non reperiatur nimia difficultas, aut aliqua inhonestas. Imperium monasticum est intellectus principaliter, etiam tamen voluntatis, & quidem præsuppositive. 56 57

COGNITIO respondens huic voci Fac hoc, est actus intellectus practici, sicut mentalis oratio, interrogatio & promissio, quæ secundùm suas rationes proprias non pertinent ad ullam ex tribus vulgatis operationibus mentis. 57

Hoc imperium dirigitur ad hominem & ejus potentias, quas movet ita intimando, ut eo posito non possit non sequi earum operatio. Non præterquam ad omnem volitionem, alioqui voluntas non esset formaliter libera in ulla sua operatione. 57. 58

Vt explicatur a P. F. Josepho de vita contrà prædeterminatores, non caret probabilitate, quàmvis non sit necessarium, est tamen utile. 58 59

CAPVT SECVNDVM
Bonitas, Malitia, & Conscientia.
§. I.
Bonitas & malitia in genere, ex obiecto, circumstantiis, & ex fine pag. 59.

MORALITAS est denominatio actui accidentalis, partim intrinseca, partim extrinseca, ad quam requiritur libertas & ordo ad

rationem, ut regulam morum, seu ut advertentem ad honestatem vel turpitudinem actus. 59 60

BONITAS moralis est convenientia cum recta ratione, malitia disconvenientia. Alia est objectiva, ab objecto, alia formalis ab intrinseco actui conveniens, hæc sumpta incompletè est ipsa actus tendentia, complete insuper dicit libertatem &c. 60

ACTUS internus accipit bonitatem ab objecto ut convenienter amabili vel odibili, malitiam contra ab objecto ut disconvenienter amabili, vel odibili objecta actuum internorum, quæ secundùm se sunt actus externi virtutis aut vitii ut datio eleemosynæ, habent formaliter bonitatem & malitiam moralem, alia solùm causaliter. 60

Actus versantes circa objecta de se indifferentia bonitatem aut malitiam accipiunt ex objecto formali, fine, & circumstantiis. 61

Bonitas ex objecto est prima & specifica cùm actus specificentur ab objecto, etiam in esse morali: similiter malitia. 61

Libertas est fundamentum moralitatis, indifferens ad bonitatem & malitiam. 61

UT ACTUS sit bonus debet ferri in honestatem objecti saltem confusè, cùm ab ea debeat specificari & constitui in esse actus honesti: at verò ut sit malus sufficit quod objecti malitia sit cognita & interpretativè volita; malum enim est ex quolibet defectu. 62

CIRCUMSTANTIA est affectio accidentalis actui spectato in genere moris, aliquid tamen ad bonitatem, aut malitiam conferens. Est septuplex. Convenit etiam actui interno ut duratio, intensio. 62. 63

BONITAS & malitia sunt essentiales actui in esse moris, non esse in naturæ, cùm quilibet actus entitativè invariatus fieri possit ex bono non bonus per sublationem libertatis. 64

Finis est objectum formale electionis non circumstantia, nisi electio sumatur præcisè ut volitio medii. 64

ELECTIO mali medii ad finem malum habet duplicem malitiam; & quidem specie diversam, quando finis & medium habent malitias specie diversas. Secus electio boni præcisè ut medii ad bonum finem: quia tunc electio non attingit honestatem medii. 64. 65

§. II.

Bonitas & malitia actus imperati ad imperante, interni ab externo, actus indifferens in individuo, ex bono malus & contra. pag. 65.

ACTUS imperatus regulariter retinet propriam libeetatem immediatam, cùm ordinariè imperium non sit efficax pro hic & nunc, & consequenter etiam propriam honestatem. Secus si sit absolutè efficax pro hoc præsenti instanti. 65. 66

Actus minùs perfectus potest imperare actum se perfectiorem, quia actus imperans non debet continere perfectionem actus imperati cum non sit principium ejus productivum, sed applicativum virtutis illius productivæ. 66

Attritio imperans efficaciter contritionem pro hic & nunc, non tollit ejus meritum; imo nec libertatem, quia eo casu actus imperans & imperatus sunt ex eadem determinatione voluntatis. 67. 68

Secus si ex prædeterminatione liberè impetrata; quia hæc est per se determinativa voluntatis, non à se, sed ab alio, ac proinde destru-

destructiva ejus indifferentiæ activæ. 69

Actus imperatus ab imperante accipit bonitatem extrinsecè & denominativè; eodem ferè modo, quo actus externus ab interno, secus imperans ab imperato, quia ille ab hoc, non dependet, sicut hic ab illo, ut ab ordinante in finem. 69. 70

Actus venialiter malus potest pro instanti, quo est, imperare actum v.g. amoris destructivum peccati mortalis, non venialis. 70

Actus in substantia supernaturalis, non potest esse venialiter malus intrinsecè, cùm sit ordinis aliquo modo divini: nec imperati ab actu venialiter malo, sic ut ex eo immediatè sequatur. 70 71

Actus externus per se nihil addit bonitatis aut malitiæ actui interno in ordine ad meritum ad demeritum coram Deo, qui ex Script. & PP. voluntatem por facto accipit & ratio est, quòd nihil addat libertatis &c. 71

Plerumque tamen auget ejus bonitatem aut malitiam per accidens, ratione majoris durationis intentionis & numericæ multiplicationis, quæ solet in ejus exercitio intervenire. 71

Sacramentum ex opere operato plus confert gratiæ quàm ejus efficax desiderium; similiter martyrium. Auget tamen, & quidem per se actus externus satisfactionem, quæ fit per pœnæ tolerantiam. 72

Dantur actus in individuo indifferentes ad meritum & demeritum; quales sunt actus moraliter boni, merè naturales: non tamen indifferentes ad bonitatem aut malitiam moralem; quia vel referuntur ad finem honestum, & boni sunt; vel non, & sic sunt otiosi & consequenter mali, siquidem otiosum est, quod caret honestate rectitudinis, vel justæ utilitatis. 72. 73

Est homini intrinseca ordinatio ad honestatem naturalem, non ad supernaturalem: ideò illam in omnibus spectare tenetur lege naturæ, non hanc. 73

Dantur actus indifferentes secundùm speciem non positivè, id est, quibus ex sua essentia conveniat indifferentia ad bonum & malum, sed præcisive, id est, de se abstrahentes à bono & malo, hoc solùm volunt PP. 74

Sententia admittens actus indifferentes in individuo est probabilis, & ad vitandum scrupulos & multiplicationem venialium in praxi consulenda. Hinc constat dari, saltem per accidens, actus indifferentes in individuo; in iis, sc. qui sententiæ hoc affirmanti se conformant. 74

Potest idem actus internus fieri de non bono, bonus formaliter, accedente sc. libertate, quæ priùs deerat. Item de bono extrinsecè, aut indifferenti, fieri malus; mutato sc. actu illum imperante de bono in malum: imò etiam de bono intrinsecè, malus per circumstantiam tenentem se ex parte solius actus, qua agnita, invariato in se objecto, actus incipiat esse malus. 75

Posita prohibitione amoris Dei, v.g. quia nocet sanitati, Deus non potest apparere ut hic & nunc convenienter amabilis. 76

§. III.

Conscientia erronea, dubia, practicè certa. pag. 75.

CONSCIENTIA est judicium de re ut hic & nunc licita, aut illicita, vel ut à nobis benè aut malè facta. Colligitur ex PP. Hinc conscientia propriè pertinet ad solum intellectum, cujus est dirigere facienda, impropriè ab Apost. tribuitur voluntati. 76. 77

Dicitur judicium practice practicum, quia versatur circa actiones in particulari, cum suis omnibus circumstantiis, easq; immediate dirigit. 77
Conscientia dividitur in veram, erroneam, laxam, Pharisaicam, certam, tutam, dubiam, probabilem & scrupulosam, vera dictat licere, quod verè licet, erronea non licere, quod licet, vel licere, quod non licet. 77
OPERANS contra conscientiam erroneam peccat: 1. quia *quod non est ex fide*, seu persuasione quod liceat, *peccatum est* ad Rom 14 2. quia faciens bonum putans esse malum interpretative vult malitiam. 78
Talis operatio est difformis regulæ proximæ actionum humanarum; quamvis sit conformis legi æternæ, adeoque materialiter bona, non tamen formaliter: quia est difformis dictamini rationis, regulæ proximæ actionum humanarum, qua dumtaxat mediante regulat lex æterna, & solum ut cognita, cujus proinde in rebus dubiis, cognitio est inquirenda ex Script. & PP. 78. 79
Operatio conformanda est conscientiæ invincibiliter erroneæ; alioqui non esset *ex fide*, adeoque esset peccatum, sic errans per accidens obligatur ad illicitum materialiter, idque vi legis æternæ generaliter vetantis ne homo agat contra suam conscientiam. 79
Conscientia vincibiliter erronea, obligat ex hypothesi, quòd non deponatur, unde sic errans constituitur in necessitate errorem deponendi, vel peccandi. 79. 80
Volitio boni, quod vincibiliter creditur malum, est mala, non tamen volitio mali, quod putatur bonum, est bona: quia malum est ex quolibet defectu &c. 80
Non licet etiam per divinam dispensationem agere contra conscientiam, quamvis errantem: quia est intrinsece malum facere id, quod judicatur malum, sic agere pertinet ad speciem & gravitatem peccati, quod erronee apprehenditur. 80. 81
Dubium, est suspensio animi non valentis se determinare ad alterutrum, dividitur in positivum & negativum, signatum & exercitum, facti & juris &c. 81
Perplexitas est apprehensio peccati in utroque extremo, quorum alterum est hic & nunc eligendum. 82
Peccatum est operari contra conscientiam practice dubiam; quia talis operatio non est *ex fide*, & est interpretativa volitio malitiæ. 82
In casu perplexitatis de alterutro, ex duobus contradictoriis æqualiter malis, hic & nunc ex necessitate eligendo, homo immediate dirigitur hoc prudenti judicio, perinde est utrum eligam, ac proinde non peccat. 82
Christus erat indifferens ad actus diversos moraliter: non ita perplexus, Christus meruit per electionem unius ex pluribus actibus æqualis valoris, quia erat indifferens ad actus essentialiter diversos in bonitate, quod ad demerendum non convenit homini casu perplexitatis. 82
In dubio practice practico tutior pars est eligenda, v. g. omittendo actionem, si in ea sit periculum peccati, non in ejus omissione, etiam in speculativo quando est vincibile; secus si sit invincibile; tunc enim stat possessio pro libertate ad obligatione. 83
Excipe casus in quibus vel jura aliter statuunt vel agitur de injuria tertii, vel possessio stat contra dubitantem, v. g. pro superiore contra inferiorem dubitantem de justitia ejus imperii. 84
AD licite operandum requiritur conscientia practice certa non quidem

dem

dem certitudine metaphysica, sæpè in rebus humanis impossibili, sed morali. 84

Quia exponere se periculo peccati formalis, quod facit dubitans an sua actio sit formaliter mala, est amare periculum, adeoque perire & formaliter peccare Eccli. 3. Confir. ex eo quod jaculans in objectum dubitans an sit homo, juxta omnes sit reus formalis homicidii. 85

QVI operatur, ex judicio tantùm probabili & formidoloso de licentia suæ actionis proximè ipsum dirigente, imprudenter agit & peccat; sicut is, qui sumit potum dubitans an sit venenum, secus: si ex tali judicio operetur solùm remote, & mediate, mediante, sc. ulteriore judicio practice moraliter certo. 85. 86

Quale judicium ex probabilibus deduci potest, non quidem immediate & proxime, sed remote & mediate; hoc modo, possum facere absque peccato formali, quod verè & simpliciter probabile est licere. atqui probabile est licere peccatori non statim pœnitere. Ergo hic & nunc id possum &c 86. 87

Vbi resolutio practica immediate infertur ex minore evidenti, & majore ei, qui illam tenet, moraliter certa. Hæc resolutio fit etiam à rudibus, saltem in actu exercito, sufficienter ad sedandos scrupulos per hoc, quod absque rationabili formidine de opposito, absolute judicent se hic & nunc non peccare. 87. 88

IN Praxi non magis licet operari ex conscientia tantùm probabili, quam ex conscientia dubia; quia operatio ex judicio tantùm probabili immediate procedens, non est *ex fide* ac proinde peccatum. 88

Probabilitas tollit formale peccatum, quatenus fundat conscientiam practice certam de licentia actionis; non aliter. Vnde deficiente ultimo dictamine practice certo, probabilitas non purgat actum à formali malitia, sicut ei non dat rationem meriti, si ei desit conditio reipsa ad meritum requisita, v. g. supernaturalitas intrinseca, quum varii probabiliter docent non requiri. 88. 89

Opinio de sufficientia conscientiæ probabilis scrupulosis est utilis & consulenda, ut non sint nimis anxii ante & post factum. 89

§. IV.

Conscientia in opinione probabili fundata & scrupulosa.

pag. 90

PROBABILE est, quod firmo nititur fundamento authoritatis, & rationis, huic, nisi sit evidens, prævalet authoritas, præsertim multorum doctrina & probitate clarorum: juxta Azor etiam paucorum. 90

Respectu rudium ad probabilitatem sufficit ordinarie authoritas parochi, qui passim habetur probus & doctus. 90

Probabilius non est semper securius; quia securius oritur ex majori recessu à periculo peccati etiam materialis, probabilius verò à fundamento firmiori. 90

Probabilitas alia est de sola honestate seu licentia actionis, alia de ejus utilitate v. g. ad valorem sacramenti, medicamenti &c. 91

Non licet sequi sententiam minùs probabilem relicta probabiliori & tutiori nisi in ea fundari possit conscientia practice certa de actionis licentia absque ullo peccati formalis periculo; alioqui operatio non esset, *ex fide*, adeoque peccatum. 91

Probabilius & tutius per se loquendo, sequendum est in dubio de valo-

valore ad Sacramentum, ad morbi curationem &c. 92

Unde minister Sacramenti tenetur uti certioribus ex parte materiæ & formæ: earum enim sufficientia non pendet à probabili DD. judicio, seu ex sola institutione Christi, ac proinde utens incertis peccat contra religionem, charitatem, & justitiam. 92

In necessitate tamen tenetur uti incertis, quia tenetur succurrere proximo eo meliori modo, quo potest, iisdem licet uti extra gravem necessitatem quando certiora deficiunt; ac præcipue, cùm sufficientia aliquo modo indirectè pendet à probabilitate opinionum, ut formalis integritas confessionis, omissis circumstantiis aggravantibus, aut peccatis dubiis ex probabili DD. sententia non necessariò confitendis. 92. 93

Valet absolutio ab habente jurisdictionem solùm probabilem, quando cum mortalibus subiiciuntur venialia, in quæ sacerdos hab t jurisdictionem: tunc enim solùm est periculum ne sola venialia absolvantur directè, absque injuria Sacramenti. 93 94

Fit autem injuria Sacramento abstractè sumpto, aut potiùs Christo ejus institutori, quando absque causa, sequendo opinionem probabilem, exponitur nullitati. 94

Medicus tenetur uti remedio certioris, quo deficiente potest uti dubio, & subinde etiam periculoso: quia melius est, incerto vitæ periculo, adhibere remedium incertum, quam nullum. 94. 95

Judex tenetur judicare secundùm jus, quod sentit esse probabilius, 1. in qq. facti 2. etiam in qq. juris. 1. quia judex constituitur ut judicet secundùm merita. 2. quia alioqui, cùm in plerisque utrimque inveniatur aliqua probabilitas, vitæ & fortunæ hominum essent in ejus arbitrio. Unde in casu paris utrimque probabilitatis debet inter litigantes rem dividere. 95

Advocatus potest tueri minùs probabile, quia utraque pars habet jus producendi suas rationes; professor tenetur ad docendum probabilius, & ad diligentiam pro veritate assequenda, alioqui esset injurius suis discipulis, iis imponendo, & ingenerando opiniones minus probabiles, & suo judicio probabiliùs falsas. 96

Ubi agitur de sola actionis licentia, & periculo peccati materialis, prudenter agit & consequenter licite, qui sequitur sententiam vere probabilem relicta tutiori, in illa fundando conscientiam practice certam, ut supr. n 78. ostensum est. 96

Probabilius est licere sequi sententiam verè probabilem, relicta probabiliori ac tutiori, quæ cùm possit esse falsa, non est regula certa, neque necessaria actionis rectæ, 1. quia hæc nostra opinio nititur athoritate longe plurimorum DD. & Episcoporum doctrina ac virtute clarissimorum. 2. quia etiam solido rationis fundamento. 97

Ex quibus patet sententias de usu probabilitatis non esse proprias Jesuitarum, esse certò probabilis, & irreprehensibiles, adeoque à Montaltio aliisque Jansenii sectatoribus injustis peti conviciis. 97. 98

Nostræ conclusiones de usu probabilium intelligi debent de verè & certò probabilibus, ex quibus facilè reduci potest dictamen practicè certum, ut Salon. 98. 99

Sequens probabile relicto probabiliori, agit quod probabilius judicat esse peccatum materialiter, ejusque periculo se exponit; sed simul certò moraliter judicando id sibi licere, ac proinde nullum esse peri-

periculum peccati formalis. 99

Jura volunt tutius eligendum in dubio propriè dicto, & in periculo peccati formalis, aut damni distincti à peccato materiali. 100

Aug. his verbis, *tene certum* &c. solùm vult pœnitentiam non esse differendam, cum incertitudine temporis, ad pœnitendum. 100

Potest fundari conscientia tuta in opinione probabili aliena, propriæ contraria: quia prudenter agit, qui suum judicium forte falsum, submittit aliorum peritorum judicio forte veriori, in eoque fundat dictamen &c. 100. 101

Vnde sic operari contra opinionem propriam, non est operari contra suam conscientiam seu dictamen, quod hic & nunc non liceat ita operari. 101

Confessarius debet absolvere pœnitentem de cœtero bene dispositum, qui tenet sententiam, vere probabilem, v. g. de restitutione suæ probabiliori sententiæ contrariam. 101

Consultus potest dare consilium juxta sententiam vere probabilem suæ contrariam, & tenetur, cum agitur de obligatione restituendi, illam indicare consulenti, quem potest remittere ad alios viros doctos se (in vere tamen probabilibus) laxiores. 101. 102

Plura de his scitu digna habentur in Apologetico Patris Honorati fabri, edito Colon. an. 1672.

Scrupulus est actualis, aut habitualis apprehensio anxia peccati ex levibus fundamentis, ubi revera non est, consistit primariò in intellectu, secundariò, sc. quoad anxietatem, in voluntate. Novem præcipuè recensentur ejus causæ, nempe complexio timida, ignorantia, occulta superbia &c. 102

Qui ex proprio aut confessarii judicio, probabiliter scit se esse scrupulosum, prudenter agit contra scrupulum, quippe qui non est conscientia, sed ejus umbra. 102 103

Scrupuli remedium præcipuum & efficacissimum est humiliter obedire confessario, cui se ex sincero Deum non offendendi desiderio submittens, non potest errare, nec peccare. 103

Timoratus, qui in mortalia externa non labitur, & interim angitur de internis, securè potest & ex prudenti confessarii consilio debet judicare se iis non consensisse, quia non est morale, ut qui ex amore Dei nunquam labitur in externa ipsi libera, internis consentiat. 103. 104

CAPVT TERTIVM.

Vitium, Peccatum actuale, omissionis & commissionis, huius formale & causa, finita peccati mortalis malitia, delectatio morosa, & legis ignorantia.

§. I.

Vitium. pag. 104.

VITIVM est habitus suo subiecto disconveniens, illudque reddens imperfectum, Physice contrariatur virtuti acquisitæ, propter contrarietatem obiectorum formalium, tendentiarum, & terminorum. 104 105

Vitium & virtus supernaturalis, non contrariantur physice, quia non sunt ejusdem ordinis & habitus supernaturalis non dat facilè, sed simpliciter posse. Vnde in recenter conversis, stant simul in gradu intens. 105. 106

Odium Dei expelit charitatem supernaturalem non physice per suam entitatem, sed demeritorie per suam malitiam, sicut cætera mortalia. 106

Omnia

Omnia vitia sunt contraria homini qua rationali, adeoque simpliciter & absolute, licet quædam non repugnent parti ejus inferiori, seu sensitivæ. 106. 107

Venialia ex objecto, qualia sunt mendacia officiosa, imminuunt virtutes acquisitas sibi oppositas, cùm generent habitus sibi proportionatos istis virtutibus contrarios. 107

§. II.

Peccatum actuale omissionis & commissionis. pag. 108.

PECCATUM est exercitium libertatis positivum aut negativum contra legem Dei. 108

Aliud est commissionis, aliud omissionis, hoc physice potest esse sine omni actu, qui sit ejus causa vel occasio: cùm ad id sufficiat voluntatem non velle, quod potest & tenetur velle. 108

Talis omissio est voluntaria interpretative, per eam voluntas suspendit exercitium libertatis positivum, quod est proprietas actus humani, non negativum & interpretativum proprium puræ omissioni, quæ potest esse demeritoria, non meritoria, quia meritum debet procedere ex motivo supernaturali, quod convenire nequit puræ omissioni. 109

Omissio actus externi est semper, cum aliquo actu externo incompossibili cum actu omisso, qui tamen subinde omissionis non est causa nec occasio. 109

Non potest moraliter esse peccatum omissionis sine actu aliquo eam causante vel occasionante, qui realiter est commissio; formaliter autem & in ratione peccati, omissio, cum qua facit unum in genere moris. 109. 110

Omissionis gravitas petitur ex præstantia actus omissi; ex facilitate præcepti, & ex fine ipsius omissionis. 110

Actus seu opus causans omissionem participat ejus malitiam, cùm vitietur circumstantia mali effectus, secus illam concomitans aut natura consequens. 110. 111

Omissio antecedenter determinata sequitur ex opere incompossibili concomitante, sequela logica, non physica, & ideo illud ab ea nihil malitiæ participat. 111

Aliud est de abjectione breviarii in mare, quæ peccatum est, non quia præsentem causat omissionem lectionis horarum antecedenter decretam, sed quia illam causat in reliquum tempus navigationis: 112

Volens incompossibile cum opere præcepto; vult ejus omissionem, si hæc non sit determinata prius natura, secus si præsupponatur determinata. Suadens malum alteri ad illud antecedenter determinato; peccat, quia afficitur ad malum, & in ejus volitione alterum firmat. 112

Quando quis ponit liberè causam futuræ omissionis peccaminosæ, tunc peccat peccato omissionis incompletæ seu præcise ut in causa volitæ; quia tunc eam vult interpretative: ita omnes contra Marsilium. 112

Quando, urgente præcepto, est in hominis potestate desistere ab opere omissionem causante, & præceptum implere; tunc ipsa omissio est formaliter peccatum, cum sit libera intrinsece eo sc. modo, quo libet esse potest actus externus. 113

Quando causa omissionis non est amplius in potestate hominis, dum fit omissio, tunc non est ullo modo libera dum exercetur, adeoque nec peccatum

catum formaliter, alioqui justus, imo & Beatus posset peccare, per effectum ex ejus mala voluntate, pridem retractata, secutum. 113.114

Cùm S Thom. nobis hic videtur adversari, explicandus est dè peccato omissionis non solùm volitæ in causa, sed completæ per actuale exercitium omissionis, alias enim consentiret Marsilio passim rejecto. 114

Omissio præcepti in somno est mala objective & materialiter, ejus volitio formaliter. 114

Propinans venenum incurrit reatum homicidii eo instanti, quo illud propinat, non pœnas nisi morte secuta. 115

§. I I I.

Formale Peccati commissionis, & Finita Peccati mortalis malitia, pag. 115

MALITIA peccati commissionis non consistit in privatione rectitudinis in actu, cujus est incapax odium Dei, saltem secundùm suam rationem specificam, secundùm quam tamen est malum; ei quidem spectato secundùm rationem genericam non repugnat rectitudo, sed hoc non sufficit, ut dicatur illius capax: alioqui brutum dici posset capax rationis eaque privatum. 115

Neque in privatione rectitudinis in potentia seu voluntate; alioqui peccatum omissionis & commissionis v. g. odium Dei, & omissio amoris Dei, urgente præcepto non differrent malitia formali, cum in utroque sit privatio ejusdem rectitudinis. 116

Deinde non est talis privatio, saltem casu quo Deus exhibeat suum concursum ad solum odium Dei, & si fit, non est formaliter libera, sed solùm denominativè ab actu ex quo resultat, adeoque non potest esse formalis malitia. 116

Consistit itaque in positiva ac libera tendentia actus in objectum modo disconvenienti; ea enim præcise posita habetur formalis malitia odii Dei. 116

Favent Chrys. Aug. aliique PP. docentes peccatum non esse substantiam, sed actum positivum, sicut claudicatio est actus, non res. 118

CVM verò dicunt esse nihil, non ens &c. loquuntur de malo absoluto id est, quod in se caret debita perfectione: non de respectivo, quod est aliquid per se alteri disconveniens, ut calor aquæ; vel de natura quæ sit per se mala quam dari negant; vel de peccato habituali, quod nihil est quasi physicè inexistens animæ, nisi privatio justitiæ; vel de actuali, quod est privatio gratiæ non formaliter, sed causaliter & consecutive, sicut est mors animæ, vel de malitia formali complete sumpta, quæ ut sic non est aliquid actus superadditum, per se causabile in genere causæ efficientis, sed solùm in genere causæ formalis per denominationem extrinsecam à voluntate moraliter deficiente, id est liberè à dictamine rectæ rationis recedente. 118.119.120

Vnde malitia ut sic non est à Deo, idque præcisè (in quocumque ponatur consistere) quia Deus non est causa moralis & determinativa actus inhonesti, qui qua talis non est imitatio ideæ nec participatio essentiæ divinæ. 120

Peccatum formaliter juxta PP. est ex nihilo; quia est à creatura defectibili, defectibilitate ipsi conveniente quatenus est ex nihilo ut termino à quo, non verò ulla ratione à Deo ut prædeterminante, ut patet ex illo Augustini: *ad Deum non pertinere ne dubites.* 121

S. Th.

S.Th. docet malum absolutum constitui negatione aut privatione; respectivum verò, quale est peccatum esse quid positivum. 121

Peccata differunt specie per repugnantiam cum præceptis specie diversis. 122

Non omnia sunt æqualia, quia non repugnant æqualiter rationi & legi à qua potest magis & minus recedi, nulla tamen sunt contemnenda ut parva, Basil. 122

Nocumentum ex peccato, saltem confusè prævisum, illud aggravat, gravitate, quam causare potest effectus per modum objecti, & gravitate odii, si sit volitum ut malum alteri ex ejus displicentia. 123

Actio, merè per accidens dans alteri occasionem nocumenti, sive temporalis sive spiritualis, non participat malitiam effectus inde secuti. 123

Inducere ad veniale ut est peccatum, est mortale, quia hoc est velle proximo malum spirituale gravius quovis malo corporali, & virtualiter velle offensam Dei, quod est grave. 124

Est de fide dari peccata mortalia quæ ex Jac. 1. *generant mortem*, & venialia, quæ in justis stant cum gratia. 124

Quæ differunt non ratione subjecti reprobi aut prædestinati, ut volunt hæretici, nec ratione decreti Dei quibusdam decernentis pœnam æternam, aliis non; sed (ut videtur manifestum in odio Dei & mendacio jocoso) ex suis intrinsecis, per hoc sc. quod mortale includat Dei ejusque amicitiæ contemptum, saltem virtualem, veniale non. 124.125

Patet ex Script. & PP. August. Greg. isti contemptui malitiam peccati mortalis tribuentibus, & nuspiam negantibus. Venialia sunt, quæ solum merentur levem Dei displicentiam, licet eo quod sint mala superioris ordinis, magis fugienda sint, quàm qualibet mala pœnæ, adeoque sint infinitæ fugibilitatis secundùm quid. 126.127

Pœna venialibus, quoad culpam, in hac vita non remissis debita, non fit æterna in damnatis: sed absque ulla redemptione seu remissione per satispassionem extinguitur ejus dignitas formalis, sita in eo, quod est peccasse & pœnam non esse remissam nec persolutam; non tamen radicalis sita in culpa, quæ damnatis non remittitur. 127.128

Damnati peccant sibi complacendo in suis peccatis, sed sine demerito, quia sunt in termino extrinseco viæ, & meriti ac demeriti. 128

Deus ex Aug. 3. contra Jul. c. 18. potest peccatores liberare sine bonis meritis, quia bonus est; non damnare innocentes sine malis meritis, quia justus est. 128

Homo non tenetur sub mortali se ad Deum ordinare per actum perfectæ charitatis, in primo ortu usus rationis: cum hunc non possit moraliter, imo nec physicè statim advertere. Vnde potest in non baptizato esse veniale cum solo originali. 129

Peccatum rationi graviter repugnans cum invincibili ignorantia Dei, non est mortale, cùm nullum Dei contemptum includat; est tamen grave gravitate Philosophica, non Theologica. 129

Malitia peccati mortalis est infinita secundùm quid cùm sit supremi ordinis in ratione malitiæ, adeoque omnes alias malitias possibiles sive culpæ, sive pœnæ etiam in infinitum crescentes indivisibiliter excedat & eminenter contineat, illas tamen non excedit divisibiliter, nec continet per æquivalentiam formalem. 129

Non est tamen infinita simpliciter, quia quolibet peccato potest dari gravius,

gravius, infinito autem non potest dari majus. 129 130

Crescit quidem eadem proportione, qua dignitas personæ offensæ, si hæc sit cognita adæquate; secus si, ut hic, solum sit cognita inadæquate. 130

Pœna æterna non est simpliciter infinita, quia potest dari major, nempe quoad intensionem: hinc etiam beatitudo Sanctorum non est infinita, licet sit æterna. Pœna damni est privatio boni infiniti, sed solùm finitè possidendi, adeoque finita. 130

Nulla pœna quamvis crescens in infinitum potest adæquare dignitatem pœnæ quam causat malitia minimi peccati mortalis: quia hæc est superioris ordinis unde quodlibet peccatum mortale justè puniri potest quanta vis pœna. 131

§. IV.

Deus Peccatum non causat nec eius entitatem prædeterminat, pag. 131.

DEVS non est peccati author, nec prædefinitor. Est de fide ex Script. quæ in Deo circa peccata solum agnoscit decreta permissiva, aut consequentia de aliquo bono ex eis eliciendo, unde rectè dixit Damasc. l. 4. de fide cap. 20. *moris esse divinæ Scripturæ permissionem Dei actionem eius vocare & quædam, quæ secundùm eventum debent intelligi, causaliter dicere.* 131. 132

DEVS ex Aug. indurat peccatores non positivè & directè *eis impertiendo malitiam*, sed permissivè, & negativè *eis non impertiendo misericordiam*, subinde etiam aliquo modo positive, non quidem directe & proprie, sed occasionaliter & improprie, faciendo aliqua, ex quibus prævidet peccaturos; item paratum ad unum peccatum inclinando ad aliud æqua le aut minus, quo sensu facile explicabis August. & S. Thom. cùm videntur adversari. 132. 133

DEVS non prædefinit nec physice prædeterminat actum materialem peccati ponendum eo modo, iisque circumstantiis, quibus non esse peccatum, ut volunt varii prædeterminatores. 133

1. Quia illum directe prohibet; non enim prohibet resultantiam malitiæ ex acto libere posito, cùm sit impossibile eam impedire, sed prohibet ne actus malus exerceatur advertenter & libere; atqui repugnat divinæ bonitati & justitiæ velle motione efficaci impellere ut fiat; quod prohibet fieri. Ergo. 133

2. Alioqui contra Script. CC. & PP. Deus mala non solùm permitteret, sed vellet ex propria determinatione actum ita poni ut ex eo inimpedibiliter resultet malitia, quod est velle malitiam eo modo, quo potest & solet à peccatoribus esse volita. 134

Confirmatur, quia juxta S. Thom. defectus causatur à causante formam ex qua sequitur defectus, ergo ex S. Th. si Deus ex sua propria determinatione causaret actum, ex quo necessariò resultat malitia esset causa malitiæ. 134

DEVS ex Aug. de Spir. & lit. c 31. esset author peccatorum, *si omnis voluntas esset à Deo* determinante: ubi *voluntatem* accipit materialiter sicut *potestatem*, quam ait omnem esse a Deo. 136

Actus peccati juxta Aug. fit ex voluntate Dei permissiva, non intentiva. 136

Hoc solum vult S. Th asserens omnia esse prædeterminata à Dei providentia. 136

Cum

Cum alibi doceat 1. determinationem ad malum materialiter, ad quod solùm movent appetibilia, esse a voluntate & à Diabolo appetibilia proponente. 2. Deum inclinare ad malum negando gratiam, non ordinando ad illud, seu avertendo à fine, quod ait Deo esse impossibile. 136. 137

In 2. dist. 38 q. 2. art. 2. solùm vult entitatem actus mali esse à Deo per influxum simultaneum ex determinatione voluntatis creatæ, cui proinde soli tribui debet defectus, non Deo: hoc patet 1. quia ibi dicit oppositum esse proximum duplici errori, imo hæreticum, quod ut summum solùm convenit sententiæ Durandi, non nostræ. 2. quia dicit quòd voluntas non foret libera, si non determinaret se ipsam, quòd actus voluntatis liberè operantis non sit *ab alio determinante*. 137. 138. 139

Quibus adeò clarè prædeterminationem physicam reiicit ut non possit à me aut ab alio ejus adversario clariùs reiici. 139

Nec satisfit dicendo S. Th. loqui de actu ut est peccatum, cùm, ut patet ex adjunctis, agat de actu ut actus est. 139

Neque dicendo, cum Joan. Nicolai, quod solùm velit non esse ab alio determinante creato, cum loquatur universaliter: & quævis antecedens determinatio ab alio, ex mente S. Th. repugnet liberæ determinationi voluntatis à seipsa. 140. 141

HIS & aliis ejusmodi D. Angelici testimoniis convicti Bannezianam præmotionem fortissime reiiciunt insignes Thomistæ Joan. Vincentius, Basil. Verdu. & Raimund. Pasqualius abhorrentes à prædeterminatione ad malum, quibus, quo ad hoc; consentiunt Gonzalez & alii quamvis admittant præmotionem ad bonum ad quos accedit Joan. Nicolai. 141. 142. 143

FRANCIS. Araujo, rejectis prædeterminationis physicis, ad morales transiit, ut ex ejus verbis ac litteris invicte probat Henao. 143

JOSEPHUS de Vita Dominicanus physicam prædeterminationem reiicit ut novissimum Bannezii inventum, libertatis eversivum & repugnans D. Th Aug. ac Deo, quem facit authorem peccati. Idem S. Thom. & Aug. vindicat ab imposturis recentium prædeterminatorum. 144. 145

P. Josepho suffragantur perillustres Dominicani, ejus doctrinam, approbantes ut Thomisticam ac dignissimam ut ab omnibus Thomistis doceatur: illum tamen acriter perstringit ac deprimere nititur P. Jansens ex eodem ordine, sed frustra, ei nunquam eripiet praeclari Thomistæ laudem, quam ei merito tribuit P. Henr. à S. Ignatio Carmel. discal. 1. p. dist. 10. q. 3. a. 1. resol. 1. pag. 674. ubi prædeterminationem physicam ut à mente S. Thom. alienam docte & fuse reiicit, plurimis, ex quovis ordine etiam Prædicatorum, pro sua opinione productis. 145. 146

P. MAIGNAN minimus prædeterminationem reiicit ut repugnantem rationi, D Th. Aug. & divinæ bonitati, sanctitati, ac justitiæ, quod non est conviciari, sed ab absurdis argumentari, quod faciunt adversarii dum dicunt nos Deo negare primatum; ejus libertatem evertere & similia; quæ sunt hæretica, & blasphema. 147

S. Thomas variis locutionibus, quas opponunt adversarii nobis nullo modo adversatur, cùm per eas solùm velit Deum causas secundas movere, eis assidue dando esse, vim agendi & ipsum agere cum ipsis concurrendo finaliter & efficienter, easque applicare in actu 1. per concursum in actu 1. & in actu 2. per concursum in actu 2. 148. 149

Unde causæ secundæ ex ejus mente agunt in virtute primæ, id est virtu-

virtute ab hac accepta, & ejus concursu adiuta sic ut sint instrumenta Dei, latè & impropriè, quatenus, per illas agendo ut causa principalis, Deus obtinet fines à se intentos. Illis autem dat operari, in quantum ipsis præbet concursum simultaneum identificatum actioni, qua constituuntur operantes. 150. 151

S. Thomas aliique antiqui nunquam docuerunt Deum movere causas, 2. etiam liberas motione omnino antecedente, & necessariò connexa cum effectu, quod quamdiu non dicunt, nihil contra nos faciunt. Dicere enim quod Deus moveat, præmoveat, prædeterminet etiam physice, ibi præcise sistendo, non est Bannezianam prædeterminationem adstruere, cum Gabriël Pennottus, Petrus à S. Joseph, Josephus de Vita, aliique prædeterminationis hostes jurati istas locutiones, bono sensu à nobis explicato sup. n. 218. admittere non refugiant. 152

§. V.

Motus concupiscentiæ, delectatio morosa, & ignorantia legis naturæ. pag. 152.

NOn potest esse peccatum in sensualitate, est communis contra Cajetanum. Patet 1. ex Trid. Aug. & S. Th. docentibus sola voluntate peccari 2. ex eo quod appetitus sensitivus, non sit liber, nec possit attingere bonum rationis. 152. 153

Cùm S. Th. videtur favere Cajetano, loquitur de sensualitate ut subest consensui voluntatis interpretativo, cum advertentia semiplena sufficienti ad veniale, in qua etiam admittit libertatem imperfectam & passivam, seu indifferentiam ad diversa obiecta; non activam ad peccandum requisitam. 153

Motus concupiscentiæ indeliberati non sunt peccata, est de fide contra Jans. ex Trid. Decreto Innoc. X. & ex Bajanis prop. damnatis. Ratio est, quia non sunt voluntarii. 154

Immeritò Bajani pro se citant Aug. cùm passim doceat peccatum essentialiter esse voluntarium; & alibi solùm velit esse peccata materialiter, & obiective, vel formaliter supposito consensu, & concupiscentiam dici peccatum; quia est ex peccato, & illud causat. 155

Quod est peccatum materialiter, imò & formaliter, juste potest a Deo permissive infligi in pœnam præcedentis peccati. Deus ex August. odit fomitem peccati ut est à peccato, & ad peccatum. Motus concupiscentiæ ex S. Th. sunt peccata, quando indirectè sunt à voluntate negligente imaginationem alio avertere. 155

Delectatio morosa seu deliberata de illicito, est ex Augustin. illicita, & quidem graviter (etiam secluso consensu in opus) si obiectum sit graviter illicitum. Ratio est quod voluntarie affici ad malum, etiam solo affectu simplicis complacentiæ, sit malum; & consequenter grave peccatum, si obiectum istius affectus gravem habeat malitiam. 156

Cogitatio de obscænis in ordine ad instruendum alios est bona, ex curiositate mala venialiter, mortaliter si adsit periculum consensus in rem aut delectationem. 157

Culpabilis delectatio morosa est de quavis re illicita jure naturæ, non de illicita solo jure positivo, v. g. de esu carnis die veneris. 157

Ad delectationem mortalem requiritur. 1. gravitas materiæ. 2. advertentia perfecta imperfecta enim, qualis est in semiebriis, solùm sufficit ad veniale. 3. consensus saltem interpretativus, situs in positione causæ sine sufficienti ratione, vel in negatione resistentiæ positivæ saltem per actum internum absque justa causa. 157. 158

Juxta Cajet. non est mortale in his habere se negativè. Oppositum, quod docet Vasquez, est probabilius, tutius & in praxi tenendum: quia resistentia positiva est moraliter necessaria ad cavendum consensum aut saltem ejus periculum. 159

Ad mortale enim sufficit voluntarium in causa proxima, aut remota absque honesto fine posita; non est tamen peccatum ex causa rationabili exercere actiones de se excitativas motuum venereorum, absque intentione delectationis & periculo consensus. 159

Delectationes inefficaces non contrahunt malitiam circumstantiarum, secus si sint aliquo modo efficaces, quia qui intendit exercere actum, implicite vult circumstantias sine quibus fieri nequit. 159

Delectatio merè spiritualis, id est solius voluntatis de actu carnali, sub conditione licita, de se non est peccatum, cùm sit de re licita: per accidens tamen, regulariter loquendo, est peccatum ratione venereæ delectationis sensitivæ, quæ moraliter non potest non sequi. 160

Pollutio voluntaria est contra finem naturæ, adeoque intrinsece mala mortaliter ex 1. ad Cor. 6. ac proinde nullo casu licita, etiam ad conservationem vitæ. Licet medicamentis expellere semen medicorum judicio corruptum & venenosum. 160

Licitum est justam ob causam ponere actionem, ex qua per accidens prævidetur secutura pollutio, modò absit periculum consensus; secus si ex ea sequatur proxime & per se, & non sit causa valde urgens, & aliquo modo necessaria v. g. ad salutem corporis aut animæ propriam aut proximi. Ob sanitatem licet optare pollutionem involuntariam cùm sic non fit mala, & finis ejus desiderii sit honestus. 161

Pollutio in somno, cui, ex ejus intentione data est causa ante somnum, aut post somnum est ob delectationem approbata; est mortale; alias non est peccatum. De distillatione quæ fit cum commotione, & delectatione carnali loquendum est, quo ad rationem peccati sicut de pollutione, cum fit sine ulla commotione, &c. non est peccatum. 162

Oscula, tactus etiam partium non inhonestarum, &c. ex affectu venereo, sunt mortalia inter solutos; secus si fiant sine tali affectu ex causa rationabili, juxta morem inter honestos receptum: cùm vero fiunt, joco aut ex curiositate non excedunt malitiam venialem. 162. 163

Amplexus & tactus facti animo libidinoso sunt ejusdem speciei, cujus esset copula cum supposito, quod tangitur, adeoque confitendi cum omnibus circumstantiis. 163

Licent coniugibus si debite fiant absque periculo pollutionis, ex intentione actus coniugalis, aut vitationis incontinentiæ &c. Sunt venialia si ex intentione solius voluptatis. 163

Non datur parvitas materiæ in re venerea, ita cum communiori omnes Jesuitæ; ex decreto P. Claudii Aquaviva Generalis edito an. 1612. quo solùm prohibentur actus externi tendentes ad approbationem, vel usum sententiæ oppositæ. 164

Ratio

Ratio est 1. quod omnis delectatio venerea per se ordinetur ad pollutionem, sitque ejus quædam inchoatio; 2. quòd ob materiæ lubricitatem, & naturæ corruptæ inchoationem sit valde exposita periculo ulterius progrediendi ad gravius malum, quæ & similia locum non habent in intemperantia esus & potus. 164

Potest confessarius Societatis absolvere virum doctum, qui in praxi tenet contrariam sententiam, quia hoc non est eam ullo modo approbare sed ejus probabilitatem extrinsecam simpliciter supponere. 165

Ignorantia vincibilis eorum, quæ quis potest & debet scire est culpabilis, cùm sit voluntaria in causa sc. in negligentia de iis inquirendi, ac proinde non excusat à peccato. 165

Datur ignorantia invincibilis divini juris positivi, etiam ad salutem necessarii, & facti ad istius juris violationem subinde præsuppositi; ut qua Abimelech assumpsit Saram ignorans esse uxorem Abrahæ. 165

Hac enim ignorantia quidam in scripturis excusantur à peccato, ut Abilech, uti & DD. quidam Canonizati, qui per ignorantiam invincibilem docuerunt errores. 166

Ita S. Thomas, favente Aug. etiam respectu necessariorum ad salutem, quorum notitia non est ad vitam æternam necessaria, nisi paulò ante mortem: unde non est cur non possint invincibiliter ignorari per longum vitæ tempus. 167

HÆC ignorantia excusat à peccato formali, quod, juxta interpretationem Aug. Bern. & aliorum traditur Joannis 9. v. 41. his verbis: *Si opera non fecissem in eis &c. peccatum non haberent.* 168

Ratio est, quod malitia actus ignorata agenti, ei non possit esse voluntaria, adeoque nec imputari ad culpam: ut docent S. Thomas, Aug. & alii. 168

Idem dicendum de ignorantia invincibili voluntaria in causa v. g. qua quis in ebrietate committit homicidium: ex hac enim ignorantia Aug. excusat Loth ab incestu. 169

Non datur invincibilis ignorantia primorum principiorum juris naturæ, quale est, *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, neque conclusionum ex illis evidentissime deductarum, cujusmodi sunt, juxta Vasq. contenta in decalogo, quod de jure prohibente simplicem fornicationem negant Tan. & alii. 169

Datur tamen etiam infidelibus ignorantia invincibilis de variis obscurioribus juris naturæ præceptis. Ita Albert. S.Thom. & scholastici communissime: sunt enim multa juri naturæ contraria, quorum inordinatio naturalis ægre probatur etiam à viris doctis & consequenter facilè ignoratur, ut à Cass. Marulo & aliis ignorata fuit inordinatio mendacii officiosi & fornicationis simplicis cum adhibita diligenti cautione pro honesta educatione prolis. 170 171

Multò faciliùs ignorantur ab infidelibus qui nihil audierunt de Deo nec de virtutibus & vitiis. 172

Confirm. quia non est cur homo non æquè possit errare invincibiliter in jure naturæ, quàm in physica aut mathesi; cùm juris naturæ scientia non sit ad salutem necessaria illud non violantibus vel non nisi ignoranter. 172

Qui illud violant ex ignorantia invincibili non peccant formaliter: alioqui omnes, qui post adhibitam moralem diligentiam, errant cir-

ea jus naturæ, errarent vincibiliter & peccarent formaliter: unde semper peccarent DD. consiliarii & quorumvis bonorum possessores; quia exponerent se periculo per ignorantiam culpabilem violandi jus naturæ. 173

S. Thomas docet invincibilem ignorantiam juris naturæ excusare a peccato formali. Idem tradit Chrysost. requirens scientiam malitiæ ad peccatum. Consentit August. dicens peccatum ex ignorantia invincibili habere scientiam, & voluntatem facti, non peccati, & requiri scientiam peccati ut homini possit imputari, quia ista scientia est essent aliter prærequisita ad hoc ut actus sit liber & voluntarius sub ratione peccati, sine qua libertate non potest imputari ad culpam, ut variis locis apertè docet Aug. 173.174

Unde cum alibi dicit peccata ignorantiæ esse imputabilia, solùm vult esse imputabilia ipsi Adamo ut causæ privationis justitiæ originalis, & malorum inde sequentium: non verò ejus posteris illa per ignorantiam committentibus, nisi eorum ignorantia ex invincibili fiat in continuatione vincibilis, cum nempe incipiunt dubitare de eorum malitia. 175.176

Aug. l. 3. de lib. arb. c. 9. mentem suam de malefactis per ignorantiam, & concupiscentiam fusè explicat juxta nostrum sensum; sic nempè ut solùm velit vel esse formaliter peccata & imputabilia in causa sc. ipsi Adamo, vel materialiter illa ignoranter operantibus vel etiam formaliter, quando ignorantia incipit esse vincibilis & voluntaria in negligentia inquirendi & concupiscentiæ resistendi; uno ex istis sensibus intelligendus est, dum peccata ignorantiæ dicit esse imputabilia. 177.178

Si ignorantia invincibilis non excusaret, formaliter errassent & peccassent SS. PP. & DD. cùm subinde ex ignorantia invincibili aliquid docuerunt contra jus naturæ: nec eos purgaret submissio facta Ecclesiæ, ista enim submissio esset inefficax, quia, ea non obstante, ignoranter; adeoque juxta adversarios voluntariè & culpabiliter, retinerent suos errores. Unde sequeretur Jansf. Ipren. esse damnandum de hæresi formali, quod dici non potest absque temeritate. 178.179

Ipsamet invincibilis ignorantia juris naturæ esset (quod negant adversarii) peccatum formale si ab eo non excusaret, sicut omnia facta & dicta contra jus naturæ; ac proinde qui per errorem judicaret sibi hic & nunc esse mentiendum, v. g. pro salute proximi, necessitaretur ad peccandum, quod repugnat. 179

Juxta Aug. peccata ignorantiæ aliquo modo vincibilis, & necessaria necessitate consequente homini imputantur: non ea, quæ per ignorantiam invincibilem fiunt aut ex physica necessitate antecedente. De morali variis locis intelligi potest Aug. 180.181

S. August. loquitur de ignorantia vincibili dum ait ignorantem peccare, licet minùs, quàm scientem: cùm loquitur de invincibili ignorantia legis Christi solùm vult hanc non excusare a damnatione propter peccata contra legem naturæ. 182

S. Hier. & S. Thom. explicandi sunt sicut Aug. de ignorantia vincibili, vel de peccato materiali & quidem etiam ab adversariis, cùm loquantur sine discrimine, tam de ignorantia facti & legis positivæ, quàm naturæ. 183

Alia

Alia quæ ex Script. Aug. aliisque PP. obiiciuntur, explica ut suprà de ignorantia vincibili, vel de culpabili in causa, aut ex præsuppositione fori externi, vel de peccato materiali. 184

Regula juris: *ignorantia facti excusat, non iuris*; est de foro externo, capitulum & Synodus de ignorantia vincibili. Stupiditas excusat à peccato. 184. 185

Vide Annat. Deschamps, Schilder, ubi plura invenies eruditè explicata. 185

In omni peccato non intervenit ignorantia propriè, sed solùm impropriè sumpta pro inconsideratione, de qua intelligendæ sunt Scripturæ peccata vocantes ignorantia. 185.186

CAPUT QUARTUM.

Peccatum Habituale, Originale, B. V. Mariæ immunitas ab originali, & parvulorum ab igne Inferni.

§. I.

Peccatum Habituale. pag. 187.

PECCATUM habituale est quod actu transacto permanenter constituit peccatorem, de hoc Joan. 8. dicitur *in peccato vestro moriemini.* 187

Non consistit in peccato præcisè ut præterito, & non retractato, neque in reatu pœnæ saltem formali, neque in privatione gratiæ: cum possit istis manentibus tolli peccatum habituale, per hoc quod Deus remittat jus quod habet ad aversionem ratione peccati. 187. 188

Unde consistit præcisè in peccato ut non condonato atque ita moraliter perseverante, in ordine ad tribuendum Deo jus ad aversionem: & sic, juxta Aug. remanente *in occultis Dei legibus.* 188

Macula peccati positiva, est ipsum peccatum habituale; privativa, est gratiæ privatio, quæ tamen ad illud non concurrit ut ejus pars, sed removens prohibens, ex hypothesi; quod illius condonatio non fiat sine infusione gratiæ. 188.189

§. II.

Peccatum Originale. pag. 189.

PECCATUM originale, est quod ipsa origine ex Adamo contrahitur, omnesque ejus posteros constituit verè peccatores, est omnium Catholicorum contra Pelagium, & juxta Aug. *fundamentalis fidei veritas,* à Scripturis evidentissimè tradita. 189

Quam constanter tenuit Chrysost. qui, ut rectè Augustinus, locis à Julian. obiectis, solùm vult parvulis non inesse peccata propria voluntate contracta. 190

Quorum tamen respectu; originale ut habituale ex Trid. Script. & PP. est verè peccatum, eos propriè reddens Deo odibiles; non tamen ut est actuale; quia sic, non est ab eorum voluntate propria, quo sensu, juxta Aug. non constituit peccatores propriè seu personaliter, sed originaliter. 191

Omnes (excepta B. V.) peccaverunt in Adamo ad Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt*: quia omnes via ordinaria ab ipso descendentes continebantur in eo, non solùm ut in capite physico, sed etiam ut in capite morali, virtute decreti quo Deus in voluntate Adami constituit voluntates omnium ejus posterorum, in ordine ad actum,

à quo voluit dependere transfusionem justitiæ, aut injustitiæ originalis. 192. 197

Hoc decretum, pactum appellat Aug. sc. virtuale, ad quod requisitus non est consensus Adami; cùm ad ejus effectum sufficiat voluntas Dei supremi omnium Domini, fuit tamen declaratum Adamo Gen. 2. *In quacumque die comederis*, &c. & vi illius *omnes unus homo ille erat*. Aug. 197. 198

Originale transfunditur in Adæ posteros per hoc, quod ex ipso via ordinaria descendant gratia destituti, patet ex Trid. *sess. 9. c. 3.* 198

Originale non consistit in substantiali corruptione imaginis Dei ut delirat Illiricus, neque in concupiscentia, cùm remaneat in renatis, in quibus ex Apost. & Trid. *nihil remanet damnationis*. Aug. in ea solùm agnoscit reatum quo facta est; non quo ipsa reum facit; cùm dicat *peccatum vocari, quia peccato facta est*. 198. 199

Neque consistit in qualitate morbida aut entitate morali, aliisve figmentis excogitatis à Gabriele & aliis, nec in reatu pœnæ, qui est effectus peccati, non peccatum, nec ut voluit Phigius, in peccato Adami ut extrinsece ejus posteris imputato, sic ut contra Trid. *non sit unicuique proprium*. 200

Non denique in privatione gratiæ propter peccatum Adami 1. quia ista privatio est effectus peccati 2. quia est directè à Deo 3. quia potest tolli originale, remanente ista privatione & juxta varios etiam contra, ergo in ea non consistit; nequidem partialiter; sed in solo peccato ab omnibus commisso in Adamo, ut moraliter perseverante per non condonationem. 200 201. 202

Ad illud tamen aliquo modo concurrit ista privatio; nempe ut conditio, sine qua non perseveraret, quantum est ex vi præsentis providentiæ, in qua mortale non remittitur sine infusione gratiæ. 202

Privatio gratiæ ut debitæ haberi per obedientiam Adami, cum donis justitiæ Originalis, est mera pœna peccati Originalis: at verò ut habenda per Christum suppositis certis dispositionibus est id quo in statu præsentis providentiæ peccatum Originale moraliter perseverat. 203

Id quo ex parte hominis peccatum habituale perseverat est malum, quando urget præceptum illud delendi, aliàs non: id verò quo ex parte Dei perseverat sc. non condonatio, est semper bona, sicut prohibitio sine qua malus non esset actus prohibitus. 203

Cùm Anselm. dicit peccatum originale esse ipsam *justitiæ nuditatem* solùm vult privationem gratiæ modo jam explicato concurrente ad peccatum originale; eamque solum esse parvulis velut physice intrinsecam. 204

Originale juxta Arausic. & Trid. est causaliter mors animæ accepta pro privatione gratiæ; formaliter verò si accipiatur pro eo, quo anima redditur Deo odibilis. 204

Subiectatur immediate in ipsa voluntate: tollitur per baptismum ut moraliter perseverans & gratia privans. 205

Solius Adami peccatum transit ad posteros, & quidem illud dumtaxat, quo violavit præceptum de non edendo pomo, &c. 205

Quia solus Adamus constitutus est Caput morale posterorum, & solùm in ordine ad observationem istius præcepti. 205

Unde

Unde posteri solùm contrahunt peccatum Adæ, secundùm malitiam inobedientiæ & gulæ, quia sub hac solùm ratione Adam illud commisit, tanquam caput morale posterorum. 206

Si qui ex filiis Adæ fuissent ante ejus peccatum suscepti, non contraxissent peccatum originale, quod certius est, si ante istud peccatum habuissent usum rationis, tunc enim fuissent sui juris. Contraxissent tamen horum filii; quia fuissent contenti in Adamo peccante ut in capite morali. 206

Humanitas Christi fuit incapax peccati originalis ratione unionis; & exempta ab illius debito ex modo Conceptionis via extraordinaria. 207

§. III.

B. V. Mariæ Immunitas ab Originali, & parvulorum ab igne. pag. 207.

B. V. MARIA fuit concepta sine macula Originali. Hæc sententia, Pontificum judicio pia, est juxta varios ex communissimo Ecclesiæ sensu, Theologicè certa, 1. quia Ecclesia hanc solùm permittit publicè sustineri, 2. juxta illam præcipit Festum Conceptionis Immaculatæ celebrari. 207.208

Quod constat ex Sixto IV. & irrefragabiliter ex Alexandro VII. declarante Festum hoc celebrari juxta piam sententiam id est de sanctificatione animæ B. V. 1. *instanti suæ creationis, & infusionis in corpus*, & sub gravissimis pœnis vetante omnem in contrarium interpretationem, qua negatur Pontifices favere piæ sententiæ, eave quovis excogitabili modo in disputationem revocetur; ac prohibente omnes libros in quibus pia sententia & cultus secundùm illam exhibitus in dubium revocatur. 208.210

Ex hoc Alex. VII. decreto habetur decisum, 1. Festum non celebrari de sanctificatione B. V. post 1. instans suæ Conceptionis, ut volebant adversarii, 2. esse pium, devotum; & laudabilem cultum B. V. juxta piam sententiam, 3. Pontifices favere piæ sententiæ, 4 esse prohibitum contra eam quovis modo agere. 211.212

Pontifices, ac nominatim Alex. VII. piam sentent. multis prærogativis oppositæ præferendo, ejus probabilitatem indubiè augent, & consequenter alterius imminuunt: non enim potest è duobus contradictoriis unum magis firmari quin alterum debilitetur. 212

Quidam inferunt ex hoc Alex. VII. decreto, nulli amplius licere etiam privatim agere contra piam sentent. an legitimè, viderint illi quorum interest. 213

Ecclesia hanc sentent. piam vocat, contrariam publicè defendi prohibet, cultum B. V. juxta illam exhibitum definit esse laudabilem, illum commendat, die 8. Decembris imperat: atqui non potest errare in pertinentibus ad religionem & cultum Dei ac SS. ergo pia sententia non potest esse falsa, & contraria non potest esse vera: alias Eccl. imperaret *cultum falsi*, adeoque superstitiosum & perniciosum, quod repugnat ejus sanctitati ac infallibilitati in pertinentibus ad fidem & mores. 214.215

Piæ sententiæ favent Scripturæ 1. Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Et expressius PP. Petr. Damia. Laurent. Justinianus, Ildephonsus. Item licet minus expressè Hieron. Chrysost. S. Andreas & variis locis

Aug. qui de nat. & grat. c. 36. ait, dum agitur de peccatis, B. Mariam esse excipiendam. 216. 217

Alibi solùm vult ejus carnem esse carnem peccati sc. parentum per concupiscentiam & ipsius Virginis quoad debitum illud incurrendi, de quo Augustinum intelligit Cajet. 1. 2. q. 81. a. 3. 217. 218

Favet etiam Bernard. licet locis infra explicandis videatur adversari. 218

Pia sententia Confir. 1. efficaciter ex communi sensu PP. Concil. Tridentini in ejus definitionem, 3. ex Conspiratione Academiarum pro tuenda Immaculata Conceptione, quibus accessit Duacena an. 1662. 4. ex consensu plurimorum SS. ac Religiosorum etiam ex ordine Prædicatorum sc. S. Dominici, S Bertran. Granat. Catharini &c. 218. 219. 220

Ex quibus videtur pia sententia esse indubitata & proximè definibilis ab Ecclesia, etiam extra Concil. inquiunt Velasquez & alii. Cum præsertim non desint firmamenta ex probabilissimis revelationibus, & miraculis. 221

Historia canonici an. 1424. 8. Septembris in piæ sententiæ favorem suscitati est (teste Sifilino) probatissima & moraliter certa. 222

Videtur probabilius B. V. peccasse Adamo in & contraxisse debitum peccati Originalis, etiam proximum, situm in eo quod ejus voluntas fuerit contenta in voluntate Adami peccantis. Hoc judicant universales Script. & PP. locutiones; nec est ratio ab iis excipiendi B. V. quæ hoc supposito melius intelligitur indiguisse & gavisa fuisse Christi redemptione. 223

Peccatum Originale sæpè accipitur pro ejus debito, conceptio pro imperfecta, id est pro conceptione seminum, seu formatione fœtus ante animationem, & peccatum pro concupiscentia parentum, cui in actu generationis sæpè annectitur peccatum veniale ratione libidinis nimiæ. Vide Fassari. 224

S. Bern. aliquo ex sensibus allatis explicari potest & debet ut patet ex ejus verbis Epist. 174. ad Lugdun. ubi per ly post animationem intelligit posterioritatem naturæ. 224

Script. & PP. solùm Christum ab Originali excipientes loquantur de debito, non de macula. 224. 225

B. Virgo non fuit obnoxia morti ut pœnæ peccati à se contracti, sed ut defectui ex pugna contrariorum. 225

Videtur probabilius S Thom. adhæsisse piæ sententiæ, cui variis locis apertissimè favet ut in Epist. ad Gal. sect. 6. & alibi ubi B. V. disertè excipit ab illa generali sententia, *omnes peccaverunt in Adam.* Cum alibi videtur adversari, intelligendus est cum Joanne à S. Thom. de debito, ut patet ex ejus ratione fundata in indigentia redemptionis, & ex hoc titulo articuli, *utrum B. V. fuerit sanctificata ante animationem.* 225. 226 227

Hunc S. Thomæ sensum exponit & sequitur insignis Thomista R. P. F. Jac. Hoechstraten. 227

Quamvis S. Thom. valdè faveat piæ sententiæ, probabile est tamen oppositam tenuisse, quod cum plerisque Thomistis docet & fusè probat Bert. Loth ex variis ejus verbis id quidem indicantibus, benignè tamen, ut suprà num. 96. explicabilibus de debito, & prioritate rationis. 228. 229

Si S.

Si S. Thom. jam viveret nobiscum sentiret ut docet Joan. à S. Thom. & meritò ut patet ex probationibus efficacissimi supra num. 183. & seqq. allatis ex Pontificum, ac præsertim Alexandr. VII. decreto petitis, quod quidem refellit Loth. qui decret. Alexand. non vidit, sed inefficaciter. 229

Debet in hac materia bonus Catholicus paratus esse propriam opinionem deserere, si aliter Ecclesia determinet ut rectè S. Antoninus. 230

Pro his vide plura, acuratè discussa, & solidè probata apud P. Vincentium Fassari Panormitanum Societatis Jesu, libro Lugduni edito anno 1666. cui titulus est: *Immaculata Deiparæ conceptio Theologicæ commissa trutinæ*: in quo docet & eruditè probat ex variis Pontificum decretis, ac præcipuè ex novissima Alexandri VII. Bulla 1. quod sit de fide aut secundùm fidem credendum Pontifices favere Immaculatæ Conceptionis sententiæ, 2. quod sit de fide aut secundùm fidem credendum sententiam de Immaculata esse, saltem, magis probabilem & magis amplectendam, 3. esse piam, pro ea stare ferè omnes Catholicos. 4. non esse dubiæ, sed certæ veritatis, saltem moraliter. Et alia ejusmodi non pauca scitu digna & piis, Virginis sine macula non ceptæ cultoribus gratissima.

Parvuli sine Baptis. mortui patiuntur pœnam damni, est de fide ex Joan. 3. *Nisi quis renatus &c.* non tamen pœnam sensus seu ignis ita PP. & DD. communiùs quibus variis locis consentire videtur Aug. cùm ait *in damnatione levissima futuros*, non esse tanta pœna plectendos ut ei, non nasci expediret. 230

Scripturæ contrarium indicantes loquuntur de solis judicandis ex operibus, adeoque de solis adultis, non de parvulis. 231

Aug. subinde favens contrariæ sententiæ solùm vult contra Pelagianos, non futuros in loco voluptatis, medio inter Paradisum & Infernum, sed futuros in inferno tamquam in carcere, nihil tamen ab igne passuros. 231. 232

Parvuli in Adamo peccaverunt, non tamen meruerunt pœnam ignis, sed solùm pœnam damni, in illis, utpote exiguam habentibus notitiam beatitudinis, longè leviorem, quàm in damnatis. 232

Post resurrectionem habebunt corpora, nihil ab intrinseco doloris & voluptatis percipientia: quia erunt in termino viæ, adeoque in statu invariabili, quoad dolorem & gaudium. 232

Dolor sensibilis parvulorum in hac vita non est propriè pœna in ultionem peccati, sed pœnalitas resultans ex substractione donorum status innocentiæ. 233

Christus pro suo & Patris beneplacito satisfecit pro peccato originali per dolorem sensus qui non est proprietas pœnæ damni. 233

Parvuli nullam, aut non nisi exiguam patientur tristitiam ex privatione beatitudinis, quam non magis apprehendent quam viatores in hac vita. 234

Non tamen fruentur beatitudine actuali: quia sunt obnoxii miseriæ peccati, & in loco subterraneo incarcerati. Ita Alens. Bonav. & alii communius. 234

CAPUT QUINTUM.

Legis natura, divisio, effectus in genere & in particulari; Principia, materia subiecta, & desitio.

§. I.

Legis natura, divisio, & effectus in genere.

pag. 235.

LEx est rationis ordinatio ad bonum commune: æterna, est ordinatio Dei ab æterno in ejus mente: temporalis fertur in tempore ab habente potestatem. Naturalis est naturæ rationali insita. Positiva ab extrinseco posita. Affirmativa actum imperat. Negativa vetat. 235

Ratio legis requirit in legislatore volitionem obligandi subditos & actum intellectus illam practicè intimantem per verba imperativa. Utrumque actum pro lege accipiunt Scripturæ eam vocantes modò judicia, modò voluntates Dei. 236

In utroque consistit; principalius tamen in actu intellectus, cujus est dirigere, quod est proprium legis. Actus voluntatis obligat radicaliter, actus verò intellectus formaliter. 236. 237

Lex permanet, & est ubique eadem moraliter, seu æquivalenter in ordine ad obligandum, non physicè; cùm actus legislatoris non sint quid physicè permanens. 237

Promulgatio per exteriorem intimationem imperativam est essentialis legi ut est proximè obligativa. 237

Hinc lex æterna ut sic, non est propriè lex, sed solùm ut connotat promulgationem in tempore faciendam: sub hac tamen ratione transit in temporalem, naturalem vel positivam. 237. 238

Respectu irrationalium obligationis incapacium est lex impropriè, juxta illud, *legem ponebat aquis*, non propriè & strictè. 238

Lex debet esse honesta, justa, possibilis secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, bono communi conveniens & manifesta, non perpetua, cùm mutatis circumstantiis possit revocari. 238

Legis effectus est obligatio, vera ac propriè dicta; permissiva obligat ad non impediendam rem permissam. 239

Obligatio formaliter est vinculum juris; realiter actus legislatoris virtualiter permanens, sc. in ordine ad causandam obligationem donec revocetur. 239

Volitio obligationis est solùm efficax imperii practici, cum quo formaliter causat obligationem: adeoque non sui ipsius: habet quidem se ipsam pro obiecto, sed solùm materialiter & confusè sicut amor entis in genere. 239. 240

Lex naturalis, seu naturæ rationali insita, consistit in dictaminibus de agendis aut fugiendis, tanquam naturæ rationali conformibus, aut difformibus. 240

Quæ quidem dictamina sunt physicè ab intellectu creato, moraliter tamen ab Authore naturæ suntque ejus imperia formaliter dirigentia, obligantia, ac moraliter permanentia, & juxta Apost. & Aug. *à Deo inscripta cordibus nostris*. 240. 241

Non possunt esse erronea practicè, imo nec speculativè, quatenus respi-

§. II.

Legis principia. pag. 246.

§. III.

Legis Materia. pag 253.

bili, non internam, saltem validè; cùm ut sic non sit sufficienter promulgata. 254

Punit hæresim; sed solùm exteriùs manifestatam. Reservat peccata merè interna indirectè, sc. limitando jurisdictionem externam. 255

Prælatus Religiosos obligat ad orationem mentalem, non vi potestatis legislativæ: sed ratione voti obedientiæ. Ecclesia votum castitatis internum non præcipit ordinandis; sed declarat se nolle eos ordinare nisi sub conditione voti interni. 255

Voluntas interna, actui externo lege humana præcepto contraria, est prohibita indirectè & virtualiter. 255

Cum lex humana præcipiat actus humanos qua tales, potest indirectè præcipere actus internos requisitos, ut actus externi fiant physicè, & moraliter, seu liberè. 255

Item requisitos ut sint in certa specie entis moralis v.g. orationis vocalis: ad quam requiritur intentio Deum laudandi per verba exterius prolata: potest enim Ecclesia præcipere actus externos ut sunt actus certæ virtutis, & consequenter internos ad id requisitos. 256

Non tamen actus internos habentes se per accidens ad esse specificum actuum externorum, ut se habet intentio pluviæ per orationem præceptam obtinendæ. 256

§. IV.

Legis effectus in particulari, seu Obligatio levis & gravis. pag. 257.

AD OBLIGATIONEM sub mortali requiritur in Legislatore intentio graviter obligandi, & materiæ gravitas metienda ex gravitate finis per se intenti, & conducentia ad finem: hinc Superior Ecclesiasticus potest sub mortali prohibere rem de se levem, ut ingressum in popinas, usum tabaci & similia. 257

Potest in materia gravi esse obligatio solùm sub veniali; si nempe Legislator eam tantùm intendat: uti enim ab ejus voluntate proximè pendet obligatio, ita & ejus tantitas intra capacitatem materiæ. Similiter obligatio promissionis, saltem homini factæ, pendet à voluntate promittentis &c. 257.258

Obligatio activè sumpta pro vi obligandi oritur immediate à voluntate Legislatoris; passivè verò pro ut est in subdito, mediante lege. 258

Non est (ut quidam volunt) in potestate Legislatoris efficere, ut lex obliget magis aut minùs, intra latitudinem venialis; quia id non potest rationabiliter intendi. 259

Posito præcepto stricto, vel non stricto, oritur obligatio proportionata materiæ. 259

Lex naturæ jubet servari legem juxta mentem Legislatoris in quacumque materia, intra ejus capacitatem. 259

Perpetuitas obligationis est de essentia veri matrimonii, at verò gravis obligatio non est de essentia legis, unde hæc pendet à voluntate libera Legislatoris; non illa à voluntate matrimonium contrahentis. 260

Lex in materia gravi expressa verbis strictè præceptivis, aut sub pœna gravi, graviter obligat, nisi aliundè alia, aut dubia appareat mens Legislatoris. 260.261

Omnis

§. V.

Legis Subiecta. pag. 266.

Pere-

§. VI.

Legis Desitio & Dispensatio. pag. 269.

CAPUT QUINTUM.

Gratia, Iustificatio, Meritum.

§. I.

Gratiæ Quidditas, & varii circa eam errores. pag. 273.

Hinc

no VI

no VIII. & Inoc. X. per brevia ad ipsus specialiter destinata, quæ ad perpetuam Theologicæ facultatis Duacenæ gloriam,& Jansenismi infamiam hic habentur. 285.286.288

Quibus aliud subjungitur ab Innoc. X. ad Valentinum Randour, acerrimum Jansenismi hostem, & veritatis Catholicæ vindicem; qui in sua oratione typis evulgata merito gratulatur universitati Duacenæ gloriam veritatis Catholicæ constanter defensæ. 289

Alii errores Baij & Jans. sunt de donis justitiæ naturaliter debitis, & de gratia indifferenti in natura integra, necessitante in lapsa &c. 290

§. II.

Diversi naturæ status. pag. 290.

TRIPLEX naturæ status, primus est naturæ puræ importans facultates naturaliter debitas. Secundus integræ superaddens subjectionem appetitus ad rationem &c. Tertius lapsæ dicens privationem gratuitorum propter peccatum. 290 291

Possibilis est status naturæ puræ. Est nunc omnium Catholicorum contra Luth. Calv. aliosque hæreticos & è Catholicis Bajum Ianf. Ipren. & eorum discipulos, constat ex decretis Pontif. Pii V. Greg. XIII. Urb. VIII. 291

Est etiam Aug. docentis hominem non esse natura Dei filium, immortalem &c. Unde contra Jul. solùm vult, quod (ex hypothesi præsentis providentiæ, de immunitate hominis à miseriis, si non peccasset) Deus foret injustus si parvulis peccati expertibus tot infligeret mala. 291 292

Juxta Aug. & Cælest. dona justitiæ originalis sunt naturalia hoc sensu, 1. quòd sint concessa initio creationis cum natura, 2. quod sint naturæ consentanea, non contraria, ut est vitium. 292.293.

Anima nostra ex mente Aug. est imago Dei non solùm per dona sanctitatis, sed etiam per facultates naturales intelligendi & volendi peccato vitiatas. 293

Mors, & infirmitates humanæ sunt, ex vi præsentis providentiæ; pœna peccati, in pura natura fuissent mera pœnalitas, non pœna strictè seu Punitivè, quæ essentialiter supponit culpam. 293

Homo ex Aug. non potest in suis actibus esse indifferens in individuo; potest tamen fieri in statu indifferenti ad bonum & malum. 294

Concupiscentia non est moraliter mala, præcisè ut est rebellis rationi; sed ut per extortum voluntatis consensum causat malum. 294

Hominis rectitudo naturalis exigit ut voluntas concupiscentiæ dominetur quoad consensum & opus, non quoad motus rebelles, quos non exigit habere in sua potestate. 295

Conflixit Aug. cum Jul. de peccato originali, & de mortalitate & concupiscentia in ejus pœnam, quæ negabat Julianus; nos vero eum Aug. admittimus, nec ullo modo pugnant, cum possibilitate status puræ naturæ. 295

Natura lapsa non est intrinsecè infirmior natura pura, nisi hoc sensu quod sit positivè indigna auxiliis naturalibus naturæ puræ moraliter debitis: hoc sensu homo per peccatum est vulneratus in naturalibus. 296

Unde in natura lapsa est cœcitas, & infirmitas major privativè, sc. per carentiam luminum & auxiliorum naturalis ordinis in natura pura non defuturorum, non positivè per ablationem facultatis alicujus naturalis, aut impressionem qualitatis innaturalis. 297

In natura integra non esset rebellio concupiscentiæ rationem præveniens, ut esset in natura pura. 297

§. III.

Gratiæ necessitas in statu naturæ integræ. pag. 297.

HOMO integer non indiguit gratia ad servandam legem naturalem: ad id enim sufficientes habuit facultates naturales: indiguit ad supernaturalem, ad quam pertinebat prohibitio esus pomi, intimata Adamo, quia juxta August. & Ansel. etiam Angelo & 1. homini convenit illud, *quid habes quod non accepisti*, & istud, *charitas diffusa est*, &c. 297. 298

Cùm tamen homo lapsus, egeat majori gratia, ideo ejus merita ex Aug. sunt specialiùs Dei dona; quàm merita hominis integri, respectu cujus vita æterna in radice fuisset gratia, sed minor, quàm respectu lapsi propter peccata positivè, adeoque magis indigni. 299

Gratia sanitatis, seu naturæ integræ, non differt à medicinali, seu naturæ lapsæ, in eo, quòd illa relinquat libertatem indifferentiæ, hæc non; sed in eo quod illa non præsupponat indignitatem, concupiscentiæ rebellionem? hæc verò ista præsupponat, adeoque ex Aug. requirat motionem voluntatis, non illa. 299. 300

§. IV.

Gratiæ necessitas in statu naturæ lapsæ. pag. 301.

EX CHRYSOST. & Aug. potest homo lapsus cognoscere veritates practicas, directivas actuum moraliter bonorum: non tamen conducentium ad vitam æternam, quæ est supra omnem creaturæ exigentiam & virtutem, patet ex Scripturis, CC. PP. 301. 302

Potest naturæ viribus exercere aliquos actus moraliter bonos colligitur ex Scripturis, PP & contrariis propositionibus in Bajo damnatis 302

Aug. hæc verba: *gentes naturaliter quæ legis sunt faciunt*, subinde quidem explicat de conversus ad Christum; etiam tamen ea intelligit de infidelibus, ut l. 4. cont. Jul. c. 3. 302

Script. CC. & PP. solùm volunt sine gratia hominem nihil posse quod conducat ad salutem. 303

Aug. ait: *liberum arbitrium nihil nisi ad peccandum valet*: hoc sensu,

tuendis suis erroribus, ut superarunt, qui pertinaciter tolerarunt supplicia, mortem &c. quia nempe motiva naturalia magis feriunt, quam supernaturalia. 311

Justus cum gratia ordinaria potest vitare omnia venialia, etiam collectivè, potentia physica; non morali; patet ex Trid. sess. 6. can. 23. Aug. l. 2. cont. 2. Epist. Pelag. c. 4. & aliis CC. ac PP. 312

Votum de moraliter impossibili, juxta Granad est invalidum, juxta alios dubii valoris, quia non videtur rationabile ad id obligari. 312

Sola B. V. fuit immunis ab omni peccato etiam veniali, quod quidam extendunt ad S. Joann. Baptist. sed communius reijcitur. 312

Justus potest diu perseverare in justitia, cùm gratiis ordinariis, etiam usque ad mortem potentia physica & antecedente, ad libertatem requisita; non morali & consequente aliquam voluntatis ejus determinationem ac prævisionem; utrumque est de fide, primum ex CC. Arauf. Trid. & Innocent. X. definientibus Dei præcepta esse homini justo observatu possibilia: secundum ex Trid. & PP. consensu apud Suar. 313

Hæc impossibilitas oritur ex concupiscentia, quam gratia sanctificans non compescit se ipsa, sed per auxilia, quæ ex PP. & CC. ordinariè non præstant diuturnam perseverantiam. 313

Peccator non potest potentia morali cum ordinariis gratiæ auxiliis diu abstinere à novo mortali, quia Dei inimicus, ut colligitur ex Scripturis & PP. meritò privatur ea gratiarum abundantia, quæ justis connaturaliter conceditur ad facilius resistendum tentationi. 314

§. V.

Gratia actualis præveniens, adiuvans, efficax, sufficiens. pag. 314.

GRATIA actualis interna & propriè dicta est transiens Dei auxilium excitans aut elevans ad operandum salutaliter. 314

Consistit in illustratione: inspiratione, & in vi activa potentiam elevante, illustratio & inspiratio sunt actus intellectus, & voluntatis indeliberati, sine nobis moraliter concurrentibus à Deo impressi. 314.315

Habitu destitutis ad actus supernaturales necessarium est auxilium potentias ... elevans, sive distinctum sive indistinctum à Dei potentia ad tales actus ... bita. 315

Habitu supernaturali instructis necessaria est illustratio, non inspiratio seu motio ex parte voluntatis, primum Script. CC. & PP. requirunt, ne alioqui initium actus salutaris sit ex viribus naturæ, seu ex cognitione naturali; non secundum: quia non est cur voluntas habitu supernaturali instructa non possit se determinare ad bonum, sibi per fidem propositum actu supernaturali prosequendum. 316

Gratia excitans seu vocans, operans & præveniens invitat & movet ad actum bonum, adjuvans seu cooperans, concomitans & consequens actum bonum nobiscum moraliter & physicè operatur: excitans seu vocans non necessariò distinguitur entitativè, ab adjuvante seu cooperante,

re, sed solùm connotativè quatenus hæc importat executionem, à qua illa præscindit. 316.317

Iuxta quosdam præveniens est quæ causat primum effectum seu 1. volitionem boni operis subsequens, quæ secundum seu ipsam operis executionem. Iuxta prædeterminatores, operans est illustratio & inspiratio, cooperans physica præmotio ad consensum. 317

Gratia sufficiens tantùm, est quæ dat posse, non ipsum agere: efficax est quæ dat etiam ipsum agere, & quidem infallibiliter, vel voluntati determinationem relinquendo, vel eam physicè prædeterminando, ut volunt prædeterminatores, juxta quos ægrè salvatur gratiæ inefficacis sufficientia, & indifferentiæ libertas, quam tamen contra Calv. & Iansf. fortiter & etiam supposita prædeterminatione, probabiliter tuentur. 318

Efficax strictè est, etiam in actu 1. infallibiliter connexa cum effectu, sive ex suis intrinsecis, sive ab extrinseco, ratione divinæ prævisionis aut etiam prædefinitionis. 318

Efficax latè seu efficiens, id est quæ à solo effectu denominatur efficax, nullum cum eo habet connexionem, nisi in actu 2. Hoc posteriori sensu quævis gratia sufficiens à nobis reddi potest efficax, non priori: cùm non possimus efficere ut Deus nobis ex speciali benevolentia selegerit gratias, quas prævidit effectum habituras. 319

Dari gratiam verè sufficientem, etiam in natura lapsa, constat ex Scripturis CC. & PP. ac definitionibus Innocentii X. & Alexan. VII. contra Ianf. 319

Eam admittit Aug. contra Iansenistas, illum frustra ad se trahentes, docens 1. l. 12. de Civ. c. 6. è duobus æqualiter affectis, & æquali tentatione pulsatis; subindè unum deficere, non alterum, quia unus voluit, alter non voluit deficere. 2. l. de na. & gra. c. 29. Deum non deserere, nisi priùs deseratur, ut semper, justè vivatur. 320

Carens gratia efficaci potest converti potentia antecedente, licet non consequente, de qua intelligi debent Scripturæ Aug. aliique PP. à Iansf. in contrarium adducti. Increduli ex Aug. carent gratia efficaci ad credendum, & subinde etiam proxime sufficienti, ut ii, quibus credenda nunquam fuerunt ullo modo annuntiata. 320.321

Gratia sufficiens non est adjutorium possibilitatis Pelagianum, id est, solùm facilitans posse naturale: sed Augustinianum, in natura lapsa dans simpliciter posse, quod natura non potest, & in integra adjuvans possibilitatem supernaturalem in 1. origine acceptam, & hoc sensu naturalem. 321

Gratia efficax non est delectatio victrix, necessitans. Est de fide, ex CC. Senonensi & Trid. contra Luth. & Calv. & ex Innocentio X. contra Iansf. definiente ad merendum requiri libertatem à necessitate. 321

Est certò Augustini, qui l. de Spir. & litt. & alibi gratiæ consentire aut dissentire tribuit nostræ potestati & voluntati adeo manifeste, ut mirum sit Iansf. non erubuisse illum sui erroris Patronum facere. 322

Gratia efficax dicitur ab Aug. l. 3. de pec. mer. & alibi victrix omnipotentissima &c quia facit, ut voluntas creata velit liberè & ex propria determinatione, quidquid Deus vult eam velle, infallibiliter, & indeclinabiliter; non tamen eam necessitando ac movendo sicut novit congruere ut persuadeatur. 323

Voluntas Dei actum efficaciter intendens solùm inducit necessitatem consequentem; quia licet ei non possit resisti, cùm repugnet eam frustrari fine absolutè intento: potest tamen absolutè resisti motioni infallibili ex prævisione effectus secuturi, qua movet *ut scit congruere* l. 1. simpl. q. 2. &c. 324

Ex Aug. in Epist. ad Gal. necessariò fit, sc. necessitate consequente quod magis delectat per actum deliberatum illius efficacem, & generaliter quod magis delectatio est, modo hic & nunc magis congruo. ut voluntas moveatur. 324

Auxilium *quo* bene vivitur & perseveratur, juxta August. de Cor. & gra. est ipsa formalis perseverantia, non ut vult Jans. gratia præveniens, quæ illam causat: quandoquidem pro exemplo auxilii *quo*, adferat, 1. beatitudinem, qua homo formaliter sit beatus, 2. perseverantiam, qua perseveratum est, quæ, ut patet, non quadrant gratiæ prævenienti beatitudinem & perseverantiam efficaciter causanti. 324. 325

Si, cum variis Catholicis, per auxilium, quo intelligatur auxilium efficax, illud quidem dat invictissimè quod bonum est velle. non tamen necessariò, nisi necessitate consequente, quæ, ex Aug. l. 1. ad simpl. q. 2. stat cum libertate. 326

Deus, juxta Aug. l. 2. contra 2. Epist. Pelag. c. 7. hominem discernit radicaliter & in actu 1. ei nempe gratiam efficacem seligendo; homo se ipsum discernit formaliter & in actu 2. sicut *se emundat* 2. Tim. 2. Deus tamen principaliter. 326

Perseverantia dans non posse deficere ex mente Aug. non est (ut volunt adversarii) prædestinatorum in terris, sed propria Beatorum in cœlis, sicut immortalitas, dans non posse mori. 326

Ex nostra & Aug. doctrina Deus non expectat ut bonum velimus; & operemur, ut impiè contendebant Semipelagiani, quod nobis insulsè obiiciunt gratiæ necessitantis patroni; sed sua præveniente gratia facit, ut velimus, non necessitando; sed ut præclarè Aug. de Spir. & litt. ita suadendo, ut infallibilissimè & simul liberrimè persuadeamur & consentiamus 327

Unde primum salutis initium, quod est 1. gratia præveniens, est à solo Deo, ita tamen ut formalis determinatio ad actum salutarem sit à sola voluntate creata in genere causæ formalis extrinsecæ, cùm ut sic, sit denominatio orta ex eo quòd procedat à voluntate ut liberè, libertate immediata, operante. 327. 328

Deus facit nos velle bonum, 1. ex necessitate per inspirationes, quæ sunt volitiones honesti productæ in nobis sine nobis, 2. liberè per volitiones nobis liberas istis inspirationibus in rationem gratiæ adiuvantis transeuntibus causatas, saltem moraliter, 3. effectivè physicè per auxilium supernaturale permanens, aut transiens potentias efficienter elevans. 328

Similiter causat moraliter & physicè determinationem nostræ voluntatis ad bonum, sic tamen ut hæc rationem determinationis liberæ habeat à sola voluntate nostra; quatenus ab ea sola procedit ut antecedenter indifferenti & libera libertate immediata. Potest tamen dici Deus nostram voluntatem determinare moraliter, gratia sc. congrua, per modum suadentis, faciendo, ut infallibiliter seipsum determinet. 328. 329

Deus

Deus non expectat voluntatem nostram se ad gratiam actualem viribus naturæ præparantem: expectat tamen ejus dispositionem v. g. contritionem per gratiæ vires, ad gratiæ sanctificantis, ejusve augmenti collationem. 329

Non expectat determinationem voluntatis gratia prævenienti instructæ ad eam gratiæ concomitantis influxu adjuvandam; cùm repugnet voluntatis determinatio natura prior Dei auxiliantis concursu: Unde inter influxum voluntatis gratia prævenienti excitatæ ac elevatæ, & influxum gratiæ concomitantis in actum salutarem, nulla est realis & propriè dicta naturæ prioritas, sed simultas & concomitantia, sicut proinde gratia concomitans non sit pedissequa liberi arbitrij, sed comes adjutrix. 330

Est tamen concursus Dei per gratiam prior prioritate dignitatis, independentiæ, & consequentiæ non mutuæ; influxus veró voluntatis est prior prioritate rationis; quatenus procedit à voluntate ut antecedenter indifferenti & seipsam determinante, à Deo autem ut, per decretum concurrendi in actui, 1. antecedenter determinato ad potentiam suam determinationi voluntatis creatæ permittendam, sicut secundùm rationem vera sit hæc causalis: ideo Deus agit, quia voluntas agit. 330

Difficillimum est, etiam judicio Aug. l 2. de pecc. merit. c. 18. gratiæ efficaciam conciliare cum libertate arbitrii. Cajet. fatetur se mysterium istius conciliationis non magis scire, quàm myster. SS. Trinitatis, addit se de eo nihil repetisse in S. Th. (in eo igitur non reperit gratiam physicè prædeterminantem) sed nec in aliis DD. quod animum quietet. 331

Quatuor sunt opiniones præcipuè de gratiæ efficacia in Ecclesia receptæ, & valde probabiles, quarum prima est Thomistarum eam ponentium in prædeterminatione physica. Secunda est Scotistarum eam statuentium in congruitate & efficaci Dei decreto concomitante determinationem creaturæ. Hæc concomitantia est intellectu difficilis, nisi ei præsupponatur scientia media, quam ideo ut absolutè necessariam prærequirunt Cavellus, Faber aliique illustres Scotistæ à Cavel. citati. 332.333

Tertia infallibilem gratiæ efficaciam vult esse intrinsecam, eamque collocat in prædeterminatione morali, sita vel in adaptatione vocationis cum ingenio vocati; vel in multitudine auxiliorum collectivè indefectibilium, quamvis singula sint defectibilia. Ita Henric. à S. Ignatio & apud hunc Arag. Ferar. Caprcol. & alii non pauci, ad hos accedunt qui eam constituunt in vi voluntatem moraliter necessitandi, sicut facit gravissima tentatio, illæsa ejus libertate. Possibilis est hujusmodi efficacia, videturque talis fuisse efficacia vocationis S. Pauli, ordinariè talem vim suarum gratiarum non experiuntur justi. 333 334.335

Quarta est Jesuitarum, Malderi, Diotallevii aliorumque plurimorum gratiæ efficaciam collocantium in ejus congruitate & datione ex prævisione conditionata consensus infallibiliter secuturi. 335.336

Jesuitis suffragantur Mascharennas & Daniel à S. Joseph. qui immeritò à P. Henr. adjunguntur adversariis scientiæ mediæ, quam summis laudibus extollunt, & ajunt esse necessariam ad concordiam gratiæ efficacis cum libero arbitrio intelligendam ad hoc

accedit vir eruditissimus Christianus Lupus Augustinian. In scholiis ac notis in Canones & decreta synodorum dissert. de Nicena c. 1 pag 88. tomi 1. ubi (teste Henao parte 2. scientiæ mediæ Theologicè defensatæ sec. 459 pag. 808) ait, *illam divinam scientiam, quam mediam hodie vocamus, esse verè Theologia in multis necessariam.* 336

Congruitas est quædam proportio gratiæ cum dispositione voluntatis, quæ illâ movetur, unde est partim intrinseca quatenus dicit aptitudinem ad movendum; partim extrinseca, quatenus importat prævisionem à qua habet omnimodam infallibilitatem, ut certè colligitur ex Aug. de bono persev. c. 14. l. 1. ad simpl. quæst. 2. 337 338

Efficacia gratiæ in actu 1. non est entitas simplex, sed complexum ex vi intrinseca gratiæ, & dispositione voluntatis ea movendæ, estque (etiam in nostra sententia) à solo Deo authore, ut rectè Maschar. 339

HÆ 4. sententiæ sunt fundatæ in SS. August. & Thom. quos pro se citant singuli earum defensores; quamvis ab invicem discrepantes. 339

Nostra opinio injustè dicitur à Ians. *iniuriosa Aug. & veteri Ecclesiæ*, à Mariales, *horridum monstrum*, à Pseudophil. *muscipula pedibus insipientium, & zizania in medio tritici*; cùm sit à Pontificibus permissivè approbata ut probabilis & sana, alia enim non permittitur Scholis Catholicis, & simul liberata ac protecta à censuris & conviciis gravissimè prohibitis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per decreta Pontificum Sixti V. Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. 340. 341

De his decretis meminerunt Duval. Spond. ad ann. 1606. statuitur, ut cuique *liberum esset suam sententiam in Scholis modestè tueri; sed sine damnatione alterius partis.* 342

Decreti Pauli V. Publicatio Hispali anno 1605. facta est his verbis: *mandamus sub pœna excommunicationis maioris, ut nullus audeat censurare contrariam sententiam, nec utatur verbis mordacibus.* 342

Narrationes fabulosæ contra nostram sententiam à variis sparsæ, Ab Annato, Leonar, Henao & aliis solidè sunt refutatæ. 342

☞ Innocentius X. & Alexander VII. suorum prædecessorum decreta innovarunt, & declararunt nullam fidem esse adhibendam narratiunculis ex P. Lemos aut aliis, sive pro, sive contra alterutram ex opinionibus ab Ecclesia permissis in materia de auxiliis. 343. 344

Relata Pontificum decreta violarunt, aut certè non satis reveriti sunt Mariales & Pseudophilaletes aliique opinionis nostræ adversarii, dum illam vocant *impiam, sacrilegam, cœlo execrabilem, deformem, deformitate suis defensoribus confusionem & ignominiam pariente fugiendam sicut à facie colubri.* 345

Falso Pseudophilalet, contra expressam Innoc. X. & Alexand. VII. declarationem asserit nunc Ecclesiam permittere impressiones de auxiliis. Nec eum excusat ignorantia, quæ in scribente de auxiliis non potest non esse crassa & affectata. 346

Falsò asserit me in 1. editione meæ synopsis anno 1664. tractasse de auxiliis in puncto controversiæ typis prohibitæ, cùm præcisè retulerim aliquot de eorum efficacia sententias probabiles, nullam ex iis propugnan-

gnando nec impugnando, quod non est, nec unquam fuit prohibitum. 347

Vanissimis rationibus persuadere nititur Pseudophilathes decretorum Pontificiorum abrogationem ut 1. ex eo quod Duacenæ Universitatis DD. & Regii Professores de auxiliis publicè dictent ac disputent; quod (teste Spondano ad ann. 1606.) à Paulo V. non fuit prohibitum sed permissum *suam cuique sent. in Scholis modestè tueri, sed sine damnatione alterius partis*. 2. ex editione tractatus Suaris de auxiliis, inscia Societate facta anno 1655. à Typographo, qui defuncti Bastidæ Regii in Hispania Cathedrathisi Bibliothecam emit, in qua manuscriptum Suaris tractarum reperit, typis mandavit sine licentia, quam tamen ante illius distractionem obtinuit. Ita Henao in scientia media historicè & scholasticè defensata.

Ex his Pontificum decretis manifesta est defensiva doctrinæ Societatis victoria, ab Annato, Marilico, & Placido de Puga evidenter demonstrata & ab omnibus cordatis concessa. 348

Hæc victoria opinioni adversariorum, nihil probabilitatis detrahit. saltem directè nostræ tamen probabilitatem firmat & auget, quatenus argumenta ei falsitatis & erroris notam impingentia exercitè declarat non esse efficacia. 349

Homo non potest solis naturæ viribus se ad gratiam præparare etiam remotè. Constat ex Arauf. Trid. aliisque CC. & ex Script. ac PP.

Deus Zachariæ 1. petit ut ad ipsum convertamur non per naturæ vires, sed per eius auxilium nobis semper paratum ad conversionem, quam vi præsentis providentiæ expectat ut convertatur ad nos ulterioribus gratiæ auxiliis cumulandos. 350.351

Facienti quod in se est per gratiam, quam habet, Deus non denegat ulteriores gratias, & ipsam iustificationem ac salutem. Probabile est quod fusè & eruditè ex Scripturis & PP. probat Ripalda, eum nempe, qui viribus naturæ facit quod potest ad actum honestum, simul elicere actum supernaturalem circa idem obiectum per auxilium gratiæ, quod, ex pura Dei misericordia, nunquam deëst. 351

§. VI.

Iustificatio & eius causa formalis. pag. 312.

IUSTIFICATIO *impii non est sola remissio peccatorum, sed est sanctificătio per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*. Ita Trid. sess. 6. c. 7. per eum peccata vere delentur, non solùm teguntur, ut volunt hæretici, aliàs enim, ut rectè Aug. Conc. 2. in Ps. 50. non essent tecta oculis Dei. 352

Fit, ex Trid. sess. 6. Can. 11. & PP. non per solàm peccatorum remissionem aut imputationem iustitiæ Christi; sed per formam inhærentem supernaturalem, quæ est quædam participatio & similitudo divinitatis, qua homo constituitur Dei amicus & filius adoptivus. 352.353

Christus

Christus *factus est nobis justitia & justificatio*. 1. Cor. 1. non formaliter, sed causaliter; ejusque obedientia homines fiunt justi meritoriè, sicut Adami inobedientia injusti demeritoriè, cùm aliquo tamen discrimine. 353

Datur forma permanenter sanctificans distincta ab omni actu; constat ex Trid. sess. 6. c. 7. Can. 11. & patet in parvulis, & in adultis per solam attritionem cum Sacramento justificatis, quibus nullus inest actus ex se justificativus. 353

Actus charitatis & perfectæ contritionis non justificat formaliter ut volunt Vasq. & Merat, patet ex Trid. & in parvulis quibus non infunditur talis actus, qui est dispositio ad gratiam justificationis; non forma sanctificans. 353.354

Hoc tantùm volunt Scripturæ. 1. Jo. 2. 4. *qui me diligit ex Deo natus est, in Deo manet &c.* Item PP. Aug. de nat. & gra. c. 32. Charitas est ipsissima justitia; vel loquuntur de charitate habituali gratiæ sanctificanti annexa, vel de ea qua Deus nos diligit, quæ pro termino habet formam sanctificantem nobis infusam. 354

Licet actus charitatis stare non possit cum mortali actuali, potest tamen de potentia absoluta stare cum habituali, adeoque non est forma sanctificans nec amicitia Dei completa. 355

Gratia sanctificans (ex S. Th. Scoto probabiliter dissentiente) distinguitur à charitate habituali, ab hac tamen de lege ordinaria separari nequit, unde fit ut illius effectus sæpè huic tribuantur, hæc distinctio prob. ex Trid. supra 312. & ex Dionys. requirente in homine statum divinum ad operandum divina. 355

Gratia habitualis sanctificat se ipsa formaliter cùm ex Trid. sess. 6. c. 7. ipsa sit unica forma justificationis, & absolutè repugnet cuilibet mortali, & quidem contradictoriè habituali, quod moraliter perseverat per negationem gratiæ, quæ est terminus divinæ dilectionis condonantis. 356

Non repugnat mortale remitti absque infusione gratiæ per condonationem merè extrinsecam, qua Deus cedat jure aversionis propter peccatum; sic ut per eam homo destinetur ad gloriam adeoque fiat perfectè Dei amicus, non tamen perfectè filius Dei adoptivus. Ad hoc enim à PP. & S. Th. requiritur intrinseca Dei similitudo. S. Th. loquitur de lege ordinaria, vel de remissione evehente ad perfectam Dei amicitiam, cùm negat fieri posse absque infusione gratiæ. 357

Fides requiritur ad justificationem; non tamen sufficit, utrumque est de fide ex Script. ad Heb. 11. 1. ad Cor. 13. & Trid. sess. 6. c. 8. & can. 9. unde justificatio à Scripturis, & PP. tribuitur soli fidei, ut radici, vel cum sola exclusione operum legis & naturæ; vel ut accipitur pro doctrina Evangelica servata ut oportet. 358

Fides justificans non est fiducia de peccatis sibi per Christum dimissis ut impiè volunt Luth. & Calv. Talis fides seclusa speciali revelatione est impossibilis & à Trid. sess. 6. can. 12. 13. & 14. anathematizata. 359

Homo non potest esse physicè certus de sua justitia, potest de aliena, ut Baptizans de justitia infantis à se legitimè Baptizatii, de sua certitudine morali fundata in testimonio bonæ conscientiæ, de quo ad Rom. 8. 359

Ultima

Ultima dispositio ad gratiam habitualem ab hac non procedit effectivè; alioqui daretur mutua prioritas secundùm idem esse, quæ repugnat etiam in diverso genere causæ, favet Trid. sess 6. c. 2. absolutè dicens Justificationem sequi suam dispositionem. 360

Deus ex 1. Joan 4. & Aug. tract. 75. in Joan. diligit nos, dilectione imperfecta, qua nobis dat gratiam efficacem ultimæ dispositionis ad justificationem, priùs quam ipsum diligamus; non tamen dilectione perfecta habente pro termino justificationem, est S. Thomæ hic q. 113. a. 8. & 109. a. 6. 360

§. VII.

Meritum condignum & congruum. pag. 361.

MERITUM in genere est opus factum in alterius obsequium præmio dignum, differt ab impetratione, quæ movet ut submissa petitio & à satisfactione, quæ est redditio æquivalens. 361

Meritum coram Deo (de quo hic) aliud est condignum quod aliquam habet æqualitatem cum præmio, ex aliquali justitia debito: aliud est congruum, quod non requirit æqualitatem cum præmio, nec (defectu promissionis) infert ullum ejus debitum ex justitia. 361

Ad condignum requiritur 1. ex parte operantis status viæ, & Joan. 9. *venit nox* &c. 2. status gratiæ ex Joan. 15. *sicut palmes* &c. Item ex Trid. sess. 6. c. 16 can. 32. & ex PP. passim, ratio est quod merens, uti & meritum, debeat habere proportionem cum præmio, unde merito damnata est 12. propos. Bajana his contraria. 361. 362

Requiritur 2. ex parte operis ut sit actus positivus, quia pura omissio non potest referri ad Deum, ut sit liber à necessitate patet ex 3. propos. Jans. ab Innoc. damnata, honestus in individuo, supernaturalis in substantia ut volunt Suar. & alii communiùs contra Valen. Vasquez denique factus in obsequium Dei. Colligitur ex Script. CC. & PP. ad meritum requirentibus ut fiat ex gratia, ex motivo supernaturali, *sicut oportet &c.* quibus implicitè significat supernaturalitatem requiri ut actus sit per se immediatè meritorius, non ut sit meritorius extrinsecè, ut sunt actus externi ab internis imperati. 362. 363

Has conditiones supponunt PP. dùm rationem meriti bonis operibus generaliter tribuunt; unio hypostatica influebat in omnia Christi opera etiam purè moralia & entitativè naturalia, & ideo omnia erant meritoria. 363. 364

Supernaturalitas non est nobis libera, cùm non sit nobis nota, ac proinde actus nostros nobis propriè non reddit laudabiliores, reddit tamen præmio supernaturali proportionatos in ratione meriti. Idem est de statu gratiæ nobis ignoto, requisito tamen ad meritum de condigno. 364

Non requiritur ut actus sit à charitate elicitus aut imperatus, cum etiam actus aliarum virtutum infusarum v. g. justitiæ, misericordiæ &c. sint proportionati præmio supernaturali, ipsis simpliciter promisso Matth. 5. *Beati misericordes* &c. 25. *venite benedicti: esurivi enim &c.* Confir. ex Trid. sess 6. c. 19. docente ejusmodi actibus justificato-

ficatorum nihil de esse ad meritum vitæ æternæ. 365

Debet tamen procedere è gratia habituali, cui identificatur aut annectitur charitas, & ex motivo charitati consentaneo cùm relatione ad gloriam Dei, saltem in actu exercito, atque ita fieri *in nomine Christi* & hoc sensu à charitate. 366

Hoc solùm volunt Script. Aug. alique PP. qui etiam possunt explicari de charitate sumpta latè pro quavis affectione bona virtutis infusæ, movente ad opera Deo grata, quæ velle, est Deo bonum velle, adeoque ipsum amare; vel de charitate ut identificata gratiæ habituali principio dignificativo & saltem mediatè effectivo omnis actus boni, uno ex his sensibus dicit Aug. l.2 contra 2 Epist. Pelag. *quid est charitas nisi amor boni, quid est boni cupiditas nisi charitas*, cùm alibi dicit: *solus amor Dei est virtus ducens ad beatam vitam*: loquitur antonomasticè. 366

Gratia habitualis justi influit in omnia ejus bona opera, moraliter seipsa & physicè per suos habitus: secus mala dispositio peccatoris. 366

Requiritur ex parte præmiantis promissio, qua seclusa, bona opera justorum nullum in Deo causant debitum præmii, adeoque non sunt condignè meritoria in actu 2. sed solùm in actu; patet ex Trid. sess 6. c. 16. ubi ait: *vitam æternam esse mercedem ex Dei promissione iustorum meritis reddendam*. Deus enim, inquit Aug. debitorem se fecit non accipiendo sed promittendo. 367

Ex Dei promissione non oritur condignitas præmii, sed jus ad præmium, non tamen jus Deum obligans ex justitia strictè, qua Deum obligari repugnat supremo ejus Dominio, vi cujus creatura cum omni suo jure est magis Dei, quàm sua, sed solùm ex justitia late seu ex fidelitate, qua Deus non obligatur alteri quàm sibi, & ideo obligatio ex tali justitia non repugnat ulli divinæ perfectioni, de hac justitia intelligendus est Apost. 2. Tim. 4. *reposita est mihi corona justitiæ*, & Aug. 1. Confes. Deus *reddit debitum nulli debens*. 368. 369

Ad meritum congruum requiritur ut actus sit 1. liber. 2, honestus, 3. supernaturalis, & in merente status vitæ hujus defectu Beati nobis impetrant, non merentur: Deus enim eorum orationibus non movetur tanquam exigentibus præmium suo valori proportionatum, sed tanquam petitionibus personarum sibi amicarum. 370

Meritum congruum aliud est infallibile, cui nempe promissum est certum præmium, ut contritioni peccatoris, justificatio: aliud *fallibile*, cui nempe præmium non est promissum, ut quo quis sibi meretur gratias actuales: Hoc meritum confundit Vasq. cum impetratione à qua vix differt. Hinc promissio merito congruo non est necessaria, nec contraria; similiter status gratiæ. 370

§. VIII.

Meriti præmium. pag. 371.

HOMO non potest mereri primam gratiam actualem congrue, cùm hanc non possit præcedere ullum meritum conducens ad salutem: nec primam habitualem condigne, ex Trid. sess. 6. can. 1. 2. 3. alioqui principium meriti caderet sub meritum? hanc tamen potest mereri congrue, & quidem infallibiliter, ut peccator per contritionem, patet ex Aug.

Aug. Ep. 105. & Trid. sess. 14 c. Dicimur tamen ad Rom 3. justificati gratis id est sine merito condigno. 371

Justus non potest, merito condigno aut congruo infallibili, sibi aut alter imereri gratiam perseverandi, a pecc. resurgendi, aliamve gratiam actualem; quia de illis nulla est Dei promissio in Script. sed potius indicatur contrarium 1. cor. 10 *qui stat videat ne cadat*. Potest merito congruo fallibili: quia, juxta S. Th. 1. 2. q. 114. a. 9. favente Aug. de dono, persev c. 9. oratione potest ista impetrare, Unde Aug. c. 13. solùm excludit meritum condignum aut ex viribus nat. 272

Potest & quidem condignè sibi mereri gratiæ & gloriæ augmentum, ipsamque vitam æternam. Hoc docet Trid. sess. 6. cant. 3. & 23. ex Script. *reposita est mihi corona iustitiæ*. 2. Tim 4. ut digni habeamini regno Dei 2. Tass. 1. & ex PP. Aug. Basil. 372

Vita æterna ad Rom. 6. est gratia Dei in radice, id est, in meritis Dei donis, passiones hujus vitæ spectata earum gravitate non sunt dignæ futura gloria ad Rom. 8. cum quo stat condignitas in ratione meriti 373

Quamvis contritio peccatoris non mereatur de condigno primum gradum gratiæ habitualis, qui est principium meriti condigni, quod proinde non potest cadere sub meritum condignum: meretur tamen 1. gradum gloriæ, qui non est ullo modo principium meriti; est S. Th. hic q. 112. a. 2. ad 1. Colligitur ex Trid. sess. 6. can. 32. ubi augmentum gloriæ & ipsam gloriam seu 1. ejus gradum recenset ut duo præmia distincta meriti hominis justificati. 373. 374.

Concilium ibi non agit de antecedenter justificatis, ut volunt adversarii; sed generaliter de actibus justorum, quorum aliqui sunt meritorii solius gloriæ ut ultima dispositio 1. instanti justificationis; alii solum augmenti, ut tempore posteriores justificatione; alii utriusque, ut eliciti ipso instanti justificationis concomitanter, se habentes ad ultimam ejus dispositionem. 374

Ratio autem hujus assertionis, est quod ultima dispositio sit dignificata per gratiam sui subiecti priùs tempore, quàm prima gloria detur, & priùs natura quàm ei in præmium decernatur. Pro cuius intelligentia, hic consideranda sunt 4. instantia rationis, quorum 1. est contritio de congruo meritoria justificationis 2. gratia propter contritionem data 3. jus ad gloriam ut hæreditatem ex gratia resultans 4. decretum dandi gloriam titulo hæreditatis & mercedis propter contritionem priùs natura dignificatam per gratiam sui subiecti, sic ut ex hac parte nihil ipsi desit a d rationem meriti condigni respectu istius præmii. 374. 375

Potest aliquis actus dignificari per gratiam se natura posteriorem, sic ut entitativè sit illa physicè prior, & posterior moraliter nempe ut per illam dignificatus & constitutus in ratione meriti condigni. Patet ex actu Charitatis elicito a iusto eo instanti, quo urget ejus præceptum V. sup. pag. 37. n. 57. 375

Actus meritorius augmenti gratiæ, per huius accessum non potest reddi magis meritorius extensivè, seu ulterioris augmenti; alias iretur in infinitum. Ratio est, quod illi ut merito con digno non decernatur præmium, nisi præsupposito adæquato eius valore: potest tamen per illud reddi magis meritorius velut intensivè, seu perfectiori modo respectu præmii necdum decreti, ut fit in nostro casu. 377

Gratia non potest velut extensivè augere valorem actus, cuius, ut meriti

riti condigni, est præmium; potest tamen alterius actus sibi coexistentis, ut cum duo actus diversarum virtutum à justo eliciuntur eodem instanti, augent se mutuo, non tamen secundùm partem valoris, quam ab invicem accipiunt, alias augerent se in infinitum. 377.378.

Primum opus bonum baptizati in infantia non meretur 1. gradum gloriæ baptismo debitæ, sed novum ab illo adæquatè distinctum suo valori proportionatum: alioqui enim præmium non esset adæquatum ejus valori, vel illum excederet. Unde quidam adulti accipiunt aliquid gloriæ non ex suis meritis de condigno, ut constat in iis, qui supposita intione & attritione sufficienti primò justificantur per baptismum in somno aut amentia & statim moriuntur, aut per martyrium in eadem hypothesi; quare illud Rom. 2. *reddet secundùm opera*: solùm significat in retributione habendam esse rationem operum, quæ quisque fecerit, non quod adultis nihil reddendum sit, nisi ex operibus. 378

Hinc actus disponens ad 1. gratiam 2. instanti, quo continuatur non meretur, ut volunt Bell. & Ovid. 1. gloriam priùs tempore debitam titulo hæreditatis & meriti congrui, sed ejus augmentum suo valori adæquatum. 378

Condignitas meriti non est perfecta æqualitas ejus valoris cum valore præmii in se infiniti, sed est æqualitas proportionis, morali judicio justum, in filium à Deo adoptatum per gratiam, reddens dignum tali præmio, sic ut juxta illud Joan. 1. Deus Beatis det *gratiam pro gratia*, hoc gratiam mercedis pro gratia meritorum, quæ, ex Joan. ibidem, est *semen Dei in iis manens*. 379

Deus remunerat supra condignum, sic ut præmium non habeat rationem mercedis puræ, sed dono gratuito permixtæ: ideo enim dicitur Math. 5. *merces copiosa*, Luc. 6. *mensura bona conferta & supereffluens*, & à Fulgen *meritum incomparabiliter excedens*. Habet tamen meritum condignitatem, cum præmio spectato præcisè ut præmio. 376.780

Juxta varios, quibus favet Chrysost. Deus ex sua benignitate probabiliter etiam infligit pœnas infra condignum. 380

Homini non licet ponere fiduciam de sua salute in bonis operibus naturæ, hoc enim pertinet ad Pelagianismum: licet tamen eam ponere in operibus gratiæ ex Tob. 4 *fiducia magna erit coram Deo eleemosyna* & ex PP. nominatim Cyp. dicente: *salutaris operatio est securitatis nostra salutare præsidium* Consultius est tamen solum fidere in bonitate Dei & in meritis Christi. 380

Augent meritum, quæ augent actus bonitatem, ut excellentia actus ex objecto, circumstantiæ difficultas, intentio & duratio; unde non sequitur quod actus meritorius una hora continuatus sit infiniti valoris; quia meritum unius horæ non constat (ut inferunt quidam calculatores) infinitis partibus æqualibus merito instantaneo 1. quia probabiliùs repugnant indivisibilia Mathematica & consequenter etiam instantanea actio meritoria 2. quia continuum probabiliter componitur ex finitis indivisibilibus physicis seu punctis inflatis virtualiter divisibilibus. 3. quia continuatio actus non est tam difficilis, quàm prima ejus productio, adeoque nec tant valoris. Unde potest deveniri ad tam parvam partem continuationis, quę valore non æquet primam actus productionem quamvis instantaneam. 381.382

FINIS.

